

ETHICES CHRISTIANAE

INSTITUTIONES

E PURIORIBUS SACRAE THEOLOGIAE FONTIBUS

AD USUM

CLERICORUM DEDUCTAE

AC SUMMATIM IN QUATUOR LIBROS DIGESTAE

A D. ALOYSIO FERRARI

IN THEOLOGICA ACADEMIA ROMANA CENSORE

EXAMINATORE PRO-SYNODALI

CANONICO CATHEDRALIS MUTINENSIS

ATQUE IN R. ARCHIGYMNASIO

P.O EJUSDEM DISCIPLINAE PROFESSORE

LIBER III.



MUTINAE

EX TYPIS G. VINCENZI ET SOCII

M. DCCC. XXXIV.

ETHICES CHRISTIANAE

INSTITUTIONUM

LIBER TERTIUS

DE VIRTUTIBUS ET VITIIS

§. I.

Cum regulae satis exploratae fuerint, quibus conformari debent actus humani; ad morum disciplinam nunc potissimum spectat eos cum lege, quae primaria regula moralitatis est, comparare. Qua comparatione instituta, bonum morale, seu *virtus* tum effulget, si penitus huic normae conveniant actiones; sin autem ex parte saltem adversentur, malum morale, seu *vitium* exurgit. De hac duplici humanorum actuum affectione impraesentiarum disseratur. Quanta sit argumenti, quod aggredimur praestantia, et necessitas quisque facile perspiciet, cum vix animadverterit, nil magis homini prodesse, quam virtutes colere, nil magis obesse quam vitia sectari.

Discrimen virtutem inter et vitium congruam hujusce libri partitionem ostendit.

PARS PRIOR

DE VIRTUTIBUS.

§. II.

Virtus a *viro* nuncupatur (1), eique plures attribuuntur significationes. Sumitur enim

1. Pro strenuitate ac robore, ut liquet ex libro Judith cap. 4. v. 13., ubi de Mose fit mentio, qui *Amalec confidentem in virtute sua... non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando dejecit.*

2. Effectum quandoque designat a causa naturali procedentem: sic Joel ait cap. 2. v. 22. *Lignum attulit fructum suum, ficus, et vinea dederunt virtutem suam.*

3. Denotat etiam portentum aliquod supernaturale. Hac ratione virtutis vocem usurpat Lucas Evangelista, cum disserat Actorum cap. 8. v. 13. de Simone mago, qui *videns signa et virtutes maximas* ab Apostolis *fieri, stupens admirabatur.*

4. Saepius tandem hoc nomine proprie intelligitur quaelibet animi perfectio: unde legimus de justis Psalmo 83. v. 8. *ibunt de virtute in virtutem.* Posteriori sensu ab Ethicae scriptoribus virtus accipitur, ac ge-

(1) In id convenit Cicero Quaest. Tusculan. lib. 2. N. 18. dicens: — Appellata est a viro virtus: viri autem propria est fortitudo .... a viris virtus nomen est mutuata —.

neratim inspecta definitur a D. Thoma 1. 2. Quaest. 55. art. 4. = Bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nemo male utitur = (1).

Quaenam sit virtutis natura ex dictis perspicuum est. De ipsius dignitate ac praestantia quid vero proferendum? En quadruplex animadversio.

1. Bona cuncta creata virtus quam maxime excellit. = Magni precii sunt non gemma, non argentum, non vestis, non corporis pulchritudo, sed virtus = : ita scribit Clemens Alexandrinus in Paedagogo lib. 3. cap. 6. (2).

(1) Traditam definitionem ex Augustiniena doctrina excerptam agnoscimus, ac praesertim ex lib. 4. contra Julianum cap. 8. tum etiam ex lib. 2. de libero arbitrio cap. 19. Heic autem silentio ne praetereantur variae virtutis definitiones, quas afferunt nonnulli Patres atque Philosophi, ut, si libeat, conferri possint cum ea, quam Angelicus et Scholae amplectuntur. — Virtus est rectus, praeceptisque Domini conveniens earum facultatum usus, quae boni causa nobis a Deo sunt datae — : ita D. Basilius Quaest. 2. in reg. fusius disputatis. — Definitio brevis et vera virtutis ordo est amoris — : ita D. Augustinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 22. — Virtus est concinna, et congrua animi affectio, quae per totam vitam rationi subjicitur — : haec habet Clemens Alexandrinus lib. 1. Paedagogi cap. 13. Accedunt inter philosophos Aristoteles, et M. Tullius, quorum prior lib. Ethicorum 2. cap. 9. inquit: — Virtus est, quae bonum facit habentem, et opus ejus bonum reddit —. Alter Parad. 3. N. 1. — Virtus, ait, est consentiens cum ratione, et perpetua constantia —.

(2) Idipsum inter ethnicos Cicero sensit Parad. 6. N. 2. dicens: — Quis dubitet, quin in virtute divitiae sint? Quoniam nulla possessio, nulla vis auri et argenti pluris, quam virtus aestimanda est —.

2. Virtus hominem omnino perficit. = Omnis sancta virtus res est divina, incorporea prorsus atque mundissima, quam mentes inquinatae non inquinant, sed ipsa inquinata emaculat, cujus participatione formantur informia, suscitantur mortua, sanantur infirma, corriguntur prava, reconciliantur adversa. Hanc non habet nisi Deus, et is, cui dederit Deus; quae in animo habitat, sed animam corpusque sanctificat, ad quam nullus accedit invitus, nullus amittit, nisi propria voluntate deceptus =: haec diserte docet S. Prosper de vita contemplativa lib. 3. cap. 16. (1).

3. Virtus immortalitatem parit. = Nihil facit nomen adeo immortale, ut natura virtutis. Id ostendunt martyres, ostendunt Apostolorum reliquiae, ostendit memoria eorum, qui recte, et in virtute vixerunt =: sic affatur D. Chrysostomus in Ps. 48. N. 6.

4. Quid plura? virtute Deo similes efficimur. = Homo creatus est, ut charitatem haberet, ut bonus esset, et justus, ut patiens atque mitis, mundus, et misericors foret. Quas virtutes quanto plus quisque in se ipso habet, tanto propius est Deo, et ma-

(1) Heic quoque Tullius audiatur lib. 1. Academic. N. 5., cujus haec sunt verba: -- In philosophia quod absolutum est, id est virtus, quasi perfectio naturae, omniumque rerum, quas in animis pounnt, una res optima --.

jorem sui Conditoris gerit similitudinem=: Hactenus D. Ambrosius de dignitate conditionis humanae cap. 3.

Plura, quae de virtutum qualitate, subjecto ac distinctione fuse disputant scholastici, lubenter praetermittimus (1). Tantummodo pro re nostra adnotare sufficiat, virtutes in *Theologicas* et *Morales* distribui. De utrisque cum speciatim agendum sit, duplici sectione primam hanc Institutionum partem absolvere curabimus.

SECTIO PRIMA

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

§. III.

Sempiterna Beatitas, ad quam conditi sumus, finis est naturae humanae proportionem excedens. Ad hanc igitur homo ordinari nequit per principia naturalia, sed opus est aliqua principia divinitus superaddi, quorum ope finem hunc supernaturalem consequi valeamus. Ita concludit D. Thomas 1. 2. Quaest. 62. art. 1. *Haec principia*, subdit Angelicus, *virtutes dicuntur Theologicae, tum quia habent Deum pro objecto, in*

(1) Hac de re, si libeat, consuli poterunt D. Thomas 1. 2. Quaest. 56. 57. 58., Card. de Aguirre Philos. Mor. parte 1. lib. 2., et Card. Gotti Theologiae Scholastico-Dogmaticae tom. 7. tract. de virtutibus et donis.

quantum per eas recte ordinamur in Deum; tum quia a solo Deo nobis infunduntur, tum quia sola divina revelatione in Sacra Scriptura hujusmodi virtutes traduntur. Quaenam porro sint Theologicae virtutes, ediscimus ab Apostolo Ep. 1. ad Corinthios cap. 13. dicente: *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas.* Cum de singulis per capita disceptandum sit, a Fide exordiamur.

CAPUT PRIMUM

DE FIDE.

ARTICULUS PRIMUS

De Fidei natura et divisionibus.

§. IV.

Fides multiplici sensu in utroque foedere usurpatur.

1. Namque in Ecclesiastico cap. 27. v. 17. hoc nomine venit bona existimatio, ob quam quis meretur, ut ejus dictis credatur: *Qui denudat arcana amici fidem perdit.*

2. Per Fidem indicatur in lib. 1. Machabaeorum cap. 10. v. 27. fidelitas in promissis servandis: *Perseverate adhuc conservare ad nos fidem.*

3. Fides in Ep. ad Romanos cap. 14. v. 13.

conscientiam exprimit, qua monemur actum honestum esse vel pravum: *Omne quod ex Fide non est peccatum est* (1).

4. Accipitur Fides in Ep. 1. D. Jacobi cap. 1. v. 6. pro fiducia, qua bonitati alterius, ejusque promissionibus innixi aliquid ab eo expectamus: *Postulet autem in fide nihil haesitans.*

5. Assumitur vox fidei in Apocalypsi cap. 2. v. 13. ad significandam doctrinam ipsam divinitus revelatam: ibi enim Deus Angelum Pergami sic alloquitur: *Non negastis fidem meam.*

6. Dicitur quoque Fides vel habitus, quo inclinamur ad credendum, vel actus etiam, quo credimus loquentis auctoritati. Haec porro fides in *Divinam*, et *humanam* discernitur. Prior, de qua disserit Apostolus 1. ad Corinthios cap. 13. ea est, quae nititur Divinae veracitati: altera in hominum auctoritate fundatur.

§. V.

Sublimem Divinae fidei notionem exhibet D. Paulus in Ep. ad Hebraeos cap. 11. v. 1., eamque sic paucis commendat, atque describit: *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Con-

(1) Vide Instit. lib. 2. §. 136. prob. 1.

cisa haec Apostoli verba singulatim perpendantur.

Fides appellatur *substantia,* graece *hypostasis,* hoc est firmum Christianae Spei fundamentum, et basis. Hinc praeclare D. Bernardus Ep. 190. adversus Abailardum scribit: = Audis substantiam: non licet tibi in fide putare, vel disputare pro lubitu, non hac illacque vagari per inania opinionum, per devia errorum: substantiae nomine aliquid tibi certum, fixumque praefigitur: certis clauderis finibus, certis limitibus coarctaris =.

Appellatur *substantia rerum sperandarum,* supernaturalium scilicet, atque coelestium, quae, quamvis futurae sint, nobis tamen per fidem repraesentantur, ac si ante oculos versarentur.

Appellatur *argumentum,* demonstratio scilicet, et convictio. Ejusmodi namque est Fides Theologica, ut mentem penitus suadendo illud praestet, quod fit demonstrationibus, atque argumentis.

Demum appellatur *argumentum rerum non apparentium.* Et recte sane: *Quae etenim apparent,* ait D. Gregorius M. Homilia 26. in Evang., *jam fidem non habent, sed agnitionem* (1).

(1) In hunc locum vide Augustinum Calmet Commentar. Cap. 8.

§. VI.

Doctrinam Apostoli, quam nuper explanavimus, Theologi fideliter quidem recipiunt: sed non omnes adaequatam in ea contineri censent fidei definitionem (1). Quocirca per genus, et differentiam juxta scholarum leges fides definiri potest: *Virtus Theologica supernaturalis, qua ob Summam Dei auctoritatem iis firmiter assentimur, quae Deus ipse revelavit, quaeque per Ecclesiam nobis credenda proponit.*

Quoad traditam definitionem sequentia adnotamus.

1. Jure dicitur Fides *Virtus Theologica;* Deum quippe ut gratiae et gloriae auctorem attingit.

2. Haec virtus *supernaturalis* est, ideo non humano labore, non consuetudine, non exercitatione comparatur, sed divinitus infunditur. Constat haec veritas ex Apostoli verbis ad Philippenses cap. 1. v. 29. *Vobis donatum est pro Christo... ut in Deum credatis.* Idi-

(1) Nonnulli totum objectum. Fidei materiale in praecitata Ep. ad Hebraeos cap. 11. v. 1. non indicari arbitrantur. Inquiunt enim, ad substantiam Fidei non modo pertinere futura, non modo quae sperantur, non modo quae sunt impervia rationi; verum etiam tum praeterita, tum quae timentur tum plurimas veritates, quae naturaliter quoque innotescunt. Hac de re consulantur ex uno capite Laurentius Berti Theologic. disciplin. tom. 2. lib. 23. cap. 1., ex altero Nicolaus L'Herminier Summae Theologicae tom. 7. tract. de Fide.

psum elucet ex doctrina, quam universa tenet Ecclesia. Plura namque Concilia saeculo 5. et 6. Pelagianos damnarunt ac Semipelagianos, quod fidem, vel saltem initium fidei solis naturae viribus adquiri posse arbitrarentur (1).

3. Causa, cur intellectus Divinae revelationi praebere debet assensum, *auctoritas* est ipsius *Dei revelantis.* Deus autem verax est, cum nec fallere possit, nec falli. Ejus ergo auctoritati, quavis dubitatione seclusa, firmissime adhaerendum: secus *Fides si ambiguum habet, Fides non est, sed opinio,* inquit D. Bernardus lib. 5. de consideratione. Hinc merito Innocentius XI. inter damnatas sub N. 21. sequentem recensuit propositionem: *Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia sólum probabili Revelationis; imo cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus Deus* (2).

(1) Pro veritate catholica, de qua hic agitur, pugnatum est in Concilio Jerosolimitano, et Diospolitano an. 415., in Carthaginiensi 9. an. 418., in Oecumenico Ephesino an. 431., et in Arausicano 2. an. 529. Adjicienda Synodus Tridentina, quae sess. 6. cap. 7. docuit, hominem in justificatione cum remissione peccatorum Fidem, Spem, et Charitatem per Jesum Christum accipere.

(2) Quamquam ex dictis Suprema Dei áuctoritas ratio sit, qua inducimur ad assentiendum veritatibus revelatis; exinde ne inferatur, inania fore argumenta extrinseca, et humana, uti miracula, prophetias etc., quae vulgo dici solent *credibilitatis motiva.* Equidem haec non sunt objectum Fidei formale. Sunt tamen praevia quaedam dispositio, qua via sternitur ad Fidem:

4. Ad objectum fidei *materiale* cuncta pertinent quae Deus revelavit, dummodo *per Ecclesiam credenda proponantur.* Sublato namque Ecclesiae judicio, cuinam datum erit a figmentis hominum veram, divinamque revelationem secernere? Quomodo ejusdem sensus rite poterunt explicari? Sacrae Literae sunt quidem fidei norma, sed non sufficiens, cum in iis obscuritates passim occurrant, quae contentionibus circa dogmata fidei praebent occasionem. Judicem ergo et ipsae requirunt, a quo controversiae exorturae solvantur. Hoc vero judicium num a ratione expetendum? At mysteria in Divina revelatione sunt plura: haec mentis aciem excedunt: non ergo de iis ratio dijudicare valebit. Item prodiet ne tam grave judicium a spiritu privato, cui perfracte novatores indulgent? Si data cuique foret hujusmodi potestas, jam brevi Divina revelatio in varios, pravosque sensus detorta, conscissa, corrupta incertum quemque circa ea, quae credenda sint, omnino relinqueret. Exemplo sint Lutherani et Calviniani, qui, Ecclesiae voce contempta, in Sacris libris explicandis centies ac millies vitiosissime

criterium constituunt rationis pro vera dignoscenda, seligendaque Religione: Fidem jam divinitus infusam corroborant: rationabile reddunt obsequium, quod Divinae revelationi debemus: nos tandem instruunt, ut possimus adversarios, qui contradicunt, arguere.

defecerunt (1). Ad eam igitur Ecclesiam confugiendum, quam ab errore penitus immunem Evangelica proferunt testimonia. Ad eam Ecclesiam confugiendum, quae Christum auctorem habuit, Principes, atque propagatores Apostolos; quae columna et firmamentum constituta fuit veritatis (2); quae Spiritus S. lumine exornata (3); quae supra firmam petram extructa, ne portae inferi in eam praevalerent (4). Infallibilem tanti judicis auctoritatem admirans haec scribebat D. Augustinus lib. 1. contra Cresconium cap. 33. *Quisquis falli metuit obscuritate quaestionis, Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate Sacra Scriptura demonstrat:* rursus lib. contra Ep. fundamenti cap. 5. *Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas* (5).

§. VII.

Fidei Theologicae, cujus naturam perspeximus, quaedam enumerantur praecipuae divisiones.

(1) Hujusce turpissimae defectionis pseudo-reformatorum saeculi 16. perspicuum argumentum ac specimen habemus in opere clar. Bossueti, cui titulus: — Histoire des variations des eglises protestantes —. (2) Ep. 1. ad Timotheum cap. 3. v. 25.
(3) Joan. cap. 14. v. 26. (4) Matthaei cap. 16. v. 18.
(5) Quae specie tenus hic attigimus fuse tradita atque inlustrata legi poterunt apud Bellarminum Disput. tom. 1. controv. 1. lib. 3. a cap. 4. ad 10.

1. Ratione discriminis, quod inter habitum ponitur, et actum cujusque virtutis, haec in *habitualem*, et *actualem* distingui solet. Prior est habitus ipse fidei continenter animo inhaerens cum semel divinitus fuerit infusus. Altera est actus, quem adjuta per gratiam elicit voluntas firmiter assentiendo veritatibus revelatis. Actus hujusmodi, si mente solum concipiatur, *interior* appellabitur; *exterior* vero, si quopiam signo patefiat.

2. Ratione modi, quo creditur, fides vel *explicita*, vel *implicita* vocatur. *Explicita* ea erit, cum uni, vel pluribus veritatibus peculiariter determinatis praebeatur assensus: ejusmodi est fides, qua Deum in Personis trinum, qua mysteria Incarnationis, et Resurrectionis Christi Domini credere tenemur. Contra, fides *implicita* generatim absque speciali ad unum vel alterum articulum determinatione cuncta credit, quotquot ea sint, quae Deus revelavit.

3. Ratione majoris vel minoris perfectionis fides esse potest *formata*, vel *informis*. Illa cum gratia habituali copulatur, debitam formam ac perfectionem obtinet a charitate, idcirco in justis tantum reperitur. Haec peccatoris est fides a charitate sejuncta, de qua sic ait Apostolus Ep. 1. ad Corinthios cap. 13. v. 2. *Si habuero omnem*

fidem, ita ut montes transferam charitatem autem non habuero, nihil sum.

4. Ratione tandem effectuum in *vivam* et *mortuam* fides theologica discernitur. *Viva* dicitur, quae legis custodiam conjunctam habet, quaeque juxta eundem Apostolum Ep. ad Galatas cap. 5. v. 6. *per charitatem operatur*. *Mortua* est veluti corpus sine spiritu, quae, teste D. Jacobo cap. 2. v. 26., bonis operibus caret.

ARTICULUS SECUNDUS

De Fidei Subjecto.

§. VIII.

Rationales creaturae, quibus inest fides habitu vel actu, *subjectùm* ejusdem nuncupantur.

Haec autem virtus 1. extitit quondam in Angelis viatoribus. Id communi tenent suffragio dogmatici Scriptores, quorum doctrinam e Sacris Literis deductam sic brevi tradimus, ac probamus. Quamquam Angeli ab exordio in beatitate naturali conditi fuerint, pluribusque gratiae donis cumulati; nondum tamen Divinam adepti visionem in statu quodam viae constituti erant, in quo promereri poterant ac demereri. Culpa quidem plures defecerunt, corumque principatum

non servarunt (1). Alii vero, cum fideles permansissent, Deo placuere, jamque per lumen gloriae ad supernam Beatitudinem evecti Summum Bonum perpetuo nunc possident, perpetuo conspiciunt (2). Verum in statu viae *sine fide impossibile est placere Deo* (3). Ergo Angeli viatores fidem habuerunt.

2. Non deest Theologica Fides animabus, quae post obitum in expiante flamma detinentur. Talis namque est earum conditio, ut Summum Bonum vehementer diligant, atque peroptent, illud tamen ob dilatam beatitudinem adhuc non intueantur. In iis igitur habitus fidei perseverat, qui nonnisi per visionem Dei intuitivam potest auferri.

3. Reperitur fides in justis viatoribus: ait enim Apostolus ad Romanos cap. 1. v. 17. *justus ex fide vivit.* Virtutem hanc in justo necessario consistere adeo perspicuum est, ut, ipsa sublata, nec minimum verae justitiae vestigium in homine permaneret. Fidem

(1) Haec plane colliguntur ex ep. 2. D. Petri dicentis cap. 2. v. 4: — Deus Angelis peccantibus non pepercit, aed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos —. Eadem testatnr D. Judas ep. Cat. v. 6. hisce verbis: — Angelos, qui non servaverunt suum principatum.... in judicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit —.

(2) Lnculenter id constat ex Evang. Matthaei cap. 18. v. 10. ubi de Angelis Christus ait: — Semper vident faciem Patris mei, qui in Coelis est —.

(3) Ep. ad Hebraeos cap. 11. v. 6.

si demas, jam virtus tollitur, quae *virtutum omnium stabile est fundamentum* (1) : virtus tollitur, quae *lumen est animae, ostium vitae, fundamentum salutis aeternae* (2) : virtus tollitur, quae est *origo justitiae, sanctitatis caput, devotionis principium, religionis fundamentum;* sine qua *nullus unquam.... Dominum promeruit, nullus.... fastigium sublimitatis ascendit* (3).

4. In impio quoque remanet fides, modo tamen adversus eam per infidelitatem non peccaverit. De peccatore catholico hic disseritur, in quo fidem haberi, licet informem, ambigendum non est. Huic siquidem veritati suffragatur in primis auctoritas D. Jacobi dicentis cap. 2. v. 14. *Quid proderit..., si fidem quis dicat habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides salvare eum?* In idem etiam prorsum consentit Synodus Tridentina sess. 6. de justificatione can. 28. haec decernens: = Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti; aut fidem, quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse christianum, anathema sit =.

(1) Ita D. Ambrosius in Psalm. 40.
(2) Ex Homil. 2. Eusebii Emisseni de Symbolo.
(3) Haec habet Chrysostomus Serm. de Fide, Spe, et Charitate.

§. IX.

Quid porro de Beatis, quid de damnatis, quid de haereticis sentiendum? Num et ipsi sunt fidei Theologicae subjectum? De singulis id praecise negamus.

Nam 1. Fides non est in Beatis. Haec assertio ex Apostoli verbis, quae superius (§. V.) dilucidavimus, ita plane demonstratur. Cum fides sit *substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium;* nulla profecto erit fides, ubi Summum Bonum intellectui non *per speculum in enigmate,* sed manifeste apparet. Verum Beati sive Angeli sive homines in Coelis regnantes Summo Bono intime adhaerent, illudque jam praesens vident *facie ad faciem sicuti est* (1). Nulla ergo Beatorum fides.

2. Idipsum de iis concluditur, qui aeternis cruciatibus apud inferos torquentur. Fides etenim gratiae donum est, quo inclinatur intellectus ad credendum cum pio voluntatis affectu. Atqui dona supernaturalia in damnatis non habentur, non virtutes, non auxilia ad eorum actus eliciendos, non salutaris motio, non pius voluntatis affectus. Consequens ergo est, in eis fidem non dari. Neque nobis adversatur D. Jacobus, cum

(1) Ep. 1. ad Corinth. cap. 13. v. 12; et Ep. 1. Joannis cap. 3. v. 2.

dicat cap. 2. v. 19: *Daemones credunt, et contremiscunt*. Credunt quidem, et nos fatemur, daemones, ceterique daemonum consortes: at *fides, quae in eis est, non est habitus infusus, sed ex naturali eorum cognitione procedit* (1). Daemones credunt; non voluntario tamen: horum quippe fides *est quodammodo coacta ex signorum evidentia, et ideo non pertinet ad laudem voluntatis ipsorum quod credunt* (2).

3. Haereticis deesse pariter fidei virtutem, ineluctabile omnino est. Hac in re testem Apostolum habemus, qui Ep. 1. ad Timotheum cap. 1. v. 19. eos memorat, qui *circa fidem naufragaverunt; ex quibus est Hymenaeus, et Alexander*. Ibidem autem sequenti cap. 6. v. 20. Timotheum cohortatur, ut devitet *profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt*. Haec de haereticis primi aevi contigisse e Sacris Literis edocemur. Sed quoad fidem naufragium pati, a fide excidere idem est ac fidem penitus amittere. Non est ergo fides Theologica in haereticis. Subscribitur huic consectario D. Chrysostomus, qui apposite in allatam D. Pauli auctoritatem in-

(1) Ex D. Thoma in 3. sentent. distinct. 23. Quaest. 3. art. 3. Quaestiunc. 1.

(2) Ex eodem Angelico 2. 2. Quaest. 5. art. 2. ad 1.

quit homil. 5. = Sicut qui naufragium facit, amissis omnibus, nudus evadit; ita is, qui ex fide excidit nihil sibi ex Dei donis, ac virtutibus amplius retinet =.

§. X,

Interim forte quis objiciet. Etiamsi ex dictis pro certo ponatur, Beatos, ac daemones, ceterosque damnatos Theologica fide carere: cur vero hujusce virtutis habitus a quovis haeretico tam austere abjiciendus? Sunt qui in uno tantum articulo a doctrina catholica dissentiunt, alia rectissime credunt. Iis ergo, si non formata, saltem fides informis concedatur. Nam

1. Licet in paucis haereticus aberret a fide, facile tamen, prompte, firmiterque credit, ut antea, reliquas veritates divinitus revelatas. De hisce igitur veram fidem certe custodit.

2. Neque dicas, ejusmodi fidem Theologicam non fore; haereticus enim perinde ac quisque catholicus articulis revelatis, quos admittit, non humanae, sed Divinae tantum nixus auctoritati, consentit.

3. Officit quidem huic sententiae catholicorum principium, quod, scilicet, virtutis habitus cum actu contrario consistere nequeat. Sed inanis prorsus est difficultas, quia virtutum habitus, experientia duce,



per unum aut paucos habitus sibi oppositos non deficiunt. Stat ergo fides, quamquam informis, in eo, qui cuncta revelata lubenter amplectitur, licet unum, vel alterum articulum non recipiat.

4. Ideo quempiam fidei articulum respuit haereticus, quod hunc revelatum non fore arbitretur: non tamen exinde putat, Deum esse fallacem. Si Deum fallacem non censet: ergo Illius non detrahit veracitati. Si Divinae veracitati non detrahit: ergo Supremae Dei auctoritati debitum intellectus non denegat obsequium: ergo habitum fidei Theologicae non amittit (1).

§. XI.

Momenta rationum hactenus objecta catholicam doctrinam, qua, Theologicam fidem nec informem in haereticis esse, decernitur, minime labefactare valent: quin potius e facili eorum resolutione haec luculenter apparebit.

Atque ad 1. distinguendo reponimus. Qui pro arbitratu veritatem aliquam divinitus revelatam repudiat, de ceteris fidem habet *humanam*, concedimus: *divinam* vero, prorsus inficiamur. Etenim si quis vel unicum

(1) Absurdae sententiae, quam hic pro munere oppugnamus, indulsisse visus est Durandus Meldensis Episcopus in 3. sent. dist. 23. Quaest. 9.

rejiciens fidei articulum aliis assentiat, credit ex humana persuasione, sed mentem non captivat in obsequium Primae Veritatis, quae Deus est: secus non aliquibus tantummodo, sed cunctis revelatis praeberet assensum, cum Prima Veritas in omnibus aeque sit infallibilis. Ea porro firmitas, quam haereticus adhuc experitur in iis, quae credit, habitum Divinae fidei necessario non requirit; nam vel a consuetudine, vel a rationum evidentia sponte proficiscitur. Animadvertimus insuper, fidem Theologicam unam atque individuam fore, teste Paulo ad Ephesios cap. 4. v. 5.; siquidem, etsi plura credantur, fides nititur unico atque indivisibili objecto formali, quod est divina veracitas. Quod autem unum, et individuum est vel totum consistat, vel totum pereat oportet. Haereticus ergo in uno vel minimo articulo deficiens, cum fidem dividat, fidem amittit. Ita nobiscum D. Leo M. concludit serm. de Nativitate cap. 5. dicens: = Fides integra, fides vera, in qua nec augeri ab ullo quidquam, nec minui potest, quia, nisi una est, fides non est, dicente Apostolo Paulo: *Unus Dominus, una fides* =.

Ad 2. Ultro damus, haereticum credere fidei veritates ob solam Divinam revelationem, quam tamen non recipit nisi ex privata sui persuasione: verum ad fidem su-

pernaturalem haudquaquam sufficit hujusmodi credendi modus. Credere namque oportet ob solam revelationem, quam Ecclesia Christi fidelibus proponit. Eadem ratione huic difficultati occurrit Angelicus Doctor 2. 2. Quaest. 5. art. 3., ejusque verba audire non pigeat. =Manifestum est, *inquit*, quod ille, qui inhaeret Ecclesiae doctrinae tamquam infallibili regulae, omnibus assentit, quae Ecclesia docet. Alioquin si de iis, quae Ecclesia docet, quae vult tenet, et quae non vult non tenet, non jam inhaeret doctrinae Ecclesiae tamquam infallibili regulae, sed propriae voluntati..... Unde manifestum est, quod talis haereticus circa unum articulum fidem non habet de aliis articulis, sed opinionem quamdam secundum propriam voluntatem =.

Ad 3. Habitus virtutum naturales et acquisitos una cum actu contrario consistere posse, non diffitemur; sicuti enim per frequentiam actuum ipsi comparantur, item nonnisi pluribus ac repetitis actibus oppositis auferuntur. Ast aeque de habitu supernaturali ac divinitus infuso dicendum non est. Hoc ut speciatim de habitu fidei probare valeamus, comparatione inter fidem et charitatem instituta, sic argumentamur. Quaemadmodum charitati opponitur lethale peccatum, ita et unum articulum revelatum

denegare fidei adversatur. Sed charitatis habitus non remanet in homine, si vel una lethalis noxa admittatur. Ergo pariter neque fides habitualis, si unicus etiam articulus fidei denegetur.

Ad 4. Si debitum intellectus obsequium Divinae Auctoritati praestaret haereticus, judicium non contemneret Ecclesiae, quam *fundamentum veritatis* appellant Scripturae Sacrae. Verum hoc judicium formaliter ille despicit, cum rejiciat veritatem, uti non revelatam, quam Deum revelasse docet ipsamet Ecclesia. Non ergo praestat haereticus Divinae Auctoritati debitum intellectus obsequium. Quo posito, jam consequens est, in eo fidem Theologicam non haberi (1).

ARTICULUS TERTIUS

De Fidei Objecto.

§. XII.

Duo sunt fidei Theologicae objecta, quorum unum a scholasticis *formale* nuncupatur, alterum *materiale*. Objectum hujusce virtutis *formale*, seu ratio unica et immediata, ob quam cuncta divinitus revelata

(1) Praeter D. Thomam loc. sup. cit. consulatur clar. Gotti Theol. Scholastico-Dogmaticae tom. 10. tract. de fide Theolog. Quaest. 3. per totum, ubi fusius traduntur, quae concise in hoc articulo exaravimus.

credimus, non est quid creatum, sed suprema Dei loquentis auctoritas, qui, cum infinite sit verax, nec decipere quemquam potest, nec decipi. Objectum fidei *materiale* duplex: *primarium* et *secundarium*. Deum ipsum *primarium* hoc objectum fore, satis indicant Scripturae Sacrae; nam in Evangelio Marci cap. 11. v. 22. legitur: *Habete fidem Dei:* et 1. ad Thessalonicenses cap. 1. v. 8. *Fides,... quae est ad Deum.* Hinc rite ait Augustinus lib. 4. de Civit. Dei cap. 20. *Fidei primum et maximum officium est, ut in verum Deum credatur.* Ad objectum autem secundarium pertinent ceterae veritates revelatae, quae ad *primarium* fidei objectum referuntur. Hisce principiis apprime congruit doctrina D. Thomae de utroque fidei objecto sic praeclare scribentis 2. 2. Quaest. 1. art. 1. in corpus: = In fide, si consideremus formalem rationem objecti, nil aliud est, quam Veritas prima. Non enim fides, de qua loquimur, assentit alicui, nisi quia est a Deo revelatum. Unde ipsi Veritati divinae fides innititur tamquam medio. Si vero consideremus materialiter ea, quibus fides assentit, non solum ipse est Deus, sed etiam multa alia, quae tamen sub assensu fidei non cadunt, nisi secundum quod habent aliquem ordinem ad Deum = (1).

(1) Vide insuper quae profert ipse Doctor Quaest. de veritate art. 8. in corp.

§. XIII.

Objectum fidei perscrutantes controversia nos advocat in primis nec levis nec parum implexa, de qua inter se decertant Scriptores orthodoxi. Cum enim inquiratur, an lapsu temporum objectum fidei *materiale* crementum susceperit, plures id absolute negant, alii vero saltem quoad legem veterem affirmant. Ut quaestio rite intelligatur, monemus, duplici ratione objectum fidei percrescere posse. Augetur *proprie*, et quoad substantiam, si nova fiat revelatio cujuspiam veritatis, quae nec explicite, nec implicite antea credebatur. Augetur *improprie* per uberiorem explanationem, si, quae implicite continentur in veritate jam prius revelata clarius, atque distinctius exponantur. Hisce praenotatis, duo seorsim expendamus: 1. scilicet num creverit fides ab exordio mundi usque ad Christi Redemptoris adventum? 2. An forte sub Evangelica lege hujusmodi incrementum contigerit?

Bina animadversione res quoad partes expeditur: sit ergo

Animadversio 1. Quamquam Deus plura sub lege naturae, plura sub lege Mosis per Prophetas, plura demum novissimis temporibus per Filium ejus mortalibus revelarit; nihilosecius plerique docent *proprie* ac *sub-*

stantialiter objectum fidei adauctum non fuisse, sed *improprie* tantum, hoc est, per dilucidiorem veritatum explicationem, quae pridem implicite credebantur. Etenim ab Adam ad Christum Patres omnes in Deum atque in futurum Mediatorem credidere. Ad haec autem duo veluti generalia principia revelata, quae jam innotuerant, cetera mysteria referebantur, quae deinceps in lege gratiae expresse enuntiata fuerunt. Fulcitur haec doctrina D. Pauli auctoritate, qui utriusque foederis Patres una conferens testatur, eos *eumdem spiritum fidei habuisse* (1). Quibus ex verbis ita opportune concludit D. Augustinus Ep. 190. ad Optatum cap. 2. = Eadem fides est nostra et illorum, quoniam hoc illi crediderunt futurum quod nos credimus factum =: rursus tract. 45. in Joannem N. 9. inquit: = Tempora variata sunt, non fides... mutatus est sonus *venturus et venit:* eadem tamen fides utrosque conjungit, et eos, qui venturum esse, et eos, qui eum venisse crediderunt =. Porro, si una semper eademque fuit veteris ac novi Testamenti fides, haec profecto nullum augmentum ante Christum circa substantiam obtinuit.

En communis antiquiorum sententia (2);

(1) Ep. 2. ad Corinthios cap. 4. v. 13.
(2) Ex iis, qui primam hanc opinionem propugnant, recen-

cui tamen non omnes recentiores accedunt (1). Nonnulli siquidem opponunt, Deum Patriarchis atque Prophetis plurima ad objectum fidei spectantia identidem revelasse, quae in vetustioribus revelationibus nec implicite continebantur. Inferunt exinde, ab Adam ad legem Evangelicam non modo per majorem veritatum declarationem, sed per novas revelationes fidem incrementa suscepisse. Concedunt quidem utriusque legis Patrum eundem fidei spiritum fuisse: at vero id non impedit, quominus haec fides in jam revelatis semper eadem steterit, ac simul per novas revelationes in multis percreverit. Sed, re sub judice manente, ad alia progrediamur.

Animadversio 2. In plenitudine temporum, qua illuxit in orbe Servator generis humani, veritates omnes, quae objectum fidei constituunt, Apostolos didicisse constat ex Evang. Joannis cap. 14. v. 26. Ibi namque Christus ipse eos alloquens ait: *Paraclitus autem Spiritus, quem mittet Pater in no-*

sentur Petrus Lombardus in 3. Sent. dist. 25., Ugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis parte 10. cap. 4., D. Thomas 2. 2. Quaest. 1. sup. cit. art. 7., D. Bonaventnra in 3. dist. 25. art. 2. Quaest. 1., Card. Gotti tom. 10. Theolog. Scholastico-dogmaticae tract. de fide Quaest. 1. dub. 9. et Contensonius Theol. mentis et cordis lib. 8. dissert. 2. cap. 1. speculat. 3.

(1) Inter adversantes videri poterit L' Herminier tom. 7. Sum. Theol. tract. de Fide.

mine meo, ille vos docebit omnia: item cap. 15. v. 15. subdit: *Omnia quaecumque audivi a Patre meo nota feci vobis.* Unde sic argumentum conficitur. Si post Ecclesiae primordia fides quoad substantiam, hoc est, per novas revelationes aucta fuisset, dicendum non omnes fidei veritates Christum Ecclesiae suae tradidisse. Verum praecitatis Evangelicis verbis haec assertio adversatur. Nullum igitur fides in lege nova substantiale nacta est incrementum. Cum itaque ad profligandos errores, qui in unam vel alteram catholicam veritatem passim exoriuntur, insurgat Ecclesia Christi, quidque de fide tenendum sit infallibiliter decernat, novas non recipit revelationes, nec nova dogmata condit: sed quae jamdiu revelata fuerant vel e Sacris Literis, vel a Divinis traditionibus deducit; haec magis in lucem profert; haec ab haereticorum ausibus tuetur; haec fidelibus expresse credenda proponit (1).

(1) Sexcenta id confirmant constantis hujusce praxis exempla, e quibus pauca saltem deligantur. Quid, amabo, Ecclesia praestitit saec. 3. circa rebaptizantium errorem? Non quidem, revelatione peculiari accepta, sed per Scripturae Sacrae, Divinaeque traditionis consultationem sub Stephano 1. Rom. Pont. ratum fore constituit Baptismum ab haereticis collatum, quidquid contra senserint Cyprianus, aliique Africae Antistites. Haec profecto iisdem fontibus usa est saec. 4. ad Arium proterendum: nam ad Sacros Libros, ad traditionem confugiens Verbum Patri consubstantiale docuit, atque explicite creden-

§. XIV.

Praecipuae veritates, quae constituunt materiale fidei objectum in *Symbolis* continentur. Symbolum graeca vox est, quae pro variis eruditorum placitis *collationem*, *tesseram*, vel *signum* denotare videtur (1). Summae catholicae doctrinae cum vel maxime conveniant hujusmodi significationes; hinc nomine symboli consultissime usa est Ecclesia Christi, ut hanc universalem credendi normam peculiari et congrua ratione appelitaret. Symbolum igitur fidei rite definiri potest *collatio* praecipuarum veritatum, quae ab omnibus explicite sunt credendae: *tessera* pacti cum Deo initi in su-

dum praecepit. Sed, ut alia mittamus, nonne idipsum egit Synodus Tridentina adversus pseudo-reformatores saeculi 16., cum Sess. 5., 6., et 13. dogmata de labe originali, de justificatione, de Sacrosancto Eucharistiae Sacramento definivit?

(1) Quoad etymon Symboli plures plura sunt opinati. D. Augustinus serm. 115. de tempore inquit: — Quod graece symbolum dicitur, latine *collatio* nominatur —. Idem sentiunt Isidorus Hispalensis lib. 11. de Eccl. Offic. cap. 2., Rabanus Maurus lib. 11. de Institut. Clericorum cap. 5., et Innocentius 3. lib. 2. mysteriorum Missae cap. 4., aliique. Secus tenet Chrysologus serm. 62. de symb. Apost: cum censeat, hoc ita vocari a contractuum *tessera*, quae inter homines assolet usurpari, — ne cui surrepat, ne quem decipiat perfidia contractibus inimica —. Rursus magis proprie Symbolum idem sonat ac *indicium*, quo miles ab hoste dignoscitur, vel *signum* etiam, quod pro syngraphis, ac tabellis olim in conventionibus ineundis adhibebatur. Id colligitur ex Rufino lib. de expositione Symboli ad Laurentium.

scipiendo Baptismo: *signum,* quo fideles ab infidelibus discernuntur. Causa porro, cur symbolum fidei jam a suis incunabulis edidit Ecclesia, triplex assignatur.

Et 1. quidem veritates fidei catholicae, quae sparsim in Divinis Libris continentur, in unum conferre oportebat, brevique disponere compendio, ut facile in rudiorum animis eaedem figerentur (1).

2. Opus erat, ut symbolum fideles haberent, quo invicem conjuncti forent concordi religionis professione: nam, ut ait Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 11., *in nullum nomen religionis seu verum seu falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur.*

3. Requirebatur itidem hoc symbolum veluti militaris nota, qua distinguerentur a ceteris qui Christo nomen dedere. Id enim in fidei negotio praestandum erat, quod et in bellis civilibus observatur; in quibus cum sit *et armorum habitus par, et sonus vocis idem, et mos unus atque eadem instituta bellandi; ne qua doli subreptio fiat, symbola distincta unusquisque dux suis militibus tradit.... ut si forte occurrerit quis, de quo dubitetur, interrogatus, symbolum prodat,*

(1) Vide D. Augustinum serm. 1. de Symbolo cap. 1. et Angelicum Doct. 2. 2. Quaest. 1. art. 9. ad 1.

si sit hostis vel socius. Hactenus in expositione symboli Rufinus.

§. XV.

Quatuor sunt Symbola, quae orthodoxae fidei regulam nobis exhibent, quaeque catholica recipit Ecclesia (1). Prae cunctis ob ejus originem ac vetustatem illud principem locum sibi vindicat, quod *Apostolicum* nuncupatur. Noscimus, hic supercilium attollere e novatoribus nonnullos, atque catholicis nimiae credulitatis notam affigere, quod symbolum incerti auctoris audeant Apostolis adjudicare (2). Verum inscitiae potius insimulandos eos esse vel improbitatis ex dicendis apparebit. Ut ordinatim hac in disputatione procedamus, veritatem ab adver-

(1) Si una fides est ex Ap. Ep. ad Ephesios cap. 4. v. 5., cur quatuor circumferuntur Symbola, non unum? Huic instantiae respondet D. Thomas loco sup. cit. ad 2. dicens: — In omnibus symbolis eadem quidem fidei docetur veritas: sed ibi oportet populum diligentius instrui in fidei veritate ubi errores insurgunt, ne fides simplicium per haereticos corrumpatur. Et haec fuit causa, quare necesse fuit edere plura symbola, quae in nullo alio differunt, nisi quod in uno plenius explicantur quae in alio continentur implicite —.

(2) De hac luculentissima veritate dubitavit Calvinus lib. 2. Institut. cap. 16., ejusque dubitationibus adhaesit Erasmus, licet professione catholicus in praefat. ad Paraphrasim S. Matth.

Eandem vero directe negarunt Chamierus calvinianus lib. 9. de canone cap. 10., et Gerardus Vossius lib. de tribus symbolis dissert. 1. autumantes, ideo tantum symbolum, de quo disseritur, apostolicum vocari posse, quia doctrinam Apostolorum summatim comprehendit.

sariis oppugnatam nostrum erit primum ostendere; dein singula, quae contra nos facere videntur explanare.

Ab Apostolis itaque symbolum prodiisse, quod eorum nomine inscribitur, indubitanter affirmamus.

Pro re nostra ineluctabile traditionis argumentum attingimus e veterum Patrum testimoniis.

Prior omnibus esto D. Irenaeus, qui lib. 1. adversus haereses cap. 10. ejusdem referens partem symboli haec habet: = Ecclesia per universum orbem usque ad fines terrae seminata et ab Apostolis et a discipulis eorum accepit eam fidem, quae est in unum Deum Patrem Omnipotentem etc. =. Huic Tertullianus accedat, lib. de praescriptionibus haereticorum dicens cap. 37. = In ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit =: rursus lib. adversus Praxeam cap. 2. de symbolo ipse testatur, = hanc regulam ab initio Evangelii decurrisse =. Addatur Lucifer Calaritanus, qui lib. 2. adversus Constantium Imperatorem appellat hoc symbolum = formam disciplinae, et regulam fidei per Apostolos traditam =. Item D. Ambrosius Ep. 7. ad Syricium Pontificem inquit: = credatur symbolo Apostolorum quod Ecclesia Romana intemeratum semper

custodit et servat =. In id aeque consentit S. Maximus Taurinensis Episcopus hom. de traditione symboli, dum ait: = Apostoli Ecclesiae Dei mysterium symboli tradiderunt =. Hisce auctoritatibus suffragantur inter Romanos Pontifices tum Coelestinus I. Ep. ad Nestorium, una cum Ephesini Concilii Patribus, tum D. Leo M. qui ad Pulcheriam Augustam ep. 13. scribit: = Catholici symboli brevis, et perfecta confessio, quae duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa *est* in munitione coelesti, ut omnes haereticorum opiniones solo ipsius gladio possint obtruncari =.

Fundamentis hisce praejactis, hac ratione argumentum instruimus. = Quod universa tenet Ecclesia, neque a Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur = (1). Sed ab aevo Apostolorum, uti veteres Patres fatentur, ad nos usque semper et ubique symbolum Apostolicum professa est catholica Ecclesia, ac veluti Apostolorum genuinum opus agnovit: nullum vero Concilium, nullum Pontificem adversarii proferre possunt, a quo primum illud fuerit

(1) Haec regula, quam alibi jam adhibuimus, a D. Augustino proponitur lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24.

exaratum. Merito igitur tenendum est, hocce symbolum auctores tantum Apostolos habuisse.

Thesi, quam defendimus, satis superque firmata, reliquum nunc est, ut cavillationes, quae vigent pro adversariorum parte tutanda, incunctanter persequamur.

Objectio 1. Si Apostoli, ut fertur, symbolum tradidissent, de hoc sane mentio fieret tum in eorum Epistolis, tum in actibus, quos D. Lucas conscripsit. Verum de re tanti momenti silentium omnino servant Sacri Scriptores. Illud igitur non est Apostolis tribuendum.

Objectio 2. Posita catholicorum sententia, symbolum de quo disceptatur, jam foret in canone librorum novi Testamenti aeque ac cetera Apostolorum opera insertum. Ergo suppositicium est, cum ibi desideretur.

Objectio 3. Cum in suis primordiis non adhuc spiritu erroris dilaniaretur Ecclesia; fideles per ea tempora peculiari norma non indigebant, qua adversus haereses nondum gliscentes munirentur. Hac remota necessitate, non erat cur insimul convenirent Apostoli ad symbolum fidei conficiendum.

Objectio 4. Si detur, symbolum ab Apostolis fuisse concinnatum, quaeritur, quo tempore, quo loco id contigisse feratur? Quoniam in hisce definiendis veteres inter

se discrepant, vel haerent, sponte consequitur, de ejusdem etiam auctore dubitandum.

Objectio 5. Apostolici symboli variae sunt lectiones: aliud enim in Ecclesia orientali proponitur, aliud in occidentali: item plura inter Romanum et Aquilejense discriminis capita. Porro e tam diversis symbolis, quae cuncta uti Apostolica traducuntur, cuinam adhaerendum? Ut errandi auferatur occasio, optimum consilium erit, nullum vere Apostolicum asserere, donec *deleat dies opinionum commenta* (1).

Objectio 6. Cum hoc symbolum elaboratum censeatur priusquam *in omnem terram* exiret *sonus eorum* (2); tum profecto Ecclesia ab Apostolis appellari *catholica* non poterat, hoc est universalis. At symbolum Apostolorum *catholicam* praedicat Ecclesiam. Ergo ab iis originem non duxit.

Hactenus objecta nos vel minime commovent, cum nullo prorsus labore cuncta dirimantur. Res ut liquido comperta sit, hac ratione respondemus.

Ad 1. Novi Testamenti Scriptores de Apostolorum symbolo tacuere. Quid vero inde? Nonne Lucas, ut inquit Hieronymus, et *Petrum Antiochiae fuisse cum Paulo*, et alia plura, *quae Paulus sustinuisse se repli-*

(1) Cic. de nat. Deor. lib. 2. N. 2.
(2) Psalmo 18. v. 5.

cat, historiographi licentia praetermisit (1)? Nonne Joannes ipse *multa, quae Jesus fecit* in suo Evangelio praeteriisse fatetur? (2) In Sacris Libris nihil profecto de miris Deiparae gestis, ejusque obitu et assumptione in coelum perhibetur: nihil de Romano Divi Petri itinere ac Pontificatu: de glorioso utriusque Principis Apostolorum martyrio nihil. Haec tamen, quamvis in N. T. non fuerint memorata, firmissime tenentur. Idem ergo de symboli veritate sentiendum, quae, licet e divinis Scripturis non prodeat, valido traditionis argumento comprobatur.

Ad 2. Symbolum non literis conscripserunt Apostoli, sed viva tantum voce fidelibus consignarunt; hoc enim, ait Petrus Chrysologus serm. 62., *sola firmatur fide.... cordi, non chartae mandatur.* Mirum ergo non est, si canoni Sacrorum Librorum haud fuerit adscitum (3).

Ad 3. In primaeva etiam Ecclesia ad fidem servandam, fovendamque symbolum non inane, sed pernecessarium fuisse, plura, quae diximus (§. XIV.) perspicue demonstrant. Haec porro necessitas eo vel magis ostenditur, quod serpere tum temporis jam

(1) In Commentariis in ep. ad Galatas lib. 1. cap. 2.

(2) Cap. postremo v. 25.

(3) Vide Hieronymum ad Pammach. contra Joan. Jerosolymit. N. 28.

coeperant errores (1). Simonem, Cerinthum, Ebionem, aliosque plurimos Evangelicae doctrinae adversarios Apostolorum aevo extitisse indubitatum est. Igitur, ne in casses hujusmodi haereticorum inciderent fideles, maximum praesidium iis erat symbolum profiteri. Verum et si poneretur, haereses priori aevo abfuisse, certe saeculorum progressu pseudo-prophetas, et seductores non defuturos Apostoli praenoscebant (2). Quoniam autem ipsi divinitus constituti fuerant Ecclesiae rectores (3); aequum erat, ut per symboli traditionem bono fidelium in posterum consuleretur, cum ad optimum quodvis regimen spectet non modo praesentibus occurrere malis, sed praecavere quoque futura.

Ad 4. Quonam tempore symbolum condiderint Apostoli, Rufinus plane testatur, communemque veterum sententiam exhibet hisce verbis:=Tradunt majores nostri, quod post ascensionem Domini, et adventum Spiritus S. Apostoli discessuri ab invicem prius normam futurae praedicationis in commune statuerunt (4). Porro si, nemine repugnan-

(1) Id constat ex ep. 2. Joannis v. 7.

(2) Haec fidelibus praenuntiaverat D. Paulus tum ep. 1. ad Timot. cap. 4. v. 1. et sequent., tum ep. 2. cap. 3. v. 13.

(3) Actorum cap. 20. v. 28.

(4) Haec habentur in praecitata symboli expositione, quae praeclarius Rufini opus existimatur.

te, censetur Apostolos, antequam ad gentes migrarent, de fidei regula inter se convenisse, ubinam de tempore apud scriptores tam gravis dissensio vel dubitatio? Quo autem ipsi convenerint praecise ac certo designari nequit. Admodum tamen probabile videtur, symbolum Jerosolymis collatum fuisse. Ibi namque utplurimum versabantur Apostoli priusquam nationibus Evangelium deferrent: ibi coelestem Paraclitum jam receperant (1): ibi tria coegerant pro religionis negotiis expediendis concilia (2): ibi tandem pro festorum celebratione identidem concurrebant. Quae cum ita sint, jam per se concidit omnino difficultas, quia falso nititur principio. Monemus interim, argumentum ex varia circumstantiarum narratione vel ignorantia petitum nonnihil ponderis habere, cum res gesta, quae traditur, nullis fulciatur, aut levibus fundamentis. At contra, si res vel ratione vel auctoritate satis adeo firmetur, ut de illa nemo prudens ambigere possit, tum hujusmodi argumentum vim prorsus amittit.

Ad 5. Symbola, quae pluribus in Ecclesiis olim veluti Apostolorum opus circumferebantur, vix paucis verbis inter se differunt, non sensu. In iis enim non expun-

(1) Actorum cap. 1.
(2) Ex actis Apostolorum cap. 1. 6. 7. et 15.

ctae, non corruptae, non permutatae, sed forte ob insurgentes haereses adjectae conspiciuntur voces, quibus magis explicarentur veritates jam inibi contentae. Ergo per accessiones, quae nobis objiciuntur, nullum essentiale in iisdem symbolis discrimen. Cunctis igitur aeque adhaerendum, cum unum idemque symbolum praeseferant Apostolorum, nec latum unguem ab eo quoad substantiam recedant, quod Romana Ecclesia semper intemeratum servavit, et servat (1).

Ad 6. Nexum difficultatis nonnulli dissolvere student, cum dicant, Ecclesiam in symbolo *catholicam* non appellari, nisi ob posteriorem hujusce vocis adjectionem. Sed si unum sonant *catholicum* et *universale*, cur potius et Apostoli hoc nomen Ecclesiae tribuere non poterant? Sane jam a suis primordiis universalis ea erat ratione *temporis*, cum perpetuitate gauderet; idque nec Apostolos latebat, qui meminerant Christi promissionem dicentis: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem saeculi* (2). Universalis tum erat Ecclesia ratione *doctrinae;* omnes quippe didicerat veritates, quas Deus per Unigenitum Filium

(1) Haec additamenta symboli Apostolorum, quae obiter heic adnotavimus, uberius expenduntur in hist. Eccl. Natalis ab Alex. dissert. 12. in saec. 1.

(2) In Evang. Matthaei cap. 28. v. 20.

ejus hominibus revelaverat (1). Universalis erat ratione *obligationis;* nam, posita legis promulgatione, omnes Evangelium suscipere jubebantur (2). Neque demum universalitas deerat Ecclesiae ratione *propagationis:* licet enim Palaestinae finibus adhuc infans illa coerceretur, brevi tamen adfuturum erat, ut adolesceret, ac ministerio Apostolorum longe lateque diffusa per totum orbem teneret imperium. Cum itaque Ecclesia Christi multiplici ex capite semper *catholica* fuerit, congruentissimum quoque erat, eam ab ipsis Apostolis hac peculiari nota in symbolo designari.

§. XVI.

Praeter Apostolicum, quod jam per tria saecula undique in catholica Ecclesia circumferebatur, symbolum *Nicaenum* prodiit anno 325. adversus Arium, qui Unigenito Dei Filio bellum indicens, hunc divinae substantiae expertem, non aeternum, sed e nihilo in tempore eductum impio ore proferebat. Haec nova fidei expositio, quam in I. Synodo Oecumenica Nicaeni Patres edidere, conceptis hisce verbis exprimitur:

= Credimus in unum Deum (3) Patrem

(1) Ita ex Evang. Joannis cap. 15. v. 15.

(2) Ex Evang. Marci cap. 16. v. 16.

(3) Plures haereses una simul in hoc symbolo proteruntur,

omnipotentem (1), omnium visibilium, nec non et invisibilium factorem (2). Et in unum Dominum J. C. Filium Dei (3) natum ex Patre Unigenitum, hoc est, e substantia Patris: Deum de Deo: lumen de lumine: Deum verum de Deo vero: natum, non creatum: *homousion*, hoc est, ejusdem cum Patre substantiae (4), per quem omnia facta sunt coelestia et terrena. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est, et homo factus (5), passus est (6), et resurrexit tertia die (7): a-

atque in primis, Dei unitate admissa, profligantur Marcionitae, Gnostici, Manichaei, aliique duo rerum principia fabulantes.

(1) Ibidem omnipotentia Dei contra Hermogenem praedicatur, qui, Deum nihil posse e nihilo proferre, idcirco materiam aeternam et increatam necessariam illi fuisse in mundi creatione censebat: ita ex Tertulliano lib. adversus Hermogenem cap. 8.

(2) Menandriani hic refutantur, qui mundum ab Angelis conditum autumabant: Manichaei, qui minima quaeque ac vilia a Deo creata non fuisse opinabantur: Gnostici, qui animas, dicebant, ad divinam substantiam pertinere. De iisdem vide sis Augustinum lib. de haeresibus cap. 2. et 6., tum etiam tract. 1. in Joan.

(3) Si Christus Jesus unus Dominus est; ergo in Christo duplex persona excluditur contra Nestorinm.

(4) Arianam haeresim apprime configit vox *homousion*, cum non similitudinem significet, sed aequalitatem substantiae.

(5) Hujusmodi verba Apollinaristas insectantur, qui, teste D. Augustino lib. de dono perseverantiae cap. 4., aut veram carnem, aut animam, aut mentem Incarnato Verbo denegabant.

(6) Cum Christi cruciatus indicet symbolum Nicaenum, rursus Manichaeos perstringit corpus phantasticum Divino Redemptori tribuentes.

(7) Tandem Dominicae resurrectionis portentum Sadducaeis opponitur, qui dogma de resurrectione carnis inficiabantur.

scendit in coelum, venturus inde judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum Sanctum.

Eos autem, qui dicunt: erat tempus, quando non erat, et priusquam nasceretur non erat, et quia nullis existentibus factus est, aut ex alia substantia vel essentia dicunt esse *trepton*, hoc est convertibilem, et mutabilem Filium Dei: hos anathematizat Catholica et Apostolica Ecclesia (1) =.

En fidei Nicaenae expositio, seu symbolum, quod Ecclesiae omnes, ac orientales praesertim maximo in honore semper habuere.

§. XVII.

Pro Verbi divinitate strenue quidem pugnatum est a Patribus concilii Nicaeni, nihil tamen de Paracleto definitum: nam *de Ario*, inquit Hieronymus, *non de Origene tunc quaestio fuit: de Filio, non de Spiritu Sancto: confessi sunt, quod negabatur, tacuerunt, de quo nemo quaerebat* (2). Quoniam vero non longe post Macedonius in divinitatem Spiritus Sancti praelium instituit; quoniam Ipsius a Patre processionem

(1) Hosius Cordubensis Episcopus, qui Nicaeno concilio interfuit velut Rom. Pontificis Legatus, auctor praecipuus fuit hujusce symboli, quod integrum heic traduximus ex actib. ejusdem concilii extant. apud Labbeum collect. concil. tom. 2. ad an. 325.

(2) Ep. ad Pammachium 41.

oppugnare coepit Eunomius: tum eorum ausibus restitit an. 381. Concilium Oecumenicum II., aliamque fidei professionem vulgavit; quae professio ab urbe, in qua condita est, *symbolum Costantinopolitanum* appellatur. Saepe apud Latinos in Missa recitari solet hoc symbolum, quod idem est ac Nicaenum fusius explicatum, atque in pluribus auctum. Additiones hujusmodi ad sequentia potissimum capita referuntur.

1. Verbum dicitur ex Patre natum *ante omnia saecula:* hac ratione defenditur aeterna Verbi a Patre generatio adversus Ebionem, Paulum Samosatenum, et Photinum contra sentientes.

2. Dei Verbum expresse decernitur incarnatum *de Spiritu Sancto ex Maria Virgine,* tum ut ostendatur, Christum non de coelo carnem sumpsisse, sed vere natum esse per corpoream generationem; tum etiam ad tuendam integerrimam Deiparae virginitatem, cui maxime infensus erat Apollinarius.

3. Per adjecta verba *cujus regni non erit finis,* Christum non modo in coelos conscendisse, traditur, sed illuc quoque perpetuo regnaturum ad millenariorum delirium evertendum.

4. Spiritus S. ibi nuncupatur *Dominus et vivificans, a Patre procedens, cum Patre et*

Filio simul adorandus et conglorificandus. Quae voces Macedonium, et Eunomium penitus refellunt, cum ex hisce Paracliti Spiritus Divinitas, ejusque a Patre ineffabilis processio disertissime declaretur (1).

5. Cetera consequuntur ad veram Christi Ecclesiam pertinentia. Haec paucis *Una, Sancta, Catholica* et *Apostolica* vocatur, ut characteres pateant, quibus ab illa discernantur cunctae haereticorum sectae, quae nomine verae Ecclesiae immerito gloriantur.

6. Item *unum Baptisma in remissionem peccatorum* hoc symbolum profitetur contra Novatianos, qui Ecclesiam nullo jure culpas delere posse docebant (2).

§. XVIII.

Postremum fidei symbolum tandem accedat, quod praefert M. Athanasii nomen, ac, licet privati sit auctoris, adeo praeclare integram doctrinae catholicae veritatem exponit, ut ab Ecclesia probetur; ac veluti credendi norma universim habeatur. Num autem reapse hoc sit genuinum Athanasii

(1) Perquirenti, cur modo in symbolo Costantinopolitano legatur — Qui ex Patre *Filioque* procedit, — reponimus Concilium Lugdunense II. sub Gregorio X. saeculo 13. celebratum particulam *Filioque* huic symbolo addidisse contra graecos schismaticos, qui a Patre quidem, non a Filio S. Spiritum procedere adhuo etiam pertinaciter contendunt.

(2) Videantur Christiani Lupi scholia, et notae in canones Constantinopolitanos.

opus, disputant invicem scriptores. Sententiam affirmantem tenent Augustodunense Concilium, Regino, Hincmarus Remensis, Otho Frisingensis, aliique permulti, qui a saeculo septimo ad undecimum usque floruere. At recentiores critici adversantem partem sectantur, nec leves afferunt de veterum opinione dubitandi rationes. Inquiunt enim 1. Si D. Athanasius symbolum conscripsit, cur illud non reperitur in antiquissimis codicibus, qui opera athanasiana complectuntur? 2. Ipse Pater neque data opportunitate memorat hoc symbolum: quod quidem memorare non poterat, cum fateatur in ep. ad Antiochenses a symbolis condendis se esse maxime alienum. 3. Si ab Athanasio fuisset illud exaratum, tanti Patris auctoritate usi profecto essent ceteri Patres coaevi vel suppares ad revincendos Nestorium, Eutychen, Macedonium, et Graecos Schismaticos, quorum omnium haereses in praefato symbolo refutantur. At non modo Patres hoc per tria saecula non adhibuere, sed neque in eorum operibus meminerunt. 4. Ibi demum vox *homousion* non usurpatur, quam certe non praetermisisset Athanasius, ut accurate Verbum Patri consubstantiale significaret. Quibus attentis, alteri, praeterquam D. Athanasio, adjudicandum fore symbolum, de quo disseritur,

neoterici concludunt (1). Hactenus de fidei theologicae objecto.

ARTICULUS QUARTUS



De interioris Fidei necessitate.

§. XIX.

Antequam de necessitate fidei disputatio instituatur, aequum est potissimum animadvertere 1. aliquid necessarium dici posse necessitate vel *medii*, vel *praecepti*. Juxta communem TT. doctrinam illud est de necessitate *medii*, cujus omissio etiam inculpabilis impedit, ne salus aeterna acquiratur. Prior haec necessitas *simplex* et *absoluta* vocari solet, si nullam substitutionem admittat: *secundum quid* vero, si, re necessaria deficiente, per aliud suppleri possit. Utriusque necessitatis exemplum habemus tum in gratia sanctificante, sine qua nemo salutem consequitur; tum in Baptismo, cujus vicem supplet ejusdem suscipiendi votum, aut martyrium. Quidquid autem ita jubetur, ut, eo absque culpa praetermisso, salus

(1) Posterioris sententiae propugnatores in incerto versantur, dum exquirunt, cuinam sit adscribendum symbolum Athanasianum. Plures Eusebium Vercellensem, aliqui Anastasium Sinaitam, alii Vigilium Tapsensem, nonnulli Vincentium Lirinensem dicunt ejusdem symboli auctorem. Hac de re conferri poterit Nat. Alex. hist. eccles. saec. 4. cap. 6. art. 8.

quoque obtineatur, necessitate tantum *praecepti* dicitur necessarium. Talis est sumendae Eucharistiae necessitas tempore paschali, a qua ob impotentiam physicam vel moralem quispiam excusatur. 2. Adnotandum est praeterea de fide habituali sermonem hic non haberi; hanc siquidem omnibus indiscriminatim absolute necessariam fore, certum est, quemadmodum certo constat de necessitate gratiae sanctificantis, cum qua fidei habitus infunditur in Baptismo. 3. Addendum etiam, de adultis, non de infantibus agi: in hisce namque fides actualis non requiritur, cum nemo ad impossibilia teneatur.

§. XX.

Hisce ab exordio praemonitis, cum explorandum sit in primis, an, et quomodo necessaria sit adultis fides actualis, duplici propositione doctrina catholica exhibetur. Sit ergo

Propositio 1. Interna fides actualis pro omnibus adultis medium est ad salutem *absolute*, ac *simpliciter* necessarium.

Dem. Illud absolute necessarium est ad salutem, cujus defectu homo non justificatur, nec aeternam poenam evadit. Sed indubium est, neminem absque fide actuali justificari; inquit enim Apostolus ep. ad Hebraeos cap. 11. v. 5. *Sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet:* quae

voces non ad habitum fidei, sed ad ejus actum referuntur. Certum pariter est, sine fide actuali adultos damnari: hoc siquidem testatur Christus ipse in Evangelio Marci cap. 16. v. 16. dicens: *Qui non crediderit condemnabitur.* Ergo fides actualis est de necessitate medii absoluta.

Propositio 2. Necessitate quoque praecepti divini fides actualis est ad salutem necessaria.

Dem. E divinis oraculis haec veritas apertissime liquet. Nam Christus ait in Evangelio Marci cap. 1. v. 15. *Credite Evangelio:* item Joannes ep. 1. cap. 3. v. 23. *Hoc est mandatum ejus,* nempe Dei, *ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi.* Accedit auctoritas Ecclesiae, quae oppositam doctrinam rejecit hisce verbis contentam: = Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale, et secundum se =: = Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, et Charitatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium =. Primam ex hisce propositionibus ab Innocentio XI. sub N. 16., alteram ab Alexandro VII. sub N. 1. legimus proscriptam.

§. XXI.

Catholicae veritati, quam de fidei neces-

sitate probavimus, nonnulla obstare videntur.

Nam 1. Apostolus inquit ep. ad Rom. cap. 2. v. 13. et 14. *Factores legis justificabuntur.... gentes, quae legem non habent, naturaliter faciunt ea, quae legis sunt.* Unde sic inferri posset. Ad justificationem comparandam satis est, ut quis factor sit legis. Verum ut lex servetur non requiritur fides, cum vires naturales affatim sufficiant ex praemissis. Fides igitur ad salutem non est absolute necessaria.

2. Hujusmodi conclusio argumento facti roboratur. Etenim Cornelius Centurio, quem Actus Apostolorum cap. 10. summopere commendant, fide procul dubio carebat priusquam illi Petrus Evangelium nuntiaret. Nihilo tamen secius *vir religiosus* erat, *ac timens Deum...... faciens eleemosynas multas...... et deprecans Deum semper*: unde rescire meruit per Angelum, pia ejus opera ascendisse *in memoriam in conspectu Dei.* Cornelius ergo sine fide justificationem obtinuit.

3. Si fides absolute foret necessaria, innumeri damnarentur, qui nec fidem agnoscunt, et in *negativa* incredulitate decedunt. Cuinam vero in hac hypothesi tot animarum irreparabilis tribuenda perditio? Num Deo, qui misericors ac benignus est? Absit. Sa-

tius ergo erit de Deo in bonitate sentire, atque absolutam fidei necessitatem non admittere.

Nos tamen haec objecta vel minime implicant, quae ut particulatim enodentur, sic reponimus

Ad 1. Legem per se justitiam non conferre, sed bona opera necessario requiri, ut homo justificetur; haec sunt quae docet Apostolus in ep. ad Romanos, dum ait: *non auditores... sed factores legis justificabuntur.* Quid vero inde? Num, quia necessitatem operum denuntiat, fidem ab operibus divellit? Minime gentium. Quin immo, cum dicat in ep. ad Galatas cap. 2. v. 16. *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Christi,* fidem veluti absolutam conditionem jam ponit, sine qua nec opera prodesse possunt ad salutem. Dum autem Paulus ibidem asserit, *gentes, quae legem non habent, naturaliter* agere *quae sunt legis;* notamus vocem *naturaliter* idem non esse ac *solis naturae viribus,* quasi fides, et gratia forent inanes, sed significare *in statu naturae,* in quo gentes, quamvis lege scripta carerent, cordi tamen defixa tenebant eadem praecepta moralia, quae Moses tradiderat Judaeis. In veteribus Patriarchis id contigit, qui vel ante, vel etiam post Mosen sub lege naturae constituti, hanc

apprime servarunt, ac justificationem obtinuerunt. Quod quidem nec sine fide in Deum quem impense colebant, nec sine ope coelesti fieri potuisset, cum homo nequeat viribus naturalibus quoad finem supernaturalem promereri (1). Quibus explanatis omnino corruit argumentum innixum Apostoli auctoritati, cum, eodem testante, nisi fides potissimum accedat, opera legis neminem valeant justificare.

Ad 2. Quoad Cornelium pro certo affirmamus, eum nec fide, nec gratia caruisse: *non enim*, inquit Augustinus, *sine aliqua fide donabat, et orabat; nam quomodo invocabat, in quem non crediderat* (2)? Ita nobiscum sentit Angelicus, 2. 2. Q. 10. art. 4. ad 3. scribens: *De Cornelio sciendum est, quod infidelis non erat, alioquin ejus operatio non fuisset accepta Deo, cui sine fide nullus placere potest. Habebat autem fidem implicitam, nondum manifestata evangelica veritate.*

Ad 3. Eos, qui nunquam veram religionem agnovere, disponi *immediate* non posse ad fidem recipiendam, concedimus. Possunt *mediate* tamen, obstacula removendo, quae gratiam illuminationis impediunt, per custodiam legis naturalis, ad quam servan-

(1) Vide Augustinum Calmet comment. in ep. cit. ad Rom. cap. 2.

(2) Lib. de praedestinatione Sanctorum cap. 7.

dam omnes universim sufficiens habent auxilium. Ergo si pereunt, nil contra Dei bonitatem inferendum: quippe quod ipsi damnentur, non propter infidelitatem, quae, cum negativa fingatur, peccatum non est, sed ob peccatum originis, ac praesertim ob actualis legis naturae violationem, ex qua dono fidei impedimentum opponunt. Hac super re D. Thomam placeat audire quaest. 14. de veritate art. 11. dicentem: = Si aliquis in sylvis, vel inter bruta animantia nutritus ductum rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium, et Philippum ad Aethiopem servum reginae Candacis = (1).

§. XXII.

Probata, ac defensa internae fidei necessitate, quae *implicite* cuncta respicit divinitus revelata, quaeritur de necessitate *medii* quaenam explicite credenda sint ad salutem, quaenam de necessitate *praecepti?*

Pro duplici instantia nonnulla perpendantur.

(1) Non secus tradit D. Basilius in regulis brevior. interrog. 224. In idem quoque consentit D. Augustinus ep. 194. ad Sixtum cap. 6.

Animadversiones de iis, quorum fides necessaria est necessitate medii ad salutem.

1. Fidem expressam Dei non modo naturae, sed gratiae quoque et gloriae auctoris medium fore ad ultimum assequendum finem absolute necessarium, perspicue decernit Apostolus hisce verbis ep. ad Hebraeos cap. 11. v. 6. *credere.... oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Hinc jure ab Innocentio XI. sub N. 22. expuncta fuit sequens propositio: = Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris =.

2. Eadem ratione asserimus necessariam Christi Mediatoris fidem explicitam post Evangelii promulgationem (1). Id eruitur ex cap. 3. Joannis v. 14., ubi Divinus Reparator de se ipso ait: = Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam... Qui credit in eum non judicatur:

(1) Diximus — post Evangelii promulgationem —; in veteri namque lege ad justificationem opus quidem erat ut fidem haberent homines in revelatione fundatam de adventuro Servatore, quo Deus erga homines placatus redderetur: opus erat, ut in eo dumtaxat spem salutis reponerent: sed, Patriarchis, Prophetis, ac legis doctoribus exceptis, quibus explicatior erat fides, ceteri implicite credebant Redemptionis mysterium, cum illud signis tantum sacrificiorum iisdem proponeretur. Haec autem fides implicita ad justificationem tum sufficiebat.

qui autem non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei = : rursus cap. 17. v. 3. = Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum =.

3. Si ex dictis medium ad vitam aeternam penitus necessarium est Christum credere et agnoscere, quomodo ille poterit agnosci, nisi ejusdem Incarnatio, mors et resurrectio expresse credantur? De hisce igitur mysteriis necessaria quoque est fides explicita necessitate medii ad salutem.

4. Idem prorsus de ineffabili Trinitatis mysterio concluditur, cum fides explicita Incarnationis haberi nequeat, nisi Deus Trinus in Personis aeque credatur explicite. Nam, uti recte adnotat Angelicus 2. 2. quaest. 2. art. 8., *in mysterio Incarnationis hoc continetur, quod Filius Dei carnem assumpserit, quod per gratiam Spiritus Sancti mundum renovaverit, quod de Spiritu Sancto conceptus fuerit.* Patet ergo, quam merito Innocentius XI. hanc propositionem damnarit: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationis D. N. J. C.* (1).

(1) De Incarnationis, ac Trinitatis mysterio fidem implicitam ad salutem sufficere, et explicitam fore tantum de necessitate

Animadversiones circa ea, quae ex divino praecepto sunt explicite credenda.

1. Vi hujusce praecepti fides requiritur de iis, quae necessitate medii sunt explicite credenda: cum enim jure divino finem ultimum prosequi jubeamur, eodem jure mediis uti debemus ad hunc finem attingendum necessariis.

2. Item Apostolorum symbolum quoad singulos articulos tenendum est a fidelibus. Haec siquidem regula, *brevis* quidem *numero verborum*, sed *grandis pondere sententiarum* (1) summam continet Evangelicae doctrinae, quam Christus, et Apostolos nuntiare, et populos sub poena damnationis tum audire, tum credere praecepit (2).

praecepti, contendunt non pauci. Inter eos Dominicus Bannes 2. 2. quaest. 2. art. 8. ostendit, neo haereticnm esse, nec temerarium, neque scandalosum asserere, vitam aeternam aliquem assequi posse absque fide explicita Christi. Sed contrariam sententiam consulto hic amplexamur: huic enim suffragatur prae primis Doctor Angelicus in 3. dist. 25. art. 2. quaest. 2: haec a clarissimo Gotti Teolog. Schol. Dogm. tomo 10. tract. de Fide Quaest. 2. dub. 4. probabilior, ac tutior appellatur: haeo dicitur a B. Ligorio theolog. mor. tom. 1. lib. 2. tract. 1. cap. 1. communior, et probabilior: hanc denique sectandam in praxi docet Jo. Bapt. Dall'occa institut. Theolog. tom. 3. part. 1. tract. de virt. theolog. dissert. 1. cap. 4., -- cum agatur, inquit, de necessitate medii ad salutem; circa quam probabilitas, etsi esset major, non valet --.

(1) Ita Hipponensis Episcopus serm. 56. de verbis Evang. Mat. cap. 6. N. 1.

(2) Hoc praeceptum habetur in Evang. Marci cap. 16. v. 15. et 16.

3. Non secus de Decalogo sentiendum, cujus praecepta cum divinitus indicta fuerint, eorum explicita cognitio ac fides non poterat simul, implicite saltem, non indici.

4. Divinum etiam urget praeceptum quoad fidem Sacramentorum explicitam, ac praesertim Baptismi, Poenitentiae et Eucharistiae, quae sunt de necessitate medii vel praecepti Divini. Haec quippe cum rite suscipere jubeantur fideles, eorumdem vim et effectus apprime noscant et credant oportet, ut, qua decet ratione, ad ea valeant accedere.

5. Ad hoc praeceptum denique refertur oratio dominica, quam saltem quoad substantiam ab omnibus probe tenendam esse, docuit semper catholica Ecclesia, cum de illa Servator Christus peculiare tradiderit mandatum (1).

§. XXIII.

Interim divinum internae fidei praeceptum, de quo huc usque disseruimus, tale ne est, ut semper, vel quandoque tantum obligationem inducat? Ut accurate decernatur, quo tempore illud obliget, in subsidium advocanda est jam trita distinctio inter praeceptum *negativum*, et *affirmativum*.

(1) Vide apud Matthaeum cap. 6. v. 9. et seq.

Quoniam ejusmodi est praeceptum negativum, ut semper, et quovis tempore devinciat, ultro consequitur, semper vetitum cuique fore veritates divinitus revelatas inficiari, vel etiam in dubium revocare: nam utrumque Supremae Veritati maximam irrogat injuriam. Contra, si praeceptum sit affirmativum, semper quidem, non tamen omnibus in circumstantiis adstringit: unde patet, actus fidei nonnisi quibusdam temporibus esse eliciendos. At qualis norma statuenda? Res ut probe intelligatur, notamus, praeceptum fidei vel *per se* et ratione sui urgere posse, vel dumtaxat *per accidens*, nimirum ob alterum praeceptum, ad quod adimplendum actus fidei est necessarius.

Quo posito, dicimus, obligare *per se* divinum hoc praeceptum 1. initio usus rationis, cum satis proposita fuerit divina revelatio. Quoniam enim de iis agitur, quae sunt de necessitate vel medii, vel praecepti: in primo casu delinquit homo si fidei non praestet assensum, cum negligat medium ad salutem omnino necessarium: item in altero peccat, cum divino praecepto in re gravi obliganti voluntarie non obtemperet. Illud etiam accedit, quod, cum primum quis possit, ex ipsa naturae lege in Deum, ut in ultimum finem se se dirigat necesse est. Ad hoc autem requiri fidem actualem, ne-

mo est quin agnoscat, *non enim ad Christum ambulando currimus, sed credendo* (1).

2. Pluries obligat fidei praeceptum in vita. Huic doctrinae perfice congruunt Apostoli verba: *justus ex fide vivit* (2). Nam si justus ex fide vivit, consequens est, vitam spiritualem per fidem servari. Quemadmodum igitur crebro sumendus est cibus, quo corpus nutriatur, et vivat; non secus et fidei actus a nobis iterandi, ne vitam gratiae amittamus. Idipsum plane confirmat Innocentii XI. auctoritas, qui binam hanc propositionem sub N. 17. et 65. rejecit. = Satis est actum fidei semel in vita elicere = Sufficit mysteria *Trinitatis*, et *Incarnationis* semel credidisse =.

3. Credere quoque tenemur, gravi urgente adversus fidem tentatione, quae nonnisi per actum sibi contrarium vinci possit.

4. Internus actus fidei praecipitur, cum emittenda sit externa orthodoxae religionis professio; haec enim ab illo sejuncta fidei simulatio foret,

5. Idem ab eo praestandum est, qui prolapsus fuerit in haeresim, ut per actum illi oppositum injuriae, quam intulit Divinitati, satisfacere conetur.

6. Tandem in discrimine mortis urget

(1) Ex D. Augustino tract. 26. in Joan. cap. 3.

(2) Ex ep. ad Galatas cap. 3. v. 11.

quam maxime fidei praeceptum. Etenim si in vitae decursu Deus colendus est per actus virtutum theologicarum, id eo magis fieri debet in momento, a quo pendet aeternitas.

Per accidens autem instat praeceptum fidei

1. Quotiescumque ad justificationem per Sacramenta disponimur; fides namque juxta Tridentinum sess. 6. cap. 8. *est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis.*

2. Itidem cum tentatio gravis adversus aliam virtutem insurgat, quae sine actu fidei nequeat superari; tum, quoniam uti jubemur mediis ad culpam devitandam necessariis, sumendum nobis est, ut ait Apostolus ad Ephesios cap. 6. v. 16., *scutum fidei, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere.*

3. Quoties demum celebranda sint festa Ecclesiae auctoritate constituta, toties actus exercendi sunt religionis, qui fidem actualem saltem implicitam requirunt.

ARTICULUS QUINTUS

De externa Fidei professione.

§. XXIV.

Fides, inquit D. Augustinus, *officium a nobis exigit cordis, et linguae* (1) : nam *quid prodest corde credidisse ad justitiam, si os dubitet proferre quod corde conceptum est* (2)? Non modo igitur divinum praeceptum circa interiores actus versatur, sed ad extrinsecos etiam extenditur, et, qua parte affirmativum est, jubet, fidem exterius profiteri. Dilucide patet haec veritas ex epistola D. Pauli ad Romanos cap. 10. ita scribentis: *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris: corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Quibus ex verbis argumentum sic inferimus. Illud praecepto divino subjicitur, quod medium est ad salutem necessarium (3). Sed *oris confessio* ab Apostolo decernitur ad salutem necessaria. Ergo ad externam fidei professionem ex praecepto divino affirmativo obligamur.

Quando porro haec urgeat obligatio, no-

(1) Lib. de Fide et Symbolo cap. 1.
(2) Sermone de Apostolo Paulo N. 7.
(3) Vide Institut. super. §. XXII.

scimus ex Angelico, qui 2. 2. Quaest. 3. art. 2. in corpus ait: = Confiteri fidem non semper, et in quolibet loco, et tempore est de necessitate salutis, sed in aliquo loco et tempore, quando scilicet per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, et etiam utilitas proximis impendenda; puta si aliquis interrogatus de fide taceret, et ex hoc crederetur vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem removerentur a fide. In hujusmodi enim casibus confessio fidei est de necessitate salutis =. Item ad 2. sic pergit: = Ubi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem suam aliis propalare vel ad instructionem aliorum fidelium, sive confirmationem, vel ad reprimendam infidelium insultationem =.

Hactenus D. Thomas, quo duce, universim TT. sequentia concludunt.

1. Fidem quisque profiteri debet etiam cum discrimine vitae, si auctoritate publica de illa interrogetur: id profecto exigit Dei simul ac religionis honor, qui et bono vitae praeferendus est. Hoc aperte indicat ipsemet Christus in Evang. Lucae cap. 9. v. 26. dicens: *Qui me erubuerit, et sermones meos, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua.* At quis non videt, erubescere Christum, qui in iis cir-

cumstantiis fidem non profitetur? Suffragatur huic conclusioni Rom. Pont. Innocentius XI., qui oppositam sententiam in hac absurda propositione sub. N. 18. damnavit. = Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri ut Deo et fidei gloriosum consulo: tacere ut peccaminosum per se non damno =.

2. Etiamsi a publica auctoritate interrogatus non sit, fidei tamen confessionem praetermittere nequit catholicus, si ex ejus silentio consequatur religionis contemptus, si ceteri scandalum patiantur, si infideles magis in errore confirmentur. Notandum vero, quod cum de propria fide a privata persona privatim ille perquiratur, si taceat, secluso semper religionis dedecore, ac spirituali proximi detrimento, culpandus non erit.

3. Pariter si religio ab infidelibus calumniis afficiatur, ejusve dogmata impugnentur, prudenter adversariis obsistendum erit. Diximus *prudenter:* nam, si quis ob scientiae defectum impar sit huic oneri subeundo, vel si etiam praevideat, impios ex ejus oppositione in fidem audacius insurrecturos, tum disputationem absque noxa vitare poterit, cum ad actum inutilem, nedum periculosum nemo teneatur. Quin immo tacere debebit, ne occasionem exinde sumant in-

fideles acrius desaeviendi in Ecclesiam; ne magis ideo fideles vexentur; ne, cum de religione quaesitus non sit, discrimini fidei ob tormentorum metum ejurandae ipse temere se se committat.

§. XXV.

Divinum quoque praeceptum extare cuique vetans fidem sive ex animo, sive tantum simulate abnegare, triplici ex capite demonstratur (1).

E Sacris Literis id liquet in primis: inquit enim Christus in Evangelio Matthaei cap. 10. v. 33. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo.* Ex quo manifestum est, sub aeternae damnationis poena abnegationem fidei prohiberi.

Res adhuc judicio et praxi firmatur Ecclesiae, quae fidei negationem quamquam terrore mortis, ac suppliciorum extortam,

(1) Hujnsmodi catholicam veritatem ex parte saltem inficiati sunt post Basilidem Helceseitae saec. Eccl. 3., qui, teste Eusebio lib. 6. hist. Eccl. cap. 38., docuere -- indifferentem rem esse Christum abnegare, et eum, qui sapit, ore quidem tenus in ipso discrimine negaturum esse, sed non ex animi sententia --. Idem senserunt et Priscillianistae saec. 4., qui, cum fas esse traderent, juramento etiam adhibito, mentiri, vnlgatum illud in daliciis habebant effatum:

Jura, perjura, secretum prodere noli.

Eidem errori lubenter adhaeserunt tum Calviniani, tum Anabaptistae, ideo *Clancularii* appellati, tum demum racentiores libertini.

veluti enorme crimen semper habuit, atque jam saeculo 2. et 3. gravissimis poenis in desertores animadvertere consuevit (1).

Huc postremo ratio naturalis accedit, qua sic argumentamur. Fides vel ex animo negatur vel simulate. Primum per se malum est, quia, fides cum in hypothesi falsa censeatur, peccatum admittitur infidelitatis, quod divinam Veracitatem offendit. De altero idem sentiendum, quia mendacium est, et quidem in re maximi momenti, cum verbis aut facto probetur quod interius rejicitur. Ergo in utroque casu fidem ejurare per se ac intrinsece malum est. Sed quidquid per se ac intrinsece malum est Divino interdicitur praecepto. Ergo fidei negatio divinitus prohibetur.

Ita unanimi sensu docent Catholici Scriptores, qui pro multiplici ratione, qua contingere potest hujusmodi praecepti violatio, plura quoad praxim veluti consectaria deducunt. Quaenam porro ea sint, brevi conspiciamus.

1. Itaque fidem abnegat, et *apostata* jure vocatur qui rogatus de religione, quam profitetur, asserit se Christianum vel Catholicum non esse: tum enim se veram Christi

(1) Consule D. Cyprianum, tum in lib. de Lapsis, tum in ep. 15: 31. 52.

fidem non tenere apertissime declarat (1). Eadem prorsus culpa irretitur, qui peculiari sectae, aut falsae religioni se addictum ostendit: nam veram religionem necessario deserit, qui falsam protestatur.

2. Uti serio non licet signis aut vestimentis, quae ordinantur ad falsi cultus protestationem. Quid namque est signa aut vestes id generis deferre, nisi falsam religionem *facto* mentiri? At si nefas omnino eam *verbo* mentiri ex nuper enuntiatis, utrumque sane peccatum erit, quia *non refert*, inquit D. Thomas 2. 2. quaest. 3. art. 1., *an quis verbo, aut quocumque alio facto mentiatur*. Verum si de signis agatur ac vestibus, quae sunt non infidelitatis notae, sed nationis, tum profecto nil obstat, quin a Christianis apud infideles commorantibus haec assumantur, vel ut regionis moribus ipsi conformentur, vel etiam, ut justa de causa propriam fidem occultent (2). Exemplo sint nobis inter veteres Joseph et Daniel, quorum alterum Aegyptiorum ornatus, al-

(1) Ad rem nostram inquit D. Augustinus tract. 113. in Joannem: — debemus advertere, non solum ab eo Christum negari, qui dicit eum non esse Christum, sed ab eo etiam, qui, cum sit, negat se esse Christianum —.

(2) Diximus usurpari posse signa alienae nationis ad fidem occultandam: etsi enim falsam sectam nunquam liceat simulare; interdum tamen licet veram occultare, exceptis casibus §. XXIV. enumeratis, in quibus fidei exterius confitendae positivum urget praeceptum.

terum Babylonica indumenta citra culpam gestasse e Sacris Literis agnoscimus (1).

3. Eo magis autem vetitum est cum damnata secta in Sacris communicare, eo quod in ritibus alienae religionis se se immiscere idem est ac veram fidem abdicare. Id liquido constat ex Apostolo dicente ep. 1. ad Corinthios cap. 10. v. 20. *Non potestis mensae Domini participes esse, et mensae daemoniorum.*

Quapropter fidei desertor primum habendus esset, qui ad mortem vitandam, licet simulate, coram idolo genuflecteret, thus adoleret, funderet preces, aliave consimilia praestaret, quae ad ethnicae superstitionis professionem per se determinantur: neque excusari posset, etiamsi ad verum Deum, vel ad latentem Christi imaginem hosce actus mente converteret, uti S. Congregatio de propaganda fide sub Innocentio XI. decrevit.

Secundo. Non secus delinqueret in fidem qui cum alterius offendiculo cibis vesceretur, quorum usus vel falsae religionis professionem, vel abnegationem verae designaret (2). En ratio, cur in Jerosolymitano

(1) Geneseos cap. 41., Daniel cap. 2. Vide Tertullianum lib. de Idolol. cap. 17.

(2) Hac de causa legimus in utroque foedere sanctissimos viros mortem oppetere paratos, ne tanto crimine inficerentur. Sic Eleazarus maluit ad supplicium rapi, quam esu carnium immundarum

Concilio Apostoli jusserint, ut fideles ab *immolatis simulacrorum* abstinerent (1). En ratio, cur gravem noxam non evaderet qui degens apud eterodoxos, ne catholicus videretur, diebus vetitis carnes ederet non sine scandalo et Ecclesiae contemptu (2).

Tertio. Peraeque sentiendum de eo, qui, praeter Baptismum, necessitate cogente, etiam ab ethnico, vel judaeo ministrandum, Sacramenta reciperet ab haereticis: hoc enim esset cum aliena secta in spiritualibus commercium habere (3).

4. Neque viro catholico templa infidelium, vel haereticorum ingredi fas est, ibique aut conciones audire, aut sacris caeremoniis adesse. Etsi namque fingatur, eorum rituum hunc fieri nolle participem; persaepe tamen scandali ac subversionis in fide

divinam transgredi legem, vel ejus etiam fingere violationem (lib. 2. Machab. cap. 6.) Sic Daniel escam de mensa regis abhorruit, quae in cultum idolorum apponebatur (Dan. cap. 1.) Sic Lucianus Martyr in carcere detentus fame confici passus est, quin carnes immolatitias sibi traditas degustaret: (ex Spondani annal. ad an. 311.)

(1) Actorum cap. 15. v. 19.

(2) Contentiones, quae hac super re a Scriptoribus moventur fuse videri poterunt disputatae tum apud Gotti theolog. Schol. tom. 10. alias cit. tract. de fide quaest. 4. dub. 5. §. 4., tum apud Tournelii continuat. tom. 3. tract. de Decal. cap. 1. sect. 2. punct. 3. quaest. 9.

(3) Hinc praeclara D. Hermenegildi constantia, qui, ab Episcopo Ariano Eucharistiam cum sumere nollet, saevissimi patris nutu gloriosum pertulit martyrium.

periculum non deest. Quare disertis verbis id vetuit Paulus V., qui Angliae catholicis scitantibus, num legi templa haereticorum cunctis adire jubenti obsequendum; respondit: = Cogimur monere vos, et obtestari, ut nullo pacto ad templa haereticorum accedatis, aut eorum conciones andiatis, vel cum ipsis in ritibus communicetis: non enim licet vobis hoc facere sine detrimento Divini cultus, et propriae salutis =. Verum haud impedit Romani Pontificis responsum, quominus, utroque periculo remoto, justis ex cansis haec templa introire quis possit: quae causae sunt *necessitas, utilitas* et *officium*. Necessitatis ergo illuc se se recipere quisque poterit ad mortem, aliudve discrimen, aut incommodum vitandum: ob utilitatem ei, qui in religionis negotio satis versatus est, non modo ibi intrare licebit, sed exaudire conciones, vel caeremonias spectare, ut pernoscat, quid doceant haeretici, quid gerant, ad facilius eorum errores detegendos, refutandosque: ratione tandem officii et miles ibidem consistere poterit ad crimina impedienda, ad ordinem servandum; et servus, ut domino infideli in iis dumtaxat, quae sunt muneris civilis, famuletur. Imo nec censura vexandi qui ad curiositatem explendam has aedes introgrediuntur ut earum structuram, elegantiam, magnificentiam circumspiciant.

§. XXVI.

At si ex Divino praecepto nemini falsam religionem simulare licet: quid 1. de Eliseo dicendum, qui Naaman Syro principi militiae sivit, ut, rege adorante in templo Remmon, et ipse adoraret (1)?

2. Quid de Jehu, qui ut cultores Baal disperderet finxit hoc idolum se colere velle, jussitque *grande sacrificium?* Ex eo autem promeruit hisce verbis a Deo commendari: *studiose egisti quod rectum erat, et placebat oculis meis* (2).

3. Quid de ipsomet Apostolo Jerosolymis ritu mosaico se se purificante quo tempore lex judaeorum jam fuerat abrogata (3)? Idem Paulus nonne de se inquit: *factus sum judaeis tamquam judaeus, ut judaeos lucrarer* (4)?

4. Quid postremo de nonnullis, qui, ut everterent idola, se se iisdem sacrificaturos tyrannis promiserant? Hosce vero in albo Sanctorum recensuit, ac veneratur catholica Ecclesia (5).

Ex hisce nihil adversus ea, quae superius

(1) Lib. 4. Regum cap. 5. v. 18.
(2) Ibidem cap. 10. v. 30.
(3) Actorum cap. 21.
(4) Ep. 1. ad Corinthios cap. 9. v. 20.
(5) Apud Surium in vit. Sanct. ad diem 9. Januarii ac Februarii.

tradidimus inferri, quadruplici responsione commonstratur.

Responsio 1. Quae de Eliseo objiciuntur explanat sacer ipse textus heic necessario consulendus. Dum a lepra Naaman mundatus esset sic Prophetam alloquitur: *Non faciet ultra servus tuus holocaustum et victimam Diis alienis, nisi Domino. Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur Dominus meus templum Remmon, ut adoret, et illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re. Qui dixit ei*, Eliseus, *vade in pace.* Porro e contextu liquet, Naaman idolorum cultum palam abdicasse, ut Deo judaeorum deserviret: liquet pariter eo loci adorationem pro actu religioso non sumi, sed pro simplici corporis flexione ad regem sustinendum necessaria. Ergo nil aliud concessit Eliseus, quam civilis muneris exercitium, quod nec ne in templo liceret, Naaman ab idololatria recens conversus adhuc ignorabat. In hoc igitur falsae religionis simulatio nulla: ait enim Tertullianus (1): *si propter sacrificium vocatus adsistam, ero particeps idololatriae: si me alia causa con-*

(1) Lib. de Idololatria cap. 16.

jungit sacrificanti, ero tantum spectator sacrificii (1).

Responsio 2. Simulationem Jehu, juxta D. Augustinum, *mendacium impium, et sacrificium sacrilegum* appellamus (2). At cur in Sacris Libris ille commendatur? *Commendatur*, subdit Angelicus; *et temporaliter remuneratur a Deo non pro simulatione, sed pro zelo, quo destruxit cultum Baal* (3).

Responsio 3. Cum primo Evangelicae praedicationis aevo mortua quidem foret lex vetus, sed non adhuc mortifera (4), usurpari poterant absque simulatione falsae religionis judaeorum caeremoniae, quae, si

(1) Non una est in hunc locum interpretum solutio. Aliqui cum Contensonio theolog. ment. et cord. lib. 8. dissert. 2. cap. 2. specnlat. 3. in Corol. arbitrantur Naaman revera peccasse, et verba Elisei non *probativa*, sed *tolerativa* fuisse: adeo nt cum ille dixisset: *vade in pace*, Naamano pollicitus esset futnrae cnlpae remissionem, si cum Rege Benadad Remmon adorasset. Haec tamen sententia plerisqne non arridet, cum credendum non sit, prophetam id sinere, atque in re tanti momenti dissimulare potuisse. Alii, nt a difficultate quavis protinus expediantur censent, veniam de praeterito, non de futuro, Naaman postulasse. Ita sentit Calmetus in peculiari dissert. lib. 4. Regum praeposita, qui pro se utrnmque textum profert Hebraenm, et Chaldaicum, nec non Bocharti, Valterii, Glassii, aliorumque eruditorum suffraginm. Sane posterior haec opinio opportuna foret, nisi Vulgatae, atque judicio fere omnium catholicorum adversaretur. Hinc apparet omnibus praeferendam esse solutionem, quam hic recepimus cum Cajetano, Estio, Menochio, Cornelio a Lapide, Natali Alexandro, Tirino, ac ceteris, quos in Bibliae Sacrae commentariis tom. 6. refert Burgensis.

(2) Lib. contra mendacium ad Consentium cap. 2.

(3) Haec habet D. Thomas 2. 2. quaest. 3. art. 1. ad 2.

(4) Vide Institutionum lib. 2. §. XXIII.

non futuram, certe praeteritam Christi mortem significabant. Apostolus ergo mosaicos ritus exercendo Christi fidem non abnegavit. Nec obstat, quod cum judaeis judaeus esset, ut ipse fatetur; omnibus enim omnia factus erat, inquit Augustinus, *compatiendo, non mentiendo* (1).

Responsio 4. Martyres, quorum acta generatim nobis objectantur, si reapse, uti traditur, simularunt, a culpa formali ob ignorantiam facile excusantur. Vel potius dicendum, eos, non ficte, sed ironice loquutos, ut inanes Deos, eorumque cultores subsannarent; aut etiam restrictionem late mentalem adhibuisse, quam ethnici plane detexissent, si vim verborum attente scrutassent (2).

§. XXVII.

Quamquam Divini praecepti, de quo disseruimus, tanta sit obligatio, ut quisque, cum opus fuerit, sanguinis etiam dispendio fidem exterius profiteri teneatur; viro tamen catholico persecutionis tempore latitare non interdicitur, vel etiam fugam ca-

(1) Ita Priscillianistis reponit D. Augustinus lib. contra mendacium cap. 12. qui Apostoli auctoritate et exemplo abutebantur.

(2) Ad haec conferantur, quae animadvertit praecit. Gotti ibid. dub. 4. §. 3.

pessere. Luculentissimum hac de re testimonium perhibet Christus in Evangelio Matthaei cap. 10. v. 23., ubi sic Apostolos adhortatur: *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam* (1). Quod autem verbis ille docuit, idipsum exemplo firmavit: cum enim nondum advenisset hora, qua pro mundi salute in manus nocentium traderetur, pluries judaeorum furorem devitavit (2). Christum imitati sunt Apostolorum Principes Petrus et Paulus, quorum alter e vinculis ope angelica solutus ab herodiano gladio se subduxit; alter insidias praepositi damasceni furtim evasit (3). Eadem vestigia, cum ad necem conquirerentur, sectati sunt tum Romani priorum Ecclesiae saeculorum Pontifices, quos in cryptis, et arenariis urbis delituisse docet historia, tum ceteri martyres, et confessores quamplurimi, inter quos eminent potissi-

(1) Hasce voces nonnisi de persecutione contra fidem intelligendas esse, eruitur e sermonis contextu: nam ibidem praeced. v. 22. dixerat Christus: -- Eritis odio omnibus propter nomen meum --.

(2) Id constat ex Matthaei cap. 12. v. 15., Lucae cap. 4. v. 30., et Joannis cap. 7. v. 1., qui posterior haec refert: -. Ambulabat Jesus in Galilaeam; non enim volebat in Judaeam ambulare, quia quaerebant eum Judaei interficere --. Ad quae verba ita animadvertit Augustinus tract. 28. in Joan. N. 1. -- Futurum erat, ut aliquis fidelium. . absconderet se, ne a persecutoribus inveniretur; et ne illi pro crimine objiceretur latibulum, praecessit in capite quod in membro confirmaretur --.

(3) Actorum cap. 12. ep. 2. ad Corinthios cap. 11. v. 33.

mum Cyprianus et Athanasius. Horum postremus cum diris conviciis a Leontio ariano episcopo ob fugam carperetur, apologiam pro se contexuit, ibique veritatem, quam adseruimus, absolutissime propugnavit (1). Quod Christi, Sanctorumque verbis et exemplis hactenus probatum est, id ratione quoque suadetur. Etenim, ingruente contra fidem persecutione, fuga de se negatio fidei non est, sed potius virtualis confessio; cum non aufugeret, sed staret qui fidem deserere vellet.

Expediet autem fugam arripere, vel se se occultare si e tormentorum praevisa atrocitate probabilis in fide lapsus timeatur; si martyrium nulli sit profuturum; si Ecclesiae utilitati conferat vitae conservatio. Exinde liquet, animarum pastores tum discrimen fugiendo avertere posse, cum in eos tantum commota fuerit persequutio, nec salus christianae plebis, iisdem absentibus, periclitetur. Contra vero si gregem vexatio perturbet; si eidem spiritaliter juvari nequeat aliorum ministerio; si praesentia pastoris requiratur, ne grex vel blanditiis deceptus, vel minis territus desciscat: tum pro duplici caritatis, ac justitiae munere usque

(1) Vide hujusce Patris apologiam de fuga sua dum a Syriano duce persequutionem pateretur op. tom. 1. part. 1. Ed. Pat. an. 1777. p. 127.

ad quaestionem, usque ad sanguinis effusionem ille manere cogitur; *bonus* enim *pastor*, inquit Christus Joannis cap. 10. v. 11., *animam suam dat pro ovibus suis.* De Fide satis.

CAPUT SECUNDUM

DE SPE.

ARTICULUS PRIMUS

Expenditur natura Spei, ejusque divisiones recensentur.

§. XXVIII.

Spes generatim si conspiciatur juxta philosophos dici potest: *Motus appetitus bonum absens, arduum ac possibile efficaciter prosequentis.* Definitio particulatim dilucidatur.

Spes est *motus appetitus* vel rationalis vel sensitivi, qui fertur in aliquid apprehensum ut bonum, ac naturae humanae consentaneum: unde liquet, spem ad voluntatem pertinere, non ad intellectum, cujus objectum non est bonum, sed verum.

Spes est motus appetitus aliquid *efficaciter prosequentis:* haec siquidem in simplici *velleitate* non consistit, sed inclinat animum ad media idonea et necessaria adhibenda,

quibus perveniri possit ad boni consecutionem.

Spes fertur in bonum *absens:* et hac ratione tum a metu, tum ab amore, tum a gaudio spes differt omnino. Metus namque est de malo; amor de bono sive absente, sive etiam praesente; gaudium de bono praesente, quo fruimur.

Spes tendit in bonum *arduum,* ac obtentu difficile. Bonum enim, quod quis nullo, aut levi consequitur labore, desideratur quidem, sed proprie non speratur, quemadmodum nec timetur malum, quod facile possit removeri.

Spes tandem appetit bonum *possibile:* nam, ut ait Angelicus 1. 2. quaest. 13. art. 5. *ad id quod est impossibile nullus movetur* (1).

§. XXIX.

In specie autem si consideretur, quatenus est virtus theologica, spes definiri solet: *Virtus supernaturalis, qua beatitudinem aeternam, ac media ad illam acquirendam nobis necessaria a Deo certa cum fiducia expectamus.*

(1) Heic adnotare libet, nonnullos malum etiam sperare pro timere dixisse: qua de re legitur Aeneid. lib. 4.

— Hunc ego si potui tantum sperare dolorem —.

Id vero impropria dictione: nam si proprie loquamur, spes nonnisi rerum bonarum est; quidquid enim ut malum repraesentatur, non spei, sed timoris est causa.

Spes theologica 1. dicitur *virtus*, et jure quidem, tum quia ipsius actus boni sunt juxta Davidica verba Ps. 117. *Bonum est sperare in Domino:* tum quia ex se ad bonum spes inclinat, hoc est ad finem ultimum hominis adipiscendum, quo nil praestantius potest excogitari.

2. *Supernaturalis* vocatur; cum naturae viribus acquiri nequeat, sed divinitus indita sit aeque ac ceterae virtutes theologicae, prouti constat ex Tridentino Concilio sess. 6. cap. 7., cujus verba (§. VI.) jam tradita fuere.

3. Hujusmodi virtus animum erigit *ad expectandam a Deo aeternam beatitatem, nec non media tanto fini congruentia:* quae voces designant tum objectum *materiale* duplex, *primarium*, et *secundarium;* tum objectum *formale* spei de quibus articulo sequenti speciatim agendum.

4. Eadem expectatio *certa* nuncupatur, quia divinis nititur promissis, et animum inter fluctus tentationum confirmat. De hac spei certitudine testis est Apostolus in ep. ad Timotheum 2. cap. 1. v. 12. ita scribens: *Scio cui credidi, et certus sum, quia potens est* Deus *depositum meum servare in illum diem:* item ep. ad Hebraeos cap. 6. v. 18. et 19. denuo ille ait: *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram ha-*

bemus animae tutam. Hinc. D. Augustinus in Ps. 123. N.2. inquit: = Spes autem nostra tam certa est, quasi jam res perfecta sit: neque enim timemus, promittente Veritate: Veritas enim nec falli potest, nec fallere =.

5. Adjicitur demum, beatitatem expectari *cum fiducia*, ut denotetur, quod, quamvis certa sit spes, attenta divina infallibilitate; nihilo secius dubitationem, ac metum salutarem nequit auferre. Haec quippe certitudo *absoluta* non est, sed *conditionalis*, cum a quibusdam conditionibus dependeat; nempe a divinorum praeceptorum custodia, a recto usu gratiae nobis concedendae, a perseverantia usque ad exitum vitae; de quibus incerti sumus. Equidem si ex parte nostri spes certa foret, nec Apostolus diceret: *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time* (1): *qui se existimat stare, videat, ne cadat* (2): *cum metu et tremore vestram salutem operamini* (3). Hanc veritatem perspexere SS. Patres, inter quos Hieronymus Eustochium sic hortatur: = Nolo tibi venire superbiam de proposito, sed timorem. Onusta incedis auro, latro tibi vitandus est. Stadium est haec vita mortalibus; hic contendimus, ut alibi coronemur. Nemo inter

(1) Ep. ad Romanos cap. 11. v. 20.
(2) Ep. 1. ad Corinthios cap. 10. v. 12.
(3) Ep. ad Philippenses cap. 2. v. 12.

serpentes et scorpiones securus ingreditur... quandiu hoc fragili corpore detinemur, quandiu habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, et concupiscit spiritus adversus carnem, et caro adversus spiritum, nulla est certa victoria = (1). Hieronymo accedit Augustinus in cap. 39. libri Job dicens: = Nisi gaudium spei nostrae cum tremore damnationis esset, in nobis negligens esset ipsa securitas, et superba praesumptio = (2). Iisdem suffragatur Leo M. dum ait: = Haec sanctis causa tremendi ac metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati deserantur ope gratiae, et remaneant in infirmitate naturae = (3).

§. XXX.

Quae hic breviter attigimus de spei theologicae natura si cum principiis conferantur jam traditis de fide (§. VI. et XII.), cuique compertum erit hasce virtutes inter se quam maxime differre. Assensum enim intellectus fides requirit: spes in motu voluntatis consistit. Fides circa Deum versatur quatenus est Summa Veritas: spes fertur in Deum quatenus est Summum Bonum possidendum. Qua de re cum et actibus et

(1) Ep. 22. De custodia virginitatis.
(2) Annotat. in lib. Job. cap. 39. v. 23.
(3) Sermone 8. de Epiphania cap. 3.

objecto formali virtutes hujusmodi praecipue distinguantur, sponte consequitur unam alteram non esse. Tantum vero discrimen haud agnoscunt novatores, cum doceant fidem aliud non esse, quam in divina bonitate, et misericordia fiduciam (1). At eos oppido hallucinari, tum e Sacris Literis, tum ab Ecclesiae auctoritate, tum denique a ratione sic aperte demonstratur.

Argumentum 1. Spem a Fide penitus distingui, Divinae Scripturae non semel ostendunt. Nam in ep. ad Ephesios cap. 3. D. Paulus de Christo sermonem habens inquit v. 12. *In quo habemus fiduciam, et accessum in confidentia per fidem ejus.* Porro, si per fidem confidentiam et fiduciam habemus, fides non est fiducia, sed potius ipsius causa: secus diceretur, fiduciam haberi per fiduciam, quod absurdum est. Sed clarius adhuc idem Apostolus rem explicat hisce verbis in ep. 1. ad Corinthios cap. 13. ad calcem: *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria haec.* Duo igitur distincta sunt fides, et spes. Si distincta, ergo fides cum spe confundenda non est.

Argumentum 2. Firmatur haec veritas Ec-

(1) Hunc errorem potissimum tradidere Lutherus in serm. Domin. 2. Quadrag., Melancton in August. confes., et Centuriatores Magdeburg., adversus quos consulatur Bellarminus disput. tom. 4. controv. 3. gen. controv. princip. 2. de justificat. lib. 1. cap. 6.

clesiae catholicae auctoritate, quae in Synodo Tridentina sess. 6. cap. 6. decernit in primis ad justificationem peccatores disponi *fidem ex auditu concipientes, ac libere* moveri, *in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata, et promissa sunt.* Deinde, paucis interjectis, de iisdem ita subdit: *A divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore.* Ex hisce manifesto apparet, in peccatore se se ad justificationem disponente spem a fide praecedi. Si fides spem antecedit, fides sine spe consistere potest. Sed e duobus, quorum unum sine altero consistere possit, unum alterum non est. Ergo fides et spes duo sunt reapse diversa.

Argumentum 3. In idem postremo consentit ratio naturalis, qua duce, sic D. Augustinus concludit Enchiridion cap. 8. = Est itaque fides malarum rerum, et bonarum, quia et bona creduntur et mala. Est etiam fides et praeteritarum rerum, et praesentium, et futurarum. Credimus enim Christum mortuum; quod jam praeteriit: credimus sedere ad dexteram Patris; quod nunc est: credimus venturum ad judicandum; quod futurum est. Item fides et suarum rerum est, et alienarum. Nam et se quisque credit

aliquando esse coepisse, nec fuisse utique sempiternum; et alios, atque alia: nec solum de aliis hominibus multa, quae ad religionem pertinent, verum etiam de Angelis credimus. Spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, et ad eum pertinentium, qui earum spem gerere debet. Quae cum ita sint, propter has causas distinguenda erit fides ab spe, sicut vocabulo, ita et rationabili differentia =.

§. XXXI.

Spes Theologica perinde ac fides 1. in *habitualem* et *actualem* dividi solet. Spes habitualis est habitus supernaturalis, seu facultas divinitus infusa in homine permanens, ac voluntatem inclinans ad actus spei exercendos: actualis vero est quilibet ejusdem virtutis actus, quo beatitudinem aeternam, et gratiae auxilia ad hunc finem necessaria voluntas peroptat, atque a Deo per Christi merita expectat. 2. In *formatam* quoque spes distinguitur, et *informem*. Prima est, quae gratiam sanctificantem conjunctam habet, ac propria justorum est: altera spes est peccatoris catholici, nisi tamen ille desperaverit: nam sicuti fides extinguitur per infidelitatem, ita et spes per actum sibi contrarium desperationis amittitur (1).

(1) Dubitatio exoriri potest, num accurata sit postrema, quam

ARTICULUS SECUNDUS

Praecipua declarantur, quae Spei Theologicae subjectum et objectum respiciunt.

§. XXXII.

Cum primum de Spei Theologicae subjecto hic sermo habeatur, quinam hac virtute gaudeant, vel non, concise videamus.

1. Spes est in justis viatoribus: eo enim, quo quis justificationem adquirit, virtutum omnium supernaturalium habitibus cumulatur (1).

2. Spes quoque permanet in impio catholico, qui tamen de salute non praesumpserit vel desperaverit. Nam, extante fide, quae ipsius est fundamentum, spes amitti nequit, nisi per culpam sibi directe adver-

tradidimus, spei theologicae divisio. Etenim spes informis, quae in peccatore etiam catholico reperitur, naturalis esse videtur, non virtus theologica. Nam spes procedit a charitate ex Divo Ambrosio dicente in cap. 7. Lucae: — Ex Fide Charitas, ex Charitate Spes —. Charitate ergo per quamlibet culpam sublata, dempta manet et spes. Verum contra animadvertimus cum Angelico 2.2. quaest. 17. art. 8., quod licet secundum ordinem perfectionis spes sit a charitate, quo sensu intelligenda est D. Ambrosii sententia, non est tamen a charitate ratione originis. Sub hoc enim respectu spes prior est charitate, quia homo ideo movetur ad Deum diligendum, quia sperat ab illo remunerari. Cum itaque spes theologica ratione originis a charitate non dependeat, jam patet, cur ea in homine perseveret, etiamsi hic exciderit a charitate.

(1) Ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 7.

santem, qualis est praesumptio, vel desperatio.

3. Idem affirmamus de animabus, quae in igne purgante cruciantur, cum nondum aeternam beatitatem eae fuerint adeptae. Nec officit sane, quod certae omnino sint de gloria aliquando adfutura. Possessio namque Summi Boni, quantumvis certa, adhuc tamen et absens, et ardua illis est; idque sufficit, ut spes in hisce animabus consistat (§. XXVIII). Eadem prorsus erat justorum ante Christi mortem conditio, qui, licet in sinu Abrahae certo beatitudinem expectarent, spe nihilominus solabantur, eorumque *spes immortalitate plena* fuit (1).

4. Contra vero, haeretici, et infideles omnes fide carent ex probatis (§. IX). Atqui spei fundamentum est fides (§. IV). Hac igitur sublata, spem quoque in iis corruere necesse est. Neque opponatur, haereticos in Dei miseratione confidere, eumque ut finem ultimum sperare: horum siquidem spes virtus theologica non est, sed naturalis quaedam erga Deum propensio.

5. Item Beati Deum intuentur, ac possident. *Spes autem quae videtur, non est spes:* inquit Apostolus ad Rom. cap. 8. v. 24. Ergo in Beatis spes theologica non datur. Adversus hanc conclusionem forte quis objicere

(1) Sapientiae cap. 3. v. 4.

potest. Etsi gloriae acquisitio in coelitibus non sit objectum spei; ab iis tamen speratur, tum continuatio beatitudinis, tum futura corporis glorificatio. Ergo ex parte saltem spes theologica in Beatis perseverare videtur. Sed utramque difficultatem eliminat D. Thomas, cujus doctrinam hic placet referre. Atque in primis quoad beatitatis continuationem sic ille reponit 2. 2. quaest. 18. art. 2. ad 2. = Beatitudo Sanctorum dicitur vita aeterna, quia per hoc, quod Deo fruuntur, efficiuntur quodammodo participes aeternitatis divinae, quae excedit omne tempus: et ita continuatio beatitudinis non diversificatur per praesens, praeteritum, et futurum; et ideo Beati non habent spem de continuatione beatitudinis, sed habent ipsam rem, quia non est ibi ratio futuri =. De corporis autem glorificatione haec habet Angelicus 1. 2. quaest. 67. art. 4. ad 3. = In animabus Sanctorum potest quidem esse desiderium *ejus*, non tamen spes proprie loquendo; neque secundum quod spes est virtus theologica, sic enim ejus objectum est Deus, non autem aliquod bonum creatum; neque secundum quod communiter sumitur, quia objectum spei est arduum.... Bonum autem, cujus inevitabilem causam habemus non comparatur ad nos in ratione ardui: unde non proprie dicitur aliquis, qui

habet argentum, sperare se habiturum aliquid, quod statim in potestate ejus est, ut emat: et similiter illi, qui habent gloriam animae, non proprie dicuntur sperare gloriam corporis, sed solum desiderare = (1).

6. Excidit tandem spes in iis, qui perpetuis suppliciis sunt addicti. Legitur enim Proverbiorum cap. 11. v. 7. *Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes.* Et in lib. Job. cap. 15. v. 22. *non credit, quod reverti possit de tenebris ad lucem.* Unde sic rationis argumentum conficitur. Damnati certi sunt de poenarum aeternitate, quibus miserrime vexantur. Nequeunt igitur ut bonum sibi possibile beatitudinem apprehendere. At spes non datur nisi de bono possibili (§. XXVIII). Ergo spes theologica non superest in damnatis (2).

§. XXXIII.

Objectum spei duplex est, *materiale* nem-

(1) De corporis futura resurrectione et gloria num spes habeatur, vel simplex desiderium in Beatis, disputant Theologi. Inter eos, qui a sententia D. Thomae deflectunt, recensemus Jo. Dall'occa Instit. tom. 3. parte 1. tract. de virt. theolog. dissert. 2. cap. 2. art. 1.

(2) Exinde liquet a vero aberrasse Origenem, cum doceret finem aliquando habituras damnatorum poenas, ideo nec spem theologicam iis deesse. De hoc scribens D. Augustinus lib. de haeresib. cap. 43. ait: — Misericordiosiorem enim fuisse quam decebat, et tanto errasse deformius, quanto in hac re sensit clementius — .

pe, ac *formale*. *Objectum* spei materiale aliud *primarium* dicitur, aliud *secundarium*. Primarium Deus est possidendus, quemadmodum patet ex libro Geneseos cap. 15. v. 1., ubi Deus Abraham sic alloquitur. *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis*. Ad primarium hoc objectum a theologis referuntur cuncta, quae per accidens beatitatem comitantur, prouti est Angelorum, Sanctorumque societas, corporis resurrectio et gloria. Ad objectum spei secundarium attinent sive media salutis a Deo nobis promissa, quae sunt gratiae efficacis auxilia; sive opera justitiae divino adjutorio exercenda; sive etiam bona temporalia, quatenus et ipsa valde conferre possunt ad sempiterna adquirenda. Objectum porro formale, seu causa, ad quam immediate ac proxime adnititur spes nostra, qualis dicenda sit, non adeo facile a Scholasticis definitur. Alii siquidem in arduitate objecti sperati, hoc est, in difficultate Dei possidendi; alii in divina bonitate non absoluta, sed respectiva ad sperantem; alii in Dei omnipotentia rationem spei formalem constituunt (1). Nos vero animadvertimus, actum spei duobus aequipollere, quorum unus est *desiderium*, alter est *confidentia*. Hinc duplex fore objectum

(1) Priorem tenent sententiam Richardus et D. Bonaventura, alteram Scotus, postremam Vasquez, Gonnetus, ac Thomistae.

spei formale optimo jure deducimus. Primum est *Bonitas* Dei respectiva, quae est desiderii causa. Aliud consistit in *divina Omnipotentia*, *Misericordia* et *Fidelitate:* quae cuncta sunt causa confidentiae, et animum erigunt ad vincendas difficultates, quae beatitudinis consecutionem impediunt. Tria haec, uti diximus, confidentiae sunt causa. Etenim confidentia fundatur 1. in divina Omnipotentia juxta illud Isaiae cap. 26. v. 4. *Sperastis in Domino... Deo forti.* 2. In divina fundatur miseratione juxta Davidica verba Ps. 12. v. 6. *Ego autem in misericordia tua speravi.* 3. Demum fundatur in Divinis promissis, teste Apostolo ep. ad Hebraeos ita scribente cap. 10. v. 23. *Teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem, fidelis enim est qui repromisit.*

ARTICULUS TERTIUS

Spei Theologicae necessitas demonstratur.

§. XXXIV.

Spem theologicam necessarium fore medium ad salutem eruitur ex ep. ad Romanos cap. 8. v. 14., ubi ait Apostolus: *Spe salvi facti sumus.* Quibus ex verbis ita inferimus. Illud est de necessitate medii, a quo aeterna salus dependet. Sed quod a spe dependeat

salus aeterna, divinae Literae fatentur ex dictis. Spes igitur medium est necessarium ad salutem. Praeterea cum Christus turbas edoceret, sic eas hortabatur Lucae cap. 13. v. 5. *si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Atqui *nemo potest bene agere poenitentiam, nisi speraverit indulgentiam*, inquit D. Ambrosius lib. 1. de Poenit. cap. 1. Ergo, sicuti medium ad salutem necessarium est poenitentia, ita et spes, sine qua nulla vera poenitentia. In idem consentit Synodus Tridentina sess. 6. loco sup. cit. (§. XXX), cum spem decernat veluti conditionem ad justificationem necessariam. Quocirca D. Augustinus haec merito scribebat in Ps. 64. *Sed ut inde satieris cum perveneris, hoc te oportet esurire et sitire cum peregrinaris*: et in Ps. 148. *Qui non gemit peregrinus, non gaudebit civis, quia desiderium non est in illo.*

§. XXXV.

Duplex autem praeceptum fideles obligat ad hujusce virtutis actus exercendos, naturale videlicet, atque divinum. In primis lege naturae jubemur mediis uti ad finem ultimum necessariis. Atqui inter haec media spes connumeratur (§. XXXIV). Ergo lege naturali praecipitur. Accedunt utriusque Foederis libri, qui passim hac de re divinum praeceptum indicunt. Sic legimus

Psalmo 61. v. 9. *Sperate in eo omnis congregatio populi:* Oseae cap. 12. v. 6. *Spera in Deo tuo semper:* ep. 1. ad Timotheum cap. 6. v. 17. *praecipe..... neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo.* Divinum hocce mandatum utpote *negativum* duo vetat; nempe desperationem, et praesumptionem: cumque *semper ac pro semper* obliget, nunquam praesumere aut desperare licebit. Qua vero parte *affirmativum* illud est, finem ultimum sperare jubet nonnullis in circumstantiis, quia *semper, sed non pro semper* devincit. Obligat porro tum *ratione sui* (1), tum etiam per *accidens*, cum plures aliae virtutes ad salutem necessariae absque praevio vel concomitante actu spei nequeant exerceri. Utraque haec obligatio iisdem prorsus in casibus viget, in quibus jam vidimus cap. praeced. art. 4. (§. XXIII.) interioris fidei urgere praeceptum.

ARTICULUS QUARTUS

Quietistarum, et Semi-Quietistarum systema refellitur, quod a perfectionis christianae statu spem theologicam excludit.

§. XXXVI.

Turpissima gnosticorum principia, quae

(1) Hic ad mentem revocetur propositio ab Alexandro VII. proscripta, quam tradidimus Instit. §. XX.

saeculo quartodecimo jam renovaverant Beguardi (1), ac Raymundus Lullus (2), ab hispano presbytero Michaele de Molinos, labente saeculo decimoseptimo rursum e tenebris educta fuere. Delirus ac impudens hic pseudo-mysticus commentitium quemdam perfectionis statum effinxit, ad quem cum anima evecta foret, in illo posset ac deberet interius omnino quiescere nihil amplius sollicita de iis quae exterius in corpore obveniunt: unde patet, cur Molinosii sectatores *Quietistae* fuerint appellati. Octo super sexaginta propositiones, quas Innocentius XI. proscripsit, impurissimi hujusce systematis conspectum objiciunt (3). Quod autem ad rem nostram potissimum attinet, illud ad sequentia doctrinae capita refertur. Juxta Quietistas cum quis ad puri amoris culmen pervenerit, animum adeo deprimere debet, ac divinae voluntati resignare, ut

(1) De Beguardorum haeresi, quam contrivit Viennense Concilium Oecumenicum an. 1312. sub Clemente V., conferatur Clem. const. lib. 5. tit. 3. de haereticis cap. 3. Legi quoque poterunt Jo. Taulerus serm. 2. in Domin. 1. Quadr., Alvarus Pelagius lib. de planctu Ecclesiae; Dominicus Mansius in annal. Odorici Raynaldi, atque historici passim.

(2) De Raymundo Lullo, cujus doctrinam censuris notavit Gregorius XI. vide Eymericum in direct. inquisit. part. 2. quaest. 9., Natalem Alex. hist. Eccl. saec. 14., Quetifum, at Echardum de Script. ord. Praed. t. 1. ad an. 1399., et Wadingum in annal. Minorum ad an. 1315.

(3) Hujusce Pontificis constitutio, quae incipit — Coelestis Pator — prodiit an. 1687. ac reperitur in tom. 8. Bullarii Romani.

ad instar exanimis corporis non de praemio et punitione cogitet, non de Paradiso et inferno, non de morte ac aeternitate: hunc nullam de se gerere curam, oportet; nihil de propria perfectione pensitare; non virtutem, non sanctitatem, non beatitudinem appetere: nihil tandem a Deo postulandum, cum imperfectum sit velle, ut nostrae conformetur divina voluntas: non grates illi habendae pro obtentis; non bona opera ex propria electione perficienda (1). Lutulentissimam hanc doctrinam defaecare studuit Franciscus Fenelonius Cameracensis Antistes in libro, quem typis prodiit anno 1697., atque inscripsit: *Explications des maximes des saints sur la vie interieure.* Quapropter in adstruendo summae perfectionis gradu, virtutum officia ab eo non eliminantur; non perfectionis ac beatitatis desiderium; non oratio, ac petitiones, quibus gratia, regnumque coeleste impetretur. Sed, quamvis ad putidum quietismum vir clarissimus non declinaverit, in casses tamen impegit et ipse, ac viam *semi-quietismo* reseravit. Docuit enim in praesenti vita statum dari habitualem puri amoris, in quo absque commixtione propriae utilitatis Deus ita diligatur, ut in

(1) Nefaria haec principia continentur speciatim in prop. 7. 9. 12. 14. 15. et 35. e plurimis, quae in Encyclica sup. cit. referuntur atque damnantur.

eo nec poenarum metus locum habeat, nec desiderium remunerationis. In hoc statu qui *sanctae indifferentiae* dicitur, nihil anima sibi vult, sed omnia Deo: vult perfectionem et beatitudinem, non in proprium commodum, sed in quantum Deo placet efficere, ut perfectionem et beatitudinem velimus. In hoc statu vult anima salutem, non uti salutem propriam, non ut mercedem meritorum, non ut sui bonum omnium maximum, sed quia voluntas Dei est, eam nos velle propter seipsum. In hoc statu spem omnem suae utilitatis anima amittit; imo neque vult ipsum Dei amorem quatenus est sui perfectio et felicitas, sed tantum quatenus est id, quod Deus a nobis requirit (1). En summatim Fenelonianum systema, in quod calamum tam vehementer acuerunt Ludovicus Card. de Noailles Archiepiscopus Parisiensis, Paulus de Godet. Carnotensis Episcopus, et Jacobus Benignus Bossuet Episcopus Meldensis. En systema, quod tribus ac viginti thesibus comprehensum Innocentius XII. censoria nota confixit (2). Hanc sedis Apostolicae sententiam non modo aequo animo pertulit piissimus auctor, sed

(1) Hanc Episcopi Cameracensis doctrinam decerpsimus ex ejus propositionibus damnatis 1. 2. 4. 5. 6. 19.

(2) Vide constit. — Cum alias — edit. an. 1697. quae extat in tom. 9. Bullarii.

praeclarum de se relinquens exemplum in Pontificii Oraculi obsequium humillime, atque absolute suum opus coram plebe reprobavit.

§. XXXVII.

In id profecto conveniunt Quietistae, ac Semi-quietistae, ut per *quietem,* seu *indifferentiam,* quam affectant, e statu verae perfectionis spem theologicam expungere conentur. Horum autem doctrina quam monstrosa sit, in praesens videatur.

Eam doctrinam absurdam jure vocamus, cui e diametro adversantur Divinae Literae, exempla Sanctorum, Patres, Ecclesiae auctoritas, ratio ipsa naturalis. Verum id contingit amussim de praefata pseudo-mysticorum doctrina. Haec igitur est absurda. Sequentia oppositionum capita minorem per partes ostendunt.

Oppositio 1. e Scripturis Sacris. Innumera prope tum veteris, tum novi Testamenti sunt loca, in quibus spes summopere commendatur, atque intuitu aeternae mercedis ad virtutes colendas incitamur. Inter haec nonnulla seligantur. *Expecta Dominum,* inquit Regius Psaltes, *viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum* (1). *Ne verearis,* ait Ecclesiastici auctor, *usque ad*

(1) Psalmo 26. v. 14.

mortem justificari, quoniam merces Dei manet in aeternum (1). Si Evangelia porro scrutemur, ex hisce apprime constat, suam Christum praedicationem sic exordiri: *poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum Coelorum* (2). Rursum, principiis christianae perfectionis in monte recensitis, Servator ipse concludit: *gaudete, et exultate, quia merces vestra copiosa est in Coelis* (3). Item alibi: *si vis ad vitam ingredi serva mandata* (4): *quaerite primum regnum Dei..... Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum* (5). Easdem cohortationes repetit Apostolus dicens: *Nescitis, quoniam ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis* (6). *Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino* (7). *Bonum facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus* (8). *Quodcumque facitis, ex animo operamini... scientes, quia a Domino accipietis retributionem haereditatis* (9).

(1) Ecclesiastici cap. 18. v. 22.
(2) Matthaei cap. 4. v. 14.
(3) In eodem Evangelio cap. 5. v. 12.
(4) Ibidem cap. 19. v. 17.
(5) In Evang. Lucae cap. 12. v. 31. 32.
(6) Ep. 1. ad Corinthios cap. 9. v. 24.
(7) Ibidem cap. 15. v. 58.
(8) Ep. ad Galatas cap. 6. v. 9.
(9) Ep. ad Colossenses cap. 3. v. 23.

Oppositio 2. ab exemplo Sanctorum.

Non modo pseudo-mysticorum commentis divina obsistunt eloquia, sed acta quoque Sanctorum, quos eaedem Scripturae Sacrae perlaudant. Perfecte sane Deum diligebant et Abraham, et Moyses, et David, et Paulus Apostolus: hi tamen omnes felicitatis, ac remunerationis aeternae spem habebant. Abraham enim *expectabat fundamenta habentem civitatem, cujus artifex, et conditor Deus* (1): Moyses *aspiciebat in remunerationem* (2): David inclinabat cor suum *ad faciendas justificationes..... propter retributionem* (3): tandem gentium Apostolus de se testabatur: *sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo.... ne forte reprobus efficiar* (4); *prose-*

(1) Ep. ad Hebraeos cap. 11. v. 10.

(2) Ibidem v. 26.

(3) Psalmo 118: v. 112. At hic objici posset, voces — propter retributionem —, quae maxime sunt momenti in allata auctoritate, in hebraeo textu haud reperiri: verba enim — Leholam hekev — latine significant — in aeternitatem finis —. Id recte quidem: sed animadvertimus, non exinde sensum immutari, idem enim est, ac si diceretur — quoniam merces, quam expecto, est aeterna —. Ceterum non vulgata solum, sed et versio septuaginta viralis habet — propter retributionem —: Symmachus quoque et D. Hieronymus reddunt — propter aeternam mercedem —. In id consentit etiam R. Kimchi, qui finem pro mercede intelligit, cum haec sit laborum finis.

(4) Ep. 1. ad Corinthios cap. 9. v. 26. 27.

quor ad bravium supernae vocationis (1). Ex hisce, aliisque sexcentis Sanctorum exemplis conspicuum est, virtutem spei, qua ob mercedem aeternam operamur, minime perfectioni repugnare.

Oppositio 3. e Sanctorum Patrum sententiis.

Desiderium beatitudinis, quod *amor concupiscentiae* vulgo nuncupatur, a perfectionis statu Patres non expellunt: quin potius uno ore illud suadent, et exigunt veluti perfectae charitatis indicium. Horum placita consulamus.

Inter graecos primum locum obtineat D. Gregorius Nazianzenus ep. 63. ad Eudoxium haec scribens: = Valeant throni, principatus, opes, splendores, elationes.... Nos verbum arctissime complectamur, ac prae omnibus rèbus Deum habere optemus: solum, inquam, perenne illud bonum et nostrum.... quandoquidem virtutis praemium est, Deum fieri, ae purissimo illo lumine irradiari, quod in triplici unitate consideratur, cujus nunc radiis leviter tantum perstringimur. Ad haec contende, progredere, animo volita, vitam aeternam arripe =. Huic accedat D. Chrysostomus, qui homil. 63. in Matthaeum ait: = Colamus virtutem, ut in hac vita multa nobis bona tribuantur; et cum naturae con-

(1) Ep. ad Philippenses cap. 3. v. 14.

cesserimus, aeternam beatitudinem adipiscamur = (1).

Ex latinis Patribus audiatur D. Cyprianus ita nervose disserens in ep. de martyrio Mappalici: = Hic est agon fidei nostrae, qua congredimur, qua vincimus, qua coronamur. Hic est agon, quem nobis ostendit B. Apostolus Paulus, in quo oportet nos currere, et ad coronam gloriae pervenire... Si vos acies provocaverit, si certaminis vestri dies venerit; militate fortiter, dimicate constanter: scientes vos sub oculis praesentis Domini dimicare, confessione nominis ejus ad ipsius gloriam pervenire = (2). Non secus docet D. Hieronymus lib. 2. in Jovinianum, et Apostoli exemplum sic profert: = Paulus hoc facit, ut plus laborans, plus etiam mercedis accipiat =. Ambrosius quoque lib. 5. in Evang. Lucae cap. 6. inquit: = Studia virtutum sine remuneratione tepescunt: *et in expositione Psalmi* 118. Praerogativa est fidei atque justitiae de Domini favore mercedem usurpare:... non insolentis arrogantiae, sed innocentis est conscientiae ab ipso, cui servieris, petere mercedem: quoniam desperare segnitiei est materia,

(1) Consimilia habet Chrysostomus homil. 35. in Genesim; et 13. in Matthaeum.

(2) Idipsum ait Cyprianus ep. 37. ad Moysem et Maximum presbyteros.

sperare autem incentivum est laboris. Pete igitur confidenter, si merita suffragantur: ut talia petendo studiosius elabores, quod ea petitione sis dignior =. Maximam spei perfectionem extollit et Augustinus lib. 2. de doctr. Christ. cap. 22. hisce verbis: = Tunc est optimus homo, cum ad incommutabilem vitam tota vita sua pergit, et toto affectu inhaeret illi: *et tract.* 9. *in Joannem:* Cum coeperit desiderare venientem Christum anima casta, quae desiderat amplexum sponsi, fit virgo interius ipsa fide, spe, et charitate. Habet jam fiduciam in die judicii, et dicit: *adveniat regnum tuum.* Ergo fratres date operam, ut desideretis diem judicii: aliter non probatur perfecta charitas, nisi cum coeperit dies illa desiderari =. Postremo animam fidelem sic alloquitur D. Bernardus serm. 25. = Haec sunt, pro quibus clament desideria tua, ut in eo vivas, et moriaris in ipso, ut gloriam ejus videre, et ipso frui in perpetuum merearis =.

Oppositio 4. ab Ecclesiae catholicae auctoritate.

Concilium Tridentinum sess. 6. de justificatione cap. 11. decrevit = eos orthodoxae religioni adversari, qui.... statuunt, in omnibus operibus justos peccare, si in illis propriam socordiam excitando, et se se ad cur-

rendum in stadio cohortando cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur aeternam =. In eos autem, qui secus arbitrarentur hoc pacto illud animadvertit Canone 31. = Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur, anathema sit =. Spei Thelogicae jura vindicarunt etiam peculiaribus sanctionibus Romani Pontifices; e quibus, uti monuimus (§. XXXVI.), Innocentius XI. quietistarum theses veluti *haereticas, suspectas*, *erroneas*, *scandalosas*, *blasphemas* etc. abolevit; Innocentius XII. semi-quietismum in opere Fenelonii contentum repudiavit; et Alexander VIII. propositionem hanc sub N. 10. confixit: *Intentio, qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum mere ut coelestem obtineat gloriam non est bona, nec Deo placens.* Tandem a pseudo-mysticorum doctrina, quam refutamus, adeo longe distat Ecclesia, ut religiose Christi martyrum concelebret memoriam eo quod *tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia ut haeredes fierent in domo Domini.*

Oppositio 3. a ratione.

Argumentum 1. Si, ut autumant adversarii, a summae perfectionis gradu removenda foret spes retributionis, utpote quid mercenarium, imperfectum, et vitiosum: haec

profecto medium non esset ad salutem necessarium: quidquid enim vitium et imperfectionem sapit ad finem ultimum non perducit. Item nec a Deo spes juberetur, cum divinae sanctitati repugnet id praecipue, quod vitiosum est. Sed utramque necessitatem *medii* simul atque *praecepti* divini de spe theologica demonstravimus (§. XXXIV. XXXV). Nihil ergo in ea vitiosum est, sed vitiosissimus potius ille status, a quo virtus haec perfectissima excluditur.

Argumentum 2. Status perfectionis, ac puri amoris, de quo disseritur, charitatem quin foveat, illam penitus evertit. Nam quale primum est mandatum in lege? Dilectio Dei. Quale secundum priori simile? Dilectio proximi (1). Jam vero, si proximus diligendus, et nos diligere debemus, quia proximus quisque sibi. At contra, in statu, quem jactant quietistae, ac semi-quietistae, Deus ita diligitur propter se ut, spe seclusa, solliciti non simus de merito, de perfectione, de beatitudine: quod idem est ac nos ipsos non diligere. Quamvis igitur adversarii ementitis verbis charitatem extollant; re tamen ejus praeceptum ab ipsis labefactatur.

Argumentum 3. Si spes gloriae, si metus poenarum abrogetur, si omnimoda *indifferentia*, sive ad salutem, sive ad perditionem

(1) Evang. Matthaei cap. 22. v. 37. 39.

respectu nostri ponatur: consequens est, aeque servandam fore de ceteris indifferentiam, ac pro aeterna hominum felicitate vel minime adlaborandum. Hinc a vera perfectione, dicendum erit, Apostolos descivisse, qui pro universi orbis salute tot discrimina passi sunt, tot obiere labores. En consectaria, quae directe ab hac *mystica indifferentia* procedunt, quaeque cum absurda, cum impia sint, nemo est, qui non videat, quid de quietismo, et semi-quietismo judicandum.

Argumentum 4. *Sanctae indifferentiae* statu semel admisso; certe non orandum esset, non mandata servanda, non colenda virtutum officia, non de praeteritis culpis dolendum, non praecavendae futurae. Quae cuncta cum evangelicis praeceptis contradicant, jam per se liquet indifferentiam, quam oppugnamus, ad vitia, ad interitum pertrahere, non ad supremum perfectionis deducere fastigium.

§. XXXVIII.

Ut paucis rationum, ad quas adversarii confugiunt, specimen exhibeamus, sit

Objectio 1. In statu perfectionis locum si haberet spes aeternae remunerationis, ad perfectionem pertineret diligere Deum *amore concupiscentiae*. Sed perfectio et amor

concupiscentiae duo sunt invicem contraria: illa enim fundatur in charitate; hic proprium commodum expetit, ac ideo charitati opponitur, quae, teste D. Paulo ep. 1. ad Corinthios cap. 13. v. 5., *non quaerit quae sua sunt*. Nequeunt igitur una consistere spes aeternae remunerationis, et perfectio.

Objectio 2. Efficit spes mercedis, ut Deum diligamus ob amorem *benevolentiae* erga nosmetipsos, qui vulgo *amor sui* vel *proprius* vocatur. Sed amor sui refert Deum ad hominem, non hominem ad Deum contra ordinem naturae. Est igitur inordinatus. Sed quidquid inordinatum est perfectioni adversatur. Ergo amor proprius nequit cum perfectione componi. Ergo neque cum perfectione componitur spes mercedis, a qua sui amor procedit.

Objectio 3. Amor spei *mercenarius* nuncupatur. Sed amor hic mercenarius est vitiosus. Idipsum itaque de spe concludendum. Hujusmodi amorem alienum prorsus esse a christiana perfectione satis exploratum habemus ex Evangelio Joannis cap. 10., ubi Servator Christus mercenarios redarguit. Inter Patres autem D. Bernardus lib. de Deo diligendo spei amorem eliminat diserte scribens, *absque praemii intuitu* Deum diligendum fore,... *charitatem mercenariam non* esse.

Objectio 4. Pluribus quoque Sanctorum exemplis edocemur, perfectam charitatem poenarum metum, spemque mercedis penitus ablegare. Legimus namque cap. 32. Exodi v. 32. Mosen sic Deum alloquutum: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* De se pariter ajebat Apostolus ep. ad Romanos cap. 9. v. 3. *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Hisce quam multi adjiciantur omni virtutum genere praestantissimi viri, qui tanto erga Deum aestuabant charitatis ardore, ut de se ipsis veluti obliti nullum ad retributionem intuitum haberent, imo de futura eorum salute nequidem cogitarent.

§. XXXIX.

En praesidia, quae pseudo-mysticorum causam tutari videntur. Quanti vero momenti ea sint, e responsis patebit.

Ad 1. Amor concupiscentiae duplex est: *malus,* quo sensuum illecebris, mundique voluptatibus indulgens in vetitum quis rapitur: *bonus,* quo coelestem beatitudinem sive *formalem,* sive *objectivam* exoptamus (1).

(1) Vide Aquinatem in 2. dist. 38. quaest. 1. art. 2., a quo beatitudo *formalis* appellatur *visio clara Dei, ac Dei clare visi amor sempiternus:* beatitudo autem *objectiva* Deus ipse summe bonus, incommutabilis, atque in omnibus infinite perfectus. Utramque porro beatitudinem *finem esse rectae voluntatis* et *puri amoris* praefatus Doctor ibidem ostendit.

Postremo sensu amor concupiscentiae spectatus jungitur spei theologicae: nihil autem in eo reperitur, quod rectum, quod ordinatum, quod purum non sit; nihil quod perfectissimae charitati non consocietur. Hic enim est amor, quem Christus ipse venit *mittere in terram*, ut ubicumque succenderetur (1) : hic est amor, quo cum flagraret Apostolus vehementer a laqueis corporis dissolvi cupiebat, ut esset cum Christo (2): hic tandem est amor, de quo ita scribit Augustinus serm. 178. de verbis Apostoli cap. 10. = Amor castus in te esse debet. Quo amore desideres videre, non coelum, et terram, non campos liquidos maris, non spectacula nugatoria, non fulgores, nitoresque gemmarum: sed desidera videre Deum tuum, amare Deum tuum =. Nec obstat charitati, quod *sui commodum* appetat amor concupiscentiae, quem tuemur. Hujusmodi namque commodum seu bonum nostrum non est, nisi beatitas sempiterna. In hac autem sistit homo ut in *objecto proximo,* non praecise tamen ut in *ultimo fine.* Commodum enim, quod sibi quis desiderat, beatitudo scilicet, cum bonum sit purissimum, cumque diligatur, ut bonum maxime honestum; eo ipso de se tendit in Deum,

(1) Evang. Lucae cap. 12. v. 49.
(2) Ep. ad Philippenses cap. 1. v. 23.

ut in finem ultimum; idcirco non officit charitati. Non, inquam, illud officit charitati: haec siquidem virtus, quamvis sua non quaerat, quaerit tamen id, sine quo charitas ipsa esse non posset. Haec virtus, quam adeo commendat Apostolus, non quaerit quae sua sunt: idest, = non sua ipsius commoda cum fratrum pernicie. Unicum illi propositum est Dei gloria, et ceterorum utilitas. Rerum suarum, suaeque tranquillitatis detrimentum mavult, quam sua commoda cum detrimento ceterorum =. Hactenus Augustinus Calmet in suis commentariis. Quae cum ita sint: cum nimirum plane constet, amorem purum concupiscentiae, quem fovet spes theologica, non laedere charitatem; consequens inde est, hunc a perfectione alienum non fore, nec ideo perfectioni spem beatitudinis adversari.

Ad 2. = Amor sui tripliciter se habere potest ad charitatem. Uno enim modo contrariatur charitati, secundum quod aliquis in amore proprii boni finem constituit. Alio vero modo in charitate includitur, secundum quod homo se propter Deum, et in Deo diligit. Tertio modo a charitate quidem distinguitur, sed charitati non contrariatur; puta cum aliquis diligit seipsum secundum rationem proprii boni, ita tamen, ut in hoc proprio bono non constituat fi-

nem =. Haec ad rem nostram apposite scribit 2. 2. quaest. 19. art. 6. Divus Thomas, e cujus doctrina sponte fluit difficultatis resolutio. Nam de primo sui amoris genere, quo quis vel malum expetit, vel bonum etiam inordinate prosequitur, heic sermo non habetur: vitiosus hic amor est, ideoque cum perfectione pugnat, et a spe theologica est omnino remotus. Tantummodo agitur de amore sui ordinato, per quem bona honesta naturalia, eoque magis supernaturalia cum nobis velimus, et a vitiis retrahimur, et ad coelestia elevamur. En amor proprius, qui cum spe mire componitur, simulque ad perfectionem, imo ad verae perfectionis fontem homines deducit.

Sed quoniam opponitur, idcirco inordinatum fore quemlibet amorem sui, quod ille Deum referat ad hominem, notamus duplicem significationem in hac propositione latere; nam aliquid in alterum, vel ut *ad subjectum*, vel ut *ad finem ultimum* referri potest. Sic igitur excipiatur propositio. Homo per sui amorem refert Deum ad se ut *ad subjectum*, nempe ut *perfectivum* ad *perfectibile;* concedimus: refert Deum ad se, ut ad *ultimum finem;* negamus. Cur enim homo tam studiose Deo conjungi desiderat? Cur illum possidere? Cur ejus perfrui conspectu? Quia Deum uti Summum Bonum

agnoscit, quo obtento, jam in eodem sistit, nec aliud praeter Deum illi superest optandum. Id autem est in Deum se referre, ut in ultimum finem. Igitur amor sui, qui spei theologicae nititur, non refert Deum ad hominem nisi modo superius concesso. Hinc consequitur, hunc amorem inordinatum non esse. Si inordinatus non est: ergo a statu perfectionis non est abjiciendus. Rursus itaque contra virtutem spei nihil prorsus ab adversariis concluditur.

Ad 3. *Mercenarius* amor, si generatim sumatur, ex se vitium non indicat, sed pro ratione vel mercedis, vel modi, quo eam intendimus, *vitiosus*, aut *honestus* esse potest. Vitiosus ille erit, si Deum quis tantum diligat, ut bona temporalia consequatur: honestus vero si ob divinum famulatum aeterna merces vel unice, vel primario saltem expectetur. Qua distinctione posita, jam corruit difficultas, cum amor spei theologicae in primo sensu dici nequeat mercenarius. Neque obstant Evangelica verba, quibus Christus mercenarios reprehendit. Ibidem enim non de bonis mercenariis Redemptor loquitur, qui aeternam retributionem in eorum operibus intuentur; sed de malis conqueritur, qui ad lucrum terrenum captandum divino cultui ac saluti animarum incumbunt; qui mercedem ita prospiciunt,

ut sine illa Deo non deservirent; qui, viso lupo, dominicas oves dimittunt, cum non earum incolumitatem, sed proprium commodum intendant (1). Demum circa nonnulla, quae de D. Bernardo objectantur, dicimus hunc Patrem adeo alienum esse a rejiciendo amore, quo coelestem mercedem appetimus, ut eodem libro de Deo diligendo haec scribat: = Anima amans Deum, aliud, praeter Deum, praemium non requirit, aut si aliud requirit, illud pro certo, non Deum diligit = (2).

Ad 4. Inane porro munimentum a Sanctorum exemplis adversarii deducunt.

In primis etenim Origenes (3), Hieronymus (4), et Gregorius M. (5) animadvertunt

(1) Videantur Ambrosius lib. 7. in Lucam: Gregorius M. homil. 14. in Evang., Beda in Lucae cap. 15., et Angelicus Doctor in 3. distinct. 29. quaest. 1. art. 4.

(2) Hac amoris mercenarii specie, quo Deum possidere cupimus, charitatem non maculari sed omnino perfici SS. Patres unanimi consensu testantur. Praeter eos, quos superius citavimus (§. 38), audiatur D. Augustinus, qui hunc amorem gratuitum appellare non dubitat, quia mercedem in bonis creatis non inquirit. En illius verba in Ps. 72. — Factum est cor castum. Gratis jam amatur Deus. Non ab illo petitur aliud praemium. Qui aliud praemium petit a Deo, et propterea servire vult Deo, carius facit quod vult accipere, quam ipsum, a quo vult accipere. Quid ergo nullum praemium Dei? Nullum praeter ipsum. Praemium Dei ipse est Deus. Hoc amat, hoc diligit: si aliud dilexerit non erit castus amor —. Consimilia tradit idem S. Pater serm. 340. et tract. 51. in Joaunem.

(3) In ep. ad Romanos.

(4) Ep. ad Algasiam cap. 9.

(5) Lib. 10. in Job. cap. 6.

Mosis verba de morte corporis intelligenda fore, ac si Deo dixisset: *Nefarium idololatriae crimen parce populo tuo: secus dele me de libro viventium in hoc saeculo, ne ipsius caedem conspiciam.* Aliter sentit D. Augustinus, ac censet librum aeternae vitae Mosem indicare, nec tamen ab eo deleri voluisse, sed per hyperbolem fuisse adlocutum; cum aliunde pietati confisus divinae securus esset, quod illum de libro suo Deus non deleret (1). Quid vero de Apostolo? Si Hieronymi expositionem accipiamus, hic optabat *in carne perire, ut alii in spiritu servarentur* (2). Eundem locum secus interpretatur Chrysostomus, juxta quem Apostolus optabat, citra culpae reatum animam interire. Quo etiam dato, nihil pro quietistis infertur: ille siquidem non absolute, sed hypothetice optabat *anathema esse;* nempe, si id fieri potuisset pro Dei gloria: quod tamen fieri non posse certo sciebat (3).

Si demum sanctissimi viri extitere, qui nec metu poenarum Deum visi sunt diligere, nec spe retributionis: fidenter asserimus,

(1) Ita Hipponensis quaest. 147. in Exodum.

(2) Haec sunt verba Stridonensis Doctoris ep. sup. cit. eod. cap. 9.

(3) D. Chrysostomus homil. 16. in ep. ad Rom. cap. 9. v. 3. e graecis exemplaribus eruit hanc D. Pauli mere hypotheticam beatitudinis abdicationem, in quibus non *optabam* legitur, sed *optarem*. In hunc locum adi quoque D. Thomam lect. 1. in cit. ep., et 2. 2. quaest. 27. art. 8.

plura interdum eos ad emphasim protulisse, quod commune amantibus est, ut Deo vim dilectionis ostenderent. Hos autem de propria salute *indifferentiam* habuisse, credendum non est, cum Sponsi coelestis occursum vehementissime exoptarent (1).

CAPUT TERTIUM

DE CHARITATE.

ARTICULUS PRIMUS

De Charitatis essentia, divisionibus, ac praestantia.

§. XL.

Ut a rei definitione capiamus exordium, Charitatem dicimus *virtutem theologicam divinitus infusam, qua Deum diligimus propter se super omnia, et proximum sicut nosmetipsos propter Deum.* Per singulas animadversiones haec verba dilucidantur.

1. *Virtutis* nomen optimo jure convenit charitati: haec enim veluti parens ceteras complectitur virtutes. Id eruitur praesertim

(1) Circa hunc articulum, quem absolvimus, alia plurima leguntur penes Bellarminum disput. tom. 4. de justificat. lib. 5. cap. 8., Bossuetum tract. 3. de nova quaest., Joannem de Rubeis tract. theol. inserto tom. 6. Thesauri theologici, et Bertium theologic. discipl. lib. 23. cap. 16.

ex Apostolo ep. 1. ad Corinthios cap. 13. dicente: *Charitas patiens est, benigna est,... non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat.*

2. Hujusmodi virtus *divinitus est infusa* juxta illud Pauli ep. ad Romanos cap. 5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S., qui datus est nobis.* Unde Concilium Arausicanum II. Canone 25. haec habet: *Prorsus donum Dei est diligere Deum. Ipse, ut diligeretur dedit, qui non dilectus diligit. Displicentes amati sumus, ut fieret in nobis unde placeremus. Diffundit enim charitatem in cordibus nostris Spiritus Patris et Filii, quem cum Patre amamus, et Filio* (1).

3. Charitas virtus est *Theologica, qua Deum diligimus.* Nam in Deum ut Summum Bonum per se amabile immediate ea fertur: quod bonum ipsius virtutis *primarium* constituit objectum, de quo inferius.

4. Per charitatem diligimus Deum *super omnia;* amore scilicet *appretiative* summo, quo Deum ita ceteris praeferat voluntas,

(1) Excerpta sunt hujusce Canonis verba ex tractatu D. Augustini 102. in Joannem N. 5.

ut malit jacturam omnium perpeti, quam culpa maculari. Praeclarum hujusce dilectionis nobis profert exemplar ipsemet Apostolus ibidem cap. 8. v. 35. et seq. ita scribens: *Quis ergo nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?.... Certus sum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro.*

5. Haec eadem virtus *proximum* attingit quoque veluti objectum materiale *secundarium*. At quis nobis proximus appellandus? *Proximus est omnis homo,* reponit Augustinus serm. 59. de tempore; *Omnes proximi sumus conditione terrenae nativitatis, et immortalitatis, et etiam spe coelestis haereditatis, quia nescimus, quis quid futurus sit; quoniam aut judaeus aut haereticus, aut paganus, forte enim per misericordiam Dei convertetur ad Deum, et inter Sanctos primum locum habere merebitur.*

6. Dum asseritur in definitione, Deum et proximum charitate diligi *propter Deum ipsum,* unicum denotatur *formale* charitatis objectum; quod, uti mox videbimus, necessario Deus est.

7. Requirit postremo charitas, ut proximum *sicut nos* diligamus. Hinc patet, dilectionem, qua quis ex ipsa lege naturae seipsum prosequi debet, tutam regulam fore, qua ceteri diligantur. Verum, ut observat Angelicus Doctor 2. 2. quaest. 44. art. 7., *id non est intelligendum quantum ad hoc, quod aliquis proximum sibi aequaliter diligat, sed similiter sibi.*

§. XLI.

Duplici ratione haec virtus considerari potest; vel prouti est amoris actus, quo Deum propter se, ac proximum propter Deum diligimus; vel prouti est habitus subjectum disponens ad actus sibi proprios, divina juvante gratia, eliciendos. Prior exinde charitatis oritur partitio in *actualem* et *habitualem*. Distribuitur quoque charitas in *inchoatam*, qua Deum diligere quis incipit, sed non diligit super omnia; et *perfectam*, qua Deum prae omnibus amamus: eo autem perfectior haec erit, quo major erit fervoris gradus in diligendo. Tandem charitas vel in amore *benevolentiae* consistit, vel in *amore concupiscentiae*. Amor benevolentiae, seu *amicitiae* ille est, quo cuipiam bonum volumus in gratiam sui, quia, scilicet, hujusmodi bono dignus est. Amorem concupiscentiae ad nostram referimus utilitatem,

cum ideo bonum alicui velimus, quod ille respectu nostri reapse sit bonus. Prima species amoris praecise ad charitatem pertinet: altera ad spem propius accedit, quamvis tamen perfectae charitati non adversetur (1).

§. XLII.

Divisio, quam tertio loco nuper tradidimus, amorem *benevolentiae* tribuit charitati. Id recte quidem, si de hominibus loquamur, inter quos amicitiam persaepe dari posse, nemo ibit inficias. At vero Deum inter et hominem idem amor aeque ne poterit haberi? Hac de re duplex dubitandi ratio nobis objicitur ab amicitiae natura sic deprompta. Amicitia requirit in primis, ut alterum propter seipsum diligamus. Tantum porro Deus abest ab homine propter hominem diligendo, ut, quidquid boni ei vult, illud totum referat ad se; quia *universa propter semetipsum operatus est Dominus*, inquit Proverbiorum auctor cap. 16. v. 4. Rursus amicitia proprie sumpta non est, nisi inter aequales juxta illud Hieronymi in cap. 7. Micheae: *amicitia pares aut accipit, aut facit*. Sed homo, cujus substantia tamquam nihilum ante Deum, quomodo ei poterit aequari?

Utraque dubitatio ut penitus evanescat,

(1) Vide quae supra diximus §. 39. ad 1.

adnotamus 1. Deum ad sui gloriam omne bonum nostrum, ut in ultimum finem, utique referre, sed hoc ipsum bonum in nostram ordinare utilitatem. Id autem satis est, ut amicitia vere consistat; quae profecto neutiquam ordinata foret, si impediret, quominus bonum, quod quis alteri vult, in finem ultimum sibi proprium dirigeretur. Adnotamus 2. amicitiam aequalitatem vel *absolutam* requirere, vel *proportionis*. Aequalitas absoluta, cum sit tantum inter aequales, reperiri nequit inter Deum et hominem, sed tantum aequalitas proportionis, quia haec datur etiam inter inaequales. Hisce dubitationibus e medio sublatis, jam patet, *amorem benevolentiae*, seu *amicitiae* inter Deum et hominem incongruum non esse.

Quin immo si Oracula Scripturarum consulamus, si penitus naturam et characteres *amicitiae* perpendere velimus, hanc inter Deum et homines vere ac proprie haberi, luculentissime apparebit. En argumentum, quo veritas demonstratur.

Juxta philosophorum doctrinam ad amicitiam tria praesertim requiruntur: hoc est, *mutua dilectio; communicatio bonorum; animorum conjunctio*. Atqui inter Deum, et homines 1. *mutuus amor* habetur. Inquit enim Deus Proverbiorum cap. 8. v. 17. *Ego*

diligentes me diligo: item Christus in Evangelio Joannis cap. 14. v. 21. *Qui diliget me diligetur a Patre meo, et ego diligam eum.*

2. Extat *bonorum communicatio.* Nam lib. 1. Paralipomenon cap. 29. v. 14. Legitur: *Tua sunt omnia, et quae de manu tua accepimus, dedimus tibi*: et ad Ephesios cap. 1. v. 3. *Benedixit nos Deus in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo.*

3. Adest *animorum conjunctio,* uti plane ostendunt Redemptoris verba eodem Evangelii cap. v. 23. *Si quis diligit me et sermonem meum servabit.... ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Idipsum testatur Apostolus ep. 1. ad Corinthios cap. 6. v. 17. dicens: *Qui adhaeret Domino unus spiritus est.*

Quae cuncta cum vere ac proprie amicitiam constituant, sponte concluditur, inter Deum, et homines amorem benevolentiae consistere (1).

§. XLIII.

Denique ut nonnulla de charitatis praecellentia dicamus, e duplici fonte hujusce

(1) Vide Angelicum 2. 2. quaest. 23. art. 1. et Card. Gotti Theol. Schol. Dogm. tom. 10. tract. de charit. quaest. 1. dub. 1.

virtutis praeconia deducimus; tum nimirum e Sacris Literis, tum e Sanctorum Patrum auctoritate.

Quoad primum epistolas D. Pauli sat erit prae oculis habere, qui pluries ac pluribus charitatem extollit. Ad Corinthios epistolam primam cum ille conscribat, hac ratione caput 13. exorditur. *Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, et cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam; et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest:* deinde cum Fide ac Spe Charitatem conferens ita caput absolvit: *major autem horum est Charitas.* Item ep. ad Romanos cap. 13. v. 10. ait: *Plenitudo legis est dilectio.* Rursum Colossenses cap. 3. v. 14. sic hortatur: *Super omnia... charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.*

Quibus ex locis ita brevi conficimus. Ea virtus omnium praestantissima sit, oportet, quae si desit, ceterae virtutes ac dona supernaturalia nequeunt ad salutem conferre; quae fidem et spem antecellit; quae pleni-

tudo legis est, et vinculum perfectionis. Id vero, uti vidimus, de charitate contingit. Haec igitur virtutum est omnium praestantissima.

Ad alterum auctoritatis fontem modo accedamus, ad testimonia Patrum, videlicet, e quibus haec pauca deligantur.

D. Cyprianus lib. de Patientia charitatem vocat = Fundamentum pacis, tenacitatem, ac firmitatem unitatis, quae et opera et martyria praecedit =. Chrysostomus homil. 23. in ep. ad Romanos cap. 13. ait: = Virtutis principium, ac finis est charitas: hanc habet radicem =. Hieronymus in cap. 5. ad Galatas haec habet: = Quae alia inter fructus spiritus debuit tenere primatum, nisi charitas, sine qua virtutes ceterae non reputantur esse virtutes, et ex qua nascuntur universa, quae bona sunt = ? = Quanta est ista charitas, inquit Augustinus serm. 145., quae si defuerit, nihil prosunt omnia?... Quid tibi plus potest dare Deus? Quidquid dederit, minus est =: et lib. 15. de Trinit. cap. 18. = Nullum est isto dono excellentius: solum est, quod dividit inter filios regni aeterni, et filios perditionis aeternae =. Hisce adjiciatur S. Prosper ep. ad Rufinum cap. 8. scribens: = Multa laudabilia, atque laudanda possunt in homine reperiri, quae sine charitatis medullis habent quidem pie-

tatis similitudinem, sed non habent veritatem =. Adde quoque Gregorium M. homil. 27. in Evang. dicentem: =Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis. =. Quae cuncta ut ad summa quaedam capita referantur, dicimus: charitas est virtutum omnium facile princeps: haec earum est origo, finis, radix, fundamentum: haec ineffabile donum, quo nil praestantius divinitus concedi poterat: haec martyrio praeclarior: haec felix nota, qua electi a reprobis discernuntur. En doctrina Sanctorum Patrum, in qua charitatis absolutissima laudatio continetur (1).

ARTICULUS SECUNDUS

De Charitatis objecto.

§. XLIV.

Quoniam, ut ait D. Augustinus lib. 8. de Trinitate cap. 8., *ex una eademque charitate Deum, proximumque diligimus, sed Deum propter Deum, nos autem et proximos propter Deum;* exinde colligitur, objectum *formale* hujusce virtutis, non in ali-

(1) Alia quamplura SS. SS. et S. Patrum loca, quae mittimus, pro lubito conspici poterunt apud Joan. Damascenum Parallelorum lib. 1. cap. 18. Vide Contensonium Theol. mentis et cordis in append. ad dissert. 4. libri 8.

quo creato perquirendum fore, sed in Deo ipso, hoc est in ratione, ob quam Deus per se summe est amabilis. Dignus est autem Deus, qui ab omnibus summe diligatur, quatenus est Ens in omnibus infinite perfectum. Ergo intrinseca Dei bonitas absoluta, quae cunctas perfectiones divinas complectitur, *formale* charitatis objectum constituit. Non semel haec veritas in Scripturis Sacris elucet, ac praesertim in Psalmis ubi filios Israel hortatur Propheta, ut Deo confiteantur, ejusque laudes persolvant, quia *bonus* est *Dominus* (1). De objecto *formali* satis. Ad *materiale* nunc procedamus, quod bifariam Theologi distinguunt, scilicet in *primarium*, et *secundarium*. Objectum charitatis *materiale primarium* solus Deus est, tum ob ejus praeeminentiam, tum quia ille tantum propter se, non propter aliud, est diligendus. Cetera, quae nomine *proximi* veniunt, quaeque propter Deum diligenda sunt, ad objectum *secundarium* referuntur (2). Cum autem vox *proximi* apud Ethicae Scriptores latius pateat, quam vulgo sumatur; hinc generatim nobis proximae dicuntur

(1) Psalmo 106. v. 1. et Psalmo 134. v. 3.

(2) Objectum materiale charitatis adaequatum hisce verbis indicat praecitatus Pater lib. 1. de doctr. Christ. cap. 23: — Quatuor sunt diligenda: unum, quod supra nos est; alterum, quod nos sumus; tertium, quod juxta nos est; quartum, quod infra nos est —. Quo in loco vide D. Thomam 2, 2. quaest. 25. art. 12.

creaturae omnes rationales gratiae capaces et gloriae. Quo posito, en consectaria, quae plane deducuntur.

1. Ad objectum charitatis pertinent potissimum, tum Angeli, tum Sancti in Coelis cum Christo regnantes. Hos quidem nobis conjunctos habemus, qui gratiae donis et gloriae referti non minus de salute nostra solliciti sunt, quam de propria securi (1).

2. Idem concludamus de animabus, quae in poenis purgantibus versantur. Secus enim nec *sancta* nec *salubris* esset *cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* (2).

3. Charitatis objectum nos ipsi sumus; nam quisque sibi magis, quam aliis conjunctus et proximus est. Quare sui dilectio, modo tamen ordinata sit, non tantum animum respicit, sed corpus, cum et ipsum aeternae beatitatis particeps aliquando sit futurum (3).

4. Omnes prorsus homines viatores non

(1) De Angelis disserens Augustinus lib. sup. cit. de doctr. Christ. cap. 30., sic probat eos objectum fore charitatis: — Si vel cui praebendum est, vel a quo nobis praebendum est officium misericordiae, recte proximus dicitur; manifestum est, hoc praecepto, quo jubemur diligere proximum etiam sanctos Angelos contineri, a quibus tanta nobis misericordiae impenduntur officia, quanta multis divinarum Scripturarum locis animadvertere facile est —.

(2) Lib. 2. Machabaeorum cap. 12. v. 46.

(3) Conferatur D. Thomas 2. 2. quaest. 25. art. 4. et 5.

tantum qui nobis propinquitate junguntur, non tantum fideles ac justi; sed et alieni, et infideles, et peccatores objectum sunt hujusce virtutis: quantumvis enim perditissimi, jure proximi dicuntur, *et secundum naturalem Dei imaginem, et secundum capacitatem gloriae* (1).

5. Excipiantur daemones ac ceteri damnati, qui nobis proximi non sunt, nec ideo dilectionis objectum, cum jam exciderint a charitate, neque spes beatitudinis aeternae illis amplius affulgeat (§. XXXII).

§. XLV.

Iis, quae de secundario charitatis objecto statuimus, quid e Scripturis Sacris opponi videatur audiamus.

Objectio 1. Diligere seipsum peccatum est, quemadmodum eruitur ex ep. 2. ad Timotheum, ubi cap. 3. v. 1. haec leguntur: *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa; erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati* etc. Nemo igitur sibi esse potest charitatis objectum.

Objectio 2. Eo vel minus autem corpus nostrum diligere decet, cum potius exemplo Sanctorum edomandum, affligendum illud sit juxta Apostoli verba ep. ad Galatas cap. 5. v. 24. *Qui sunt Christi carnem suam cruci-*

(1) Ejusdem Doct. sunt verba ibid. quaest. 44. art. 7.

fixerunt cum vitiis, et concupiscentiis. Ergo neque corpus nostrum est objectum charitatis.

Objectio 3. Id rursum de peccatoribus concluditur; ait enim auctor Sapientiae cap. 14. v. 9. *Similiter odio sunt Deo impius et impietas ejus.* At si Deo sunt odibiles peccatores, quomodo diligendi? Eos profecto non diligebat Regius Psaltes, qui, ut ipse testatur, *iniquos odio habuit* (1): qui *perfecto odio* oderat illos (2): qui adeo vehementer in scelestos excanduit, ut iisdem maximum omnium malorum imprecaretur, dicens Ps. 9. v. 18. *Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quae obliviscuntur Deum.*

§. XLVI.

Difficultates propositae nec flocci pendendae sunt, cum levi negotio triplici animadversione dirimantur.

Animadversio 1. Dilectio sui duplex, *honesta* ac *vitiosa* (3). Honesta ea erit, si bonum nobis velimus naturae humanae consentaneum, scilicet, vitae conservationem, nostramque, speciatim in ordine morali, perfectionem. Haec nimirum dilectio, quam

(1) Psalmo 118. v. 113.
(2) Psalmo 138. v. 22.
(3) Vide Institutionum §. xxxix. ad 2.

jubet lex ipsa naturalis, a charitate imperatur. Contra vitiosa tum dilectio erit, penitusque charitati adversabitur, cum quis bonum sibi velit ultimo fini repugnans. Dum porro asseritur, quemque sibi fore charitatis objectum, id in primo sensu tantum, non in posteriori intelligendum est. Auctoritas autem Apostoli ad rem non attinet, cum ex contextu pateat, eam nonnisi ad dilectionem inordinatam referri. Quales etenim sunt *seipsos amantes*, de quibus ibi loquitur D. Paulus? Homines hi sunt *protervi, tumidi, et voluptatum amatores magis, quam Dei* (1).

Animadversio 2. Corpus juxta mentem Aquinatis vel *secundum ejus naturam*, vel *secundum corruptionem culpae et poenae* considerari potest (2). Priori sub respectu objectum charitatis illud est, cum dilectionem mereatur quia donum est divini Largitoris, quia subjectum debet esse virtutis, quia et ipsum ad coelestem gloriam ordinatur. Sub altero respectu objectum charitatis corpus non est, cum ejus dilectio sit vitiosa. Nec juvat Sanctorum exempla in oppositum afferre. Cur namque, petimus, monitum Apostoli sectantes Christi crucem

(1) Non absimili ratione hunc locum explicat Angelicus 2. 2. quaest. 25. art. 4.

(2) Ibidem art. 5.

in sensibus illi deferebant? Cur rebelles animi motus spiritui subjicebant? Ne corpus cum anima in aeternum periret. Corpus igitur simul oderant, et diligebant Sancti ad instar Doctoris gentium, qui de se ajebat ep. 1. ad Corinthios cap. 9. v. 27. *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne.... reprobus efficiar.*

Animadversio 3. Haud dubio peccatores sunt charitatis objectum, non quidem ratione culpae, quae in iis abhorrenda est; sed ratione tantum naturae, cum et ipsi sint tum gratiae tum gloriae capaces. Ultro concedimus, Deo peraeque invisa fore impium et impietatem, quia ob statum culpae, in quo quis versatur, Deo placere nequit. Verum in ipso peccatore Deus semper diligit opus manuum suarum. Unde per Ezechielem cap. 33. v. 11. ait: *Nolo mortem impii.... sed ut convertatur.... a via sua, et vivat.* De hac tenerrima erga nocentes dilectione Christus ipse nobis praebuit exemplum, qui venit, *non justos* vocare sed *peccatores* (1); quique *cum adhuc peccatores essemus.... pro nobis mortuus est* (2). Quoad vero David paucis, sed perspicue hic reponit D. Thomas 2. 2. quaest. 25. art. 6. ad 1.

(1) Haec in Evang. Matthaei cap. 9. v. 13.
(2) Ep. ad Romanos cap. 5. v. 8.

= Iniquos Propheta odio habuit in quantum iniqui sunt, habens odio iniquitatem ipsorum, quod ipsorum est malum: et hoc est perfectum odium, de quo ipse dicit Ps. 138., *perfecto odio oderam illos*. Ejusdem autem rationis est odire malum alicujus, et diligere bonum ejus. Unde etiam illud odium perfectum ad charitatem pertinet =. Imprecatio tandem, qua David peccantes insectari videtur, proprie imprecatio dicenda non est, sed modus potius futura praenuntiandi, ac si diceretur *convertentur* pro *convertantur*. Ita nobiscum sentit D. Augustinus lib. 16. contra Faustum cap. 22. dicens: *Maledicta cum ex prophetia dicuntur non sunt de malo voto imprecantis; sed de praescio spiritu denuntiantis*.

ARTICULUS TERTIUS

De Charitatis necessitate.

§. XLVII.

Dilectionem, qua *primarium* charitatis objectum, Deum O. M. prosequimur, medium fore ad salutem hominibus necessarium, satis indicant verba Joannis ep. 1. cap. 3. v. 14. *Qui non diligit manet in morte*. Ejusdem virtutis actus a lege naturae juberi, pariter indubium est. Haec enim cultum imperat

Supremo Numini referendum, qui sine dilectione consistere nequit. Sacrae quoque Literae tantum praeceptum innumeris prope locis indicunt. Verum, quis crederet? Dum non modo lex naturalis ac positiva divina, sed coelum et terra, et omnia, quae in eis sunt, undique nobis dicunt, ut Deum amemus, non defuerunt laxiores ethicae scriptores qui docuerint, mandatum de Deo diligendo peculiare atque a ceteris distinctum inter homines non haberi. Absurdam hanc doctrinam, ut pro munere evertamus, tria sejunctim disputanda constituimus: an, videlicet, quomodo, et quando speciale charitatis erga Deum urgeat praeceptum? Singulas quaestiones totidem resolutiones enodabunt.

Resolutio 1. Existere praeceptum speciatim obligans ad Dei dilectionem luculentissime innotescit ex Evangelio Matthaei. Ibi namque legisperito eum interroganti Christus ita reponit cap. 22. v. 37. 38. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est primum et maximum mandatum.* Qua ex auctoritate hac ratione argumentamur. Illud est peculiare mandatum, quod omnium *primum* et *maximum* in Scripturis Sacris appellatur: etenim nec primum, nec maximum dici posset, si cum aliis con-

funderetur. Sed ex praemissis tale amussim est praeceptum, de quo disserimus. Ergo reapse viget peculiare mandatum, quo Deum diligere jubemur. Exinde patet, quam merito ab Alexandro VIII. conficta fuerit sequens propositio: *Sufficit, ut actus moralis tendat ad finem ultimum interpretative. Hinc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu suae vitae mortalis* (1).

Resolutio 2. Ut rite divinum hoc praeceptum adimpleatur nonnullae requiruntur conditiones. Amor siquidem, quo ferimur in Deum, *interior* esse debet, *summus, gratuitus* et *efficax*.

1. Haec dilectio *interior* sit oportet. Aliter, quonam pacto Deus *ex toto corde*, hoc est, intimo animi affectu diligeretur? Si externa signa sufficerent ad charitatem; quid charitas, nisi figmentum? Haec si sufficerent; nonne sacrificium prorsus inane foret *cor contritum et humiliatum?* (2). Nonne etiam inanis adoratio in *spiritu*, et *veritate* (3). Haec si sufficerent; cur despiciendus eorum cultus, qui Deum quidem *labiis* honorant, *corde* autem *longe sunt* ab ipso (4)?

(1) Alteram id generis propositionem ab Alexandro VII. damnatam jam tradidimus Instit. §. xx. resolut. 2.

(2) Psalmo 50. v. 19.

(3) Evang. Joannis cap. 14. v. 24.

(4) Isaiae cap. 29. v. 13., et Evang. Matthaei cap. 15. v. 8.

2. Sit dilectio *summa;* adeo ut amor, quo Deum prosequimur excedat creaturarum amorem. Unde Christus in Evang. Matthaei cap. 10. v. 37. ajebat: *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Ad haec ratio naturalis accedit, qua duce, sic concludimus. Deus tantum infinita perfectione gaudet. Ergo nihil ei per dilectionem praeferri potest vel aequari: Ens enim in omnibus infinite perfectum prae cunctis creatis est amabile.

3. Sit *gratuita;* ne diligatur eo fine, ut bona temporalia consequamur (1). Hunc Dei diligendi modum nobis insinuat D. Augustinus in Psalm. 53. dicens: = Deus noster laudetur voluntate, ametur charitate: gratuitum sit quod amatur, et quod laudatur. Quid est gratuitum? Ipse propter se, et non propter aliud =.

4. Denique sit *efficax:* amor quippe necessario connexam habet fidelem mandatorum custodiam. Id in Evang. Joannis cap. 14. v. 15. et 21. Divinus Reparator disertis hisce verbis testatur: *Si diligitis me, mandata mea servate.... qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me* (2).

(1) Vide Instit. §. xxxix. ad 3.

(2) Praecitatum D. Joannis caput explicat D. Gregorius M. homil. 3. in Evang. atque ad rem nostram ita praeclare scribit: — Probatio dilectionis exhibitio est operis. Vere enim diligi-

Resolutio 3. Praeceptum Charitatis, si *negative* sumatur, obligat *semper ac pro semper:* ideo nunquam licebit quidquam admittere Divinae legi contrarium. Quatenus vero *affirmativum* illud est, semper equidem viget, sed quibusdam temporibus solummodo obligat, ac certe pluries in vita. Quod per actus amoris homo saepe Deum prosequi jubeatur, id perspicue ostenditur ex Deuteronomii cap. 6., ubi, post indictum v. 5. *primum et maximum mandatum*, Supernus Legislator sic populum Israel affatur: *Eruntque verba haec, quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo. Et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, et ligabis ea quasi signum in manu tua; eruntque et movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, et ostiis domus tuae.* Verum, qua de causa tam sedulo ac saepe meditandum hoc praeceptum, nisi quia frequenter adimplendum? Optimo ergo jure Innocentius XI. hasce propositiones inter proscriptas sub N. 5. et 6. connu-

mus, si ad mandata ejus a nostris nos voluptatibus coarctamus... Ad vosmetipsos ergo, fratres charissimi, introrsus redite, si Deum vere amatis, exquirite. Nec tamen sibi aliquis credat, quidquid sibi animus sine operis attestatione responderit. De dilectione conditoris lingua, mens, et vita requirantur. Nunquam est Dei amor otiosus. Operatur etenim magna, si est: si vero operari renuit amor non est —.

meravit. = An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus = Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum charitatis erga Deum = (1). Urget autem sive *per se*, sive etiam *per accidens* divinum hocce mandatum, quemadmodum obligant ceterarum virtutum theologicarum praecepta, de quibus recolantur quae diximus (§. XXXIII).

§. XLVIII.

Non modo *primarium* charitatis objectum, sed et *secundarium* lex divina diligere jubet. Haec veritas luce clarior apparet in eodem cap. 22. Matthaei. ubi v. 39. Servator ait: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Item ep. 1. cap. 4. v. 21. inquit Joannes Apostolus:

(1) Invicem non componuntur Theologi, cum definiendum sit, quonam tempore charitatis actus erga Deum sit eliciendus. Rentur alii cum Ledesma, a gravi piaculo neminem excusari, si ultra annum hujusce actus omissio protrahatur. Alii cum Scoto et Merbesio contendunt, hoc praeceptum singulis diebus festis obligare: ejusmodi namque dies per cultum Dei sanctificandi sunt: qui cultus non est, *nisi amor ejus*, teste D. Augustino lib. 12. de Trinitate cap. 14. Alii cum Suarezio generatim docent, non admodum differri posse charitatis actuum exercitium. Quaenam vero dilatio a gravi culpa defendi possit, quaenam frequentia exigenda, in particulari non decernunt, cum existiment, pro personarum conditione, variisque circumstantiis hoc judicium prudentibus esse relinquendum. Consulantur clar. Gotti tom. sup. cit. tract. de charitate quaest. 3. dub. 1., nec non Laur. Berti theol. discipl. lib. 23. cap. 15.

Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum diligat et fratrem suum. Interim quoad aliorum dilectionem tria investiganda occurrunt: 1. nempe, quali amore sit proximus diligendus? 2. Quaenam in hoc amore conditiones servandae? 3. Quid speciatim de inimicorum dilectione statuendum? Triplici instantiae ut probe satisfiat, sit

Resolutio 1. Duplicem amorem distinguere adsolent scriptores: *affectivum* nempe, qui in interiori cordis benevolentia consistit, et *effectivum*; qui per extrinsecos actus charitatis se prodit. Utrumque porro ad charitatem necessario pertinere noscimus ex D. Joanne ep. 1. cap. 3. v. 18. dicente: *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, et veritate.*

1. Itaque proximus diligendus est *opere;* amore scilicet *externo* seu *effectivo.* Quid enim prodesset; immo quid esset charitas, si amor circa opera externa non versaretur? Haec profecto nil aliud, quam vox inanis foret, si proximi ope nostra indigentis necessitatibus minime consuleremus.

2. Diligendus est quoque proximus *veritate:* nam *externus* amor ab *interiore* sejunctus charitas certe non est, sed charitatis simulatio. Amorem hunc internum ad charitatem potissimum requiri, docet in primis Apostolorum Princeps qui ep. 1. cap. 1. v. 22.

haec habet: *In fraternitatis amore simplici ex corde invicem diligite.* Eadem veritas Romanae Sedis firmatur auctoritate, cum Innocentius XI. sequentes damnaverit propositiones: = Non tenemur proximum diligere actu interno et formali = Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos =. Accedit insuper momentum rationis theologicae ita e superius traditis Christi verbis deductum. Proximum quisquis tenetur amore prosequi *sicuti seipsum.* At nemo est, qui se non diligat interno benevolentiae affectu. Amor igitur internus, seu *affectivus* proximo debetur.

Tandem, ut unum et alterum insimul complectamur amorem, sic argumentando procedimus. Divinus Redemptor de se nobis proponens exemplum proximi diligendi modum constituit dicens Joannis cap. 15. v. 12. *Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Sed Christus homines tum intimo, et maximo sane, cordis affectu dilexit: tum externis pietatis actibus sui amorem iisdem patefecit, quemadmodum ubique testatur Evangelica historia. Ergo dilectio proximi sive *affectiva,* sive etiam *effectiva* divino jubetur praecepto.

Resolutio 2. Ut proximi dilectio a virtute charitatis procedat, tribus conditionibus praedita sit oportet; *sanctitate* videlicet, *justitia,* et *veritate.*

Rem totam explicat Angelicus Doctor 2. 2. quaest. 44. art. 7., cujus doctrinam vel ipsis ejus verbis hic juvat referre.

= 1. Sit dilectio proximi *sancta* ex parte finis; ut scilicet aliquis diligat proximum propter Deum.

2. Sit dilectio proximi *justa* ex parte regulae dilectionis; ut scilicet aliquis non condescendat proximo in aliquo malo, sed solum in bonis.

3. Dilectio proximi sit *vera*, ex parte rationis dilectionis; ut scilicet non diligat aliquis proximum ob propriam utilitatem vel delectationem, sed ea ratione, quod velit proximo bonum, sicut vult bonum sibi ipsi... nam cum quis diligit proximum propter suam utilitatem vel delectationem, non vere diligit proximum, sed seipsum =.

Resolutio 3. Praeceptum de proximo diligendo amorem quoque jubet inimicorum, cum et ipsi inter proximos adnumerentur. Verum, quoniam judaeis persuasum erat illud pharisaeorum principium: *odio habebis inimicum tuum;* hinc eorum errorem ut revinceret dixit Christus Matthaei cap. 5. v. 44. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: et orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (1).

(1) Amorem inimicorum in hisce vocibus non modo consuli, sed praecipi sub gravi, docent unanimi suffragio Ecclesiae

Ad hoc autem, ut rite servari possit hujusmodi mandatum, nonnullae regulae prae oculis habeantur.

Regula 1. Cum verax proximi dilectio cuique divinitus indicta malevolentiae et ultionis desiderio penitus adversetur; exinde patet, quamlibet injuriam, utcumque atrocem, opus esse aequo animo oblivisci. Secus enim, ait Christus Matthaei cap. 6. v. 15. *si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Hinc plane colligitur, nemini fas esse, vel de malo inimici gaudere, quatenus ejus malum est, vel de ipsius bono tristari. Notandum vero, duo quam maxime inter se diversa fore, vindictae amorem deponere, ac debitam satisfactionem pro injuria vel damno recepto condonare. Primum divina lege jubetur, non tamen secundum. Ordini siquidem justitiae conforme omnino est jus suum etiam in judicio tueri cum de restitutione famae aut bonorum agatur; nisi qui injuriam vel damnum intulit aut veniam extra judicium poposcerit, aut sponte se se obtulerit satisfactioni (1).

Patres. Audiatur prae ceteris D. Augustinus serm. 68. de tempore haec scribens: — Dominus in Evangelio ut inimicos diligere debeamus non dedit consilium sed praeceptum. Grande praeceptum: sed grande praemium. Audisti opus, expecta mercedem —.

(1) Vide D. Thomam 2. 2. quaest. 108. art. 1.

Regula 2. Ex intima benevolentia inimicis exhibenda sunt *communia* dilectionis signa, quae juxta locorum morumque consuetudinem ceteris ejusdem conditionis attribuuntur. Ea quippe si omitterentur, id certe pertineret ad livorem vindictae (1). Quocirca haud dubio peccaret qui inimicum resalutare nollet, eique interroganti non responderet; qui studiose illius devitaret occursum; qui eundem ab eleemosynis, ab orationibus exciperet. Quoad hujusce regulae custodiam exemplo sint nobis, et Christus moriens, qui pro se crucifigentibus exoravit (2): et Stephanus, qui dum lapidibus obruebatur interfectores Deo commendavit (3): et Paulus, qui cum malediceretur benedicebat, cum blasphemaretur obsecrabat (4).

Regula 3. Signa amicitiae, quae *specialia* vocantur, uti colloquium, commune convivium, aliaque similia, ordinarie loquendo, inimicis praebere non jubemur: nam per se non magis obligat praeceptum charitatis ad inimici, quam ad aliorum dilectionem. Quin immo praetermittenda omnino erunt ejusmodi signa, tum si, iis positis, inimicus audacior ac deterior evasurus praevideatur;

(1) Ibidem quaest. 25. art. 9. et quaest. 83. art. 8.
(2) Evang. Lucae cap. 23. v. 34.
(3) Actorum cap. 7. v. 59.
(4) Ep. 1. ad Corinthios cap. 4. v. 12. et 13.

tum si, iis contra praeteritis, facilius sperari possit, hunc ad meliorem frugem reverti.

Regula 4. Quamquam ex dictis *ordinarie* non obliget divinum praeceptum ad peculiaria benevolentiae signa inimico exhibenda; pluribus tamen exceptionibus pro variis circumstantiis haec doctrina subjicitur.

Nam 1. Si in urgenti necessitate versetur inimicus, si in bonis famae, corporis, vel fortunae periclitetur; hisce in casibus peculiari quoque ratione succurrendum illi est, cum id fieri queat absque gravi succurrentis detrimento. Hoc charitatis munus nobis insinuant Proverbiorum verba cap. 25. v. 21. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere.*

2. Item hujusmodi signa dilectionis inimico deneganda non sunt, si ad ejus resipiscentiam eadem sint opportuna, aut necessaria ad scandalum avertendum: praecipit enim charitas, ut malum proximi spirituale, cum quis facile possit, impediat.

3. Si qui nobis injuriam irrogavit prior sit in exercendis erga nos familiaritatis officiis, haec illi ex aequo rependantur: secus qui ageret magis inimicitiam foveret.

Regula 5. Inimicitia suborta, exigit charitatis praeceptum, ut inter dissidentes reconciliatio fiat (1). Ad quam ineundam opus

(1) Ex Evangelio Matthaei cap. 5. v. 24.

est, ut veniam postulet qui in alterum deliquit. Si ambo, vel plures invicem se se offenderint, reconciliationem petat qui vel prius vel gravius offendit. Ille vero, cui satisfaciendum est, benigne offensorem poenitentem excipiat (1). Ita docet D. Augustinus serm. 120. dicens: *Petat veniam qui fecit injuriam. Det veniam qui accepit injuriam ut non possideamur a satana, cujus triumphus est dissensio Christianorum.*

ARTICULUS QUARTUS

De ordine in charitate servando.

§. XLIX.

= Ille juste et sancte vivit qui rerum integer aestimator est. Ipse est autem qui ordinatam dilectionem habet: ne aut diligat quod non est diligendum; aut non diligat quod est diligendum; aut amplius diligat quod minus est diligendum; aut aeque diligat quod vel minus vel amplius diligendum est: aut minus vel amplius quod aeque

(1) Plures sunt casus, in quibus veniae petendae non urget obligatio. Haec tollitur praesertim, si injuria fuerit levis: si diversa ratione illi satisfieri possit: si prudenter censeatur quod offensus vel remiserit injuriam, vel ex petitione veniae ira magis exardesceret: si extiterit quaedam injuriarum mutua compensatio: si offensor auctoritate vel dignitate longo praestet offenso: si tandem ferat consuetudo loci, ut aliter fiat reconciliatio. Ita communiter.

diligendum est =. En quam perbelle charitatis ordinem describat Hipponensis Pater lib. 1. de Doctrina christiana cap. 27. Maximam in charitatis exercitio hujusce ordinis necessitatem Theologi omnes agnoscunt, eamque D. Thomas 2. 2. quaest. 44. art. 8. sic paucis demonstrat: = Modus, qui pertinet ad rationem actus virtuosi cadit sub praecepto, quod datur de actu virtutis. Ordo autem charitatis pertinet ad ipsam rationem virtutis, cum accipiatur secundum proportionem dilectionis ad diligibile.... Unde manifestum est, quod ordo charitatis debet cadere sub praecepto =. Hic porro juxta D. Bernardum serm. 50. in Canticum duplex assignatur: *dilectionis*, nimirum, ac *beneficii*. Prior desumitur a dignitate, praestantia perfectione, vel propinquitate objecti quod amatur; alter a necessitatibus eorum, quibus suppetiae feruntur.

§. L.

Ad summa capita ut revocentur ea plurima, quae scriptores de charitatis ordine tradunt, sequentes regulae statuantur.

Regula 1. Ordo amoris in charitate servandus requirit, ut quisque Deum appretiative magis diligat, quam proximum, quam seipsum.

Ultro fluit haec veritas ex dictis (§. XLVI).

Cum enim appretiative summus esse debeat amor, quo Deum prosequi jubemur, jam patet, ordinatam non fore charitatem, nisi Deus per amorem creatis omnibus praeferatur. Nemo igitur vel proximum vel seipsum appretiative diligere potest aeque ac Deum, quin ordinem charitatis pervertat (1).

Regula 2. Quamquam ex charitatis praecepto aeternae saluti proximi consulere debeamus, nulli tamen id fieri licet cum animae propriae dispendio.

Nam, *quid prodest*, inquit Christus apud Matthaeum cap. 16. v. 26., *quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?*

Quapropter infertur 1. nefas esse peccare ad alienam culpam utcumque gravem et nocuam impediendam, tum quia vetat Apostolus ep. ad Romanos cap. 3. v. 8., *ne faciamus mala, ut veniant bona;* tum quia peccatum eligere ob alterius bonum est magis diligere proximum, quam se; quod profecto charitatis ordini adversatur (2).

(1) Vide D. Thomam 2. 2. quaest. 26. integro art. 3.

(2) Bona spiritualia vel ad ultimum finem per se necessaria sunt, vel tantum utilia. Quo posito, adnotandum, quod, quamvis non liceat bona primi generis negligere pro aliorum salute spirituali, posteriora tamen quandoque praeteriri possunt ac

Infertur 2. Nemini quoque fas esse pro aliorum salute spirituali proximo se se exponere periculo peccandi. Animadvertunt siquidem Theologi, eum a culpa non excusari, qui voluntarie se objicit periculo, in quo moraliter certus est lapsus. Huic doctrinae suffragatur auctoritas Innocentii XI., qui sequentem propositionem damnavit: *licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali aut temporali nostro, vel proximi* (1).

Regula 3. Generatim loquendo adversus

debent, ut proximus in spirituali non modo, sed etiam in temporali necessitate adjuvetur. Lex naturae nonnunquam id exigit, et ordo charitatis. Unde e. c. si parentibus infirmis subveniendum sit, si filii egeni sint alendi, in hisce casibus ingressus in religionem, licet per se maximum bonum spirituale, praetermittendus erit. Pariter neque charitatis ordini opponeretur qui pro aliorum bono aeternam beatitatem sibi differri exoptaret: quin potius perfectissimae charitatis erga Deum haec nota foret, si talem dilationem quis vellet, ut animas Christo lucrifaceret. Hac de re sit nobis exemplar Martinus Turonensis Episcopus, qui si adhuc esset populo necessarius, vivere non recusabat.

(1) Cum distinguere soleant TT. inter periculum *proximum, probabile*, et *remotum*, concludunt, *probabile* periculum peccandi non esse vitandum, si agatur de spirituali damno proximi certo, vel longe probabiliori impediendo. Ita sentiunt Salmanticenses tract. 21. cap. 6. N. 28., Sanchez in Decalogo lib. 1. cap. 8., et B. Alphonsus de Ligorio theolog. mor. tom. 1. lib. 2. tract. 3. cap. 2. dub. 1. Id eo magis de *remoto* periculo asseratur. Secus dicendum foret, Sacramenta non esse conferenda, non divina eloquia populo nuntianda, non ecclesiastica ministeria obeunda, eo quod periculum remotum peccandi haec omnia identidem comitatur.

ordinem charitatis agit, qui ad vitam personae privatae servandam vitae propriae vult pati jacturam.

Hoc principium sequenti ratione confirmat D. Augustinus lib. de mendacio cap. 6. dicens: *Si pro* alterius *temporali vita suam ipsam temporalem quis perdat, non est jam diligere* proximum *sicut seipsum, sed plusquam seipsum, quod sane doctrinae regulam excedit*. Diximus in primis, *generatim loquendo* propriae vitae alienam non esse praeferendam. At peculiares occurrunt circumstantiae, in quibus charitatem non laedit qui secus operatur. Etenim 1. cuique licet probabili mortis periculo se tradere, ut a morte certa proximus eripiatur: ita ex communi Doctorum sententia. 2. Licet mortem perpeti, quam injustus aggressor nititur inferre. Nam, etsi jure naturae ad sui defensionem quisque, servato moderamine, illum interficere possit, ad hoc tamen cogitur nemo, quia praeceptum de propria vita custodienda non obligat cum tanto incommodo, quale profecto est hominis occisio: immo laudabilis charitatis actus hic erit, si quis defendere se nolit, ne injustus aggressor detrimentum animae patiatur. 3. Rursus vitam exponere licet si de parentum agatur defensione, aut benefactoris, aut personae, quae Religioni sit utilis vel

societati. In hisce casibus, cum vita proximi praecise sumpta non diligatur quatenus vita est, sed propter exercitium unius vel alterius christianae virtutis, quae sane magis est bonum, quam vita; manifestum exinde est, charitatis ordinem ab eo perfici, non perturbari, qui ad tantum finem pro aliorum privata salute in discrimine se ponit (1).

Diximus insuper *ad vitam personae privatae servandam* generatim nefas esse mortem oppetere. Contra vero sentiendum, si sermo sit de publica persona, hoc est, de summo publicarum rerum moderatore, a quo patriae salus dependet. Qua in hypothesi cum aliter impediri nequeat malum commune, tum propriam vitam exponere non modo licitum, sed necessarium erit ex eo juris naturae principio, quod, scilicet, publicum bonum est privato anteferendum.

Regula 4. Quoniam salus aeterna bonum est longe praestantius quam vita corporea; hinc debitus charitatis ordo requirit, ut *extremae* proximi necessitati spirituali etiam cum vitae discrimine consulatur.

In tanta necessitate constitutus ille dicitur, cui, nisi adjuvetur, aeterna salus est moraliter impossibilis. Ei autem succurren-

(1) Prae ceteris in id consentit D. Thomas in 3. distinct. 29. art. 5. ad 3.

dum esse cum vitae quoque jactura, patet ex Evangelio Joannis cap. 15. v. 12., ubi veluti norma proximi diligendi proponitur amor ipse, quo Christus mundum dilexit, ac pro nobis in extrema necessitate positis Sanguinem effudit. Unde Augustinus lib. de mendacio cap. 6. haec apposite scribit: *Temporalem plane vitam suam pro aeterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere: hoc enim praecessit exemplum, ut pro nobis Dominus ipse moreretur* (1).

Regula 5. Si *gravis* tantummodo sit necessitas proximi spiritualis, eam non jubemur auferre cum vitae periculo, immo neque cum gravi bonorum vel famae detrimento; nisi tamen specialis animarum cura sit nobis ex officio commissa.

Hujusmodi regulae fundamentum ex hoc eruitur, quod charitatis praecepto adeo non devincimur, ut cum tanto incommodo sub-

(1) Inter cuncta naturae bona, quibus nunc fruimur, omnium certe maximum est vita. Idcirco, ut regula, de qua disserimus, prudenti ratione servetur, hanc nonnullis limitationibus concludunt auctores. Inquiunt igitur eandem tum locum habere 1. cum certo vel admodum probabiliter noscas, te proximo spiritualiter profuturum: nemo siquidem cum detrimento vitae ad opus inutile tenetur: 2. cum alter non adsit, qui possit aut velit huic subvenire necessitati: 3. cum vita, quam pro alio exponis, non sit Ecclesiae bono, aut reipublicae necessaria, neque deterius malum sit inde secuturum: 4. si denique grave damnum spirituale tibi non immineat: aliter animam ipsam, nedum corpus traderes pro salute proximi; quod ex regula 2. est contra ordinem charitatis.

ducere proximum debeamus necessitati, in qua difficulter quidem, sed absolute sine alterius ope salutem ille consequi potest. Casum excepimus Pastoris animarum, cui, ob peculiare munus pascendi gregis sibi concrediti susceptum, nec vitae, nec opibus parcere sinit populi non modo extrema, sed et gravis necessitas spiritualis (1).

Regula 6. Pro necessitate spirituali proximi *communi* nemo vitam periculo committere, nemo grave bonorum temporalium detrimentum subire tenetur.

Nam communis haec necessitas, quae reperitur e. c. in illo, qui vel habitu pravo detinetur, vel in voluntaria peccandi versatur occasione, reapse necessitas non est, cum ab iis quisque facili negotio expediri possit, quin ab altero juvetur.

Regula 7. Cum plures necessitate sive spirituali sive temporali urgeantur, singulis autem aeque succurrere non valeamus; si par sit omnium necessitas, tum dilectionis exigit ordo, ut praeferantur extraneis propinqui; ex hisce vero, qui nobis sunt necessitudine propinquiores.

(1) Id colligitur ex communi doctorum suffragio, e quibus legi poterunt Salmanticenses tract. 21. cap. 6. N. 34., La-Croix theol. mor. lib. 2. N. 147., Tournelii continuator tom. 3. tract. de Decal. cap. 1. art. 3. punct. 1. concl. 2., et B. de Ligorio loco sup. cit.

Praecipit enim lex ipsa naturalis, quae charitate non immutatur sed perficitur, ut plus amentur conjuncti, quam alieni; conjunctiores magis, quam minus conjuncti (1).

Verum, ut ambages in hac regula devitentur, singillatim sive quoad conjunctos sive quoad extraneos animadvertenda sunt plura.

Si de conjunctis in pari necessitate existentibus sermo sit, en quid Theologi communi calculo decernant.

1. Pater cum *per se* excellentiorem habeat rationem principii praeferendus est matri. *Per accidens* tamen causae quandoque occurrunt, ob quas mater aequo jure praefertur: *potest* enim in utroque *tanta esse distantia virtutis et malitiae, ut amicitia solvatur vel minuatur* (2).

2. Parentes in extremae necessitatis casu adjuvandi sunt potius, quam filii, tum ob plurima bona, quae ab ipsis homo recepit; tum quia parentes sunt principium et causa, filii vero sunt effectus: major autem dependentia et obligatio esse debet effectus ad causam, quam causae ad effectum (3).

3. Idipsum dicamus de parentibus com-

(1) Vide Augustinum lib. 1. de Doctrina christiana cap. 28.

(2) Ita D. Thomas 2. 2. quaest. 26. art. 10.

(3) Ibidem cit. quaest. art. 9. et quaest. 31. art. 3. ad 4.

parate ad uxorem, eadem posita necessitate. Nam *secundum rationem boni, quod est objectum dilectionis, magis sunt diligendi parentes, quam uxor, quia diliguntur sub ratione principii, et eminentioris cujusdam boni* (1).

4. Remoto extremae necessitatis articulo, uxor parentibus anteferatur, quia *secundum rationem conjunctionis magis diligenda est uxor* (2). Hoc sensu inquit Christus Matthaei cap. 19. v. 5. *Dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae:* videlicet, quoad statum societatis conjugalis tenetur homo, non parentibus, sed uxori adhaerere, ut triplicem conjugii finem consequatur, qui in susceptione, conservatione, educatione liberorum consistit.

5. Item uxor praeferatur filiis utpote viro conjunctior: filius fratribus, quia cum patre majorem necessitudinem habet: frater cognatis: inter ceteros consanguineos proximior, servato juxta diversos consanguinitatis gradus ordine naturali.

Sin autem in pari necessitate versentur qui nobis natura conjuncti non sunt, respectus tum habeatur ad eorum perfectionem, ad gratitudinem ipsis debitam, ad spiritualem et civilem cum iisdem propinquitatem,

(1) Haec apud Aquinatem eod. loc. quaest. 26. art. 11.
(2) Ibidem.

ad communem utilitatem. Quocirca, ut charitatis ordo custodiatur, justi praeponendi sunt peccatoribus, benefactor non benefactori, fideles infidelibus, concives extraneis, publica persona cuilibet privato, imo et parentibus ipsis, si ea Religioni aut societati sit necessaria.

Regula 8. In hypothesi necessitatis longe inaequalis ibi magis charitatis urget praeceptum, ubi major necessitas occurrit, nullo inter conjunctos et extraneos discrimine servato.

In id prorsus consentiunt Augustinus et Bernardus, quorum unus serm. 139. ait: *Charitas, quae tamquam nutrix fovet filios suos... ordine subveniendi infirmiores fortioribus anteponit:* alter vero haec habet serm. 50. in Canticum: *vere in hoc est charitas, ut qui indigent amplius accipiant prius.* Qua de re si conjunctus communi tantum laboret necessitate, si extraneus gravem patiatur, huic potius, quam illi opem ferre debemus. Item si utriusque necessitas gravis quidem sit vel extrema, sed diversae speciei, adeo ut extraneus spiritualiter indigeat, conjunctus in temporalibus, tum prae altero prior adjuvetur, quia de se gravior est necessitas spiritualis cum bonum superioris ordinis respiciat (1).

(1) Ibidem quaest. 31. art. 3.

ARTICULUS QUINTUS

De officiis spiritualibus proximo exhibendis, ac praesertim de correptione fraterna.

§. LI.

Non diligamus verbo, neque lingua; sed opere et veritate, inquit Apostolus Joannes ep. 1. cap. 3. v. 18. Verax igitur et perfecta haud unquam erit charitas erga proximum, nisi per externos actus haec virtus potissimum exerceatur. Inter eos principem locum tenent actus, qui vulgo spirituales appellantur, quosque septem hisce verbis auctores particulatim denotare consuescunt.

Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

Haec singula persequi jam cunctis pernota charitatis opera tum longum foret, tum parum etiam necessarium. Quapropter, cum ipsa indicasse sufficiat, ad *fraternam correptionem* tantum sermonem convertamus. Correptio in *judicialem* dividitur *paternam*, et *fraternam*. Judicialis est actus justitiae vindicativae, qui non modo ad emendationem illius, qui corripitur, verum etiam ad ejus punitionem ab auctoritate publica in commune bonum ordinatur. Paterna fit a patre in filium privatam potestatem habente. Fraterna ea est, qua quis dat operam, ut emendetur alter sibi proximus, in quem nec publicam, nec paternam habet auctoritatem.

§. LII.

De postremo correptionis genere in praesens agitur, cujus necessitatem Scripturarum oracula manifestissime ostendunt. Hujusmodi namque charitatis actum divinitus praecipi, liquet, tum e Christi verbis Matthaei cap. 18. v. 15. *Si peccaverit in te frater tuus*, (1) *vade, et corripe eum:* tum ex ep. ad Galatas cap. 6. v. 1. *Si preocupatus fuerit homo in aliquo delicto... hunc instruite in spiritu lenitatis* (2). Quamquam praesertim divinum hoc praeceptum Ecclesiae Praepositos constringat, Magistratus civiles, et quotquot in alios auctoritate gaudent, quibus ratione officii cura inferiorum incumbit (3); nihilo tamen secius omnes hoc ipso munere universim fungi tenentur. Legimus enim in libro Ecclesiastici cap. 17. v. 12. *Mandavit... unicuique de proximo suo.* Quid vero Deus ibi mandavit? Nonnisi ut

(1) Si peccaverit in te, scilicet, coram te, vel te sciente, uti placet D. Augustino serm. 82. de verbis Domini.

(2) De hoc mandato disserens Tertullianus lib. adversus Marcionem, duplici ex capite in illud peccari posse per omissionem, animadvertit. En illius verba: — Peccantem fratrem *Deus* jubet corripi: quod qui non fecerit, utique delinquit, aut ex odio volens fratrem perseverare in delicto, aut ex acceptione personae parcens ei —.

(3) Vide Augustinum lib. 1. de Civit. D. cap. 9., Gregorium M. 2. parte regulae pastoralis ad Joannem Episcopum., et Bernardum serm. 42. in Canticum.

quisque proximi bono, cum posset, pro opportunitate consuleret. Porro, ut proximi bono consulatur, malum spirituale, hoc est, peccatum, ab eo praecipue avertendum est. Ut peccatum proximi impediatur, saepe fraterna correptio medium est necessarium. Eodem igitur praecepto, quo jubentur omnes bono proximi studere, ad correptionem fraternam aeque prorsus obligantur (1). Idipsum e Sacris Literis concludit Innocentius III. dicens cap. 12. de haereticis: *Fratrem peccantem occulte corripere.... quisque tenetur secundum regulam Evangelicam.*

§. LIII.

Tantam vim in praecepto de correptione fraterna Scriptores agnoscunt, ut *per se*, ac *natura sua* illud sub gravi obligare, nemine dissentiente, concludant. Haec tamen ut urgeat obligatio, nonnullae requiruntur conditiones.

Nam 1. opus est, ut corripiens moralem habeat certitudinem vel de proximi lapsu, vel de ipsius gravi periculo peccandi: quempiam enim arguere de culpa non explorata et incerta, cum prudentiae regulis adversetur, sub praecepto cadere non potest.

(1) Praeter Augustinum loc. cit. adi sis Chrysostomum homil. 1. ad populum Antiochenum, homil. 30. in ep. ad Hebraeos, et homil. 44. in ep. 1. ad Corinthios.

2. Monitio tum tantum fieri debet, cum probabiliter speranda sit proximi emendatio. Siquidem, hac spe sublata, non salutaris, sed potius inanis censenda est correptio: si inanis, ergo non jubetur, cum de inutilibus non detur obligatio. Id eo vel magis asseritur in hypothesi, qua malus effectus inde secuturus praevideatur; si, nimirum, prudenter metuendum sit, ne delinquens deterior fiat, nec concitentur rixae, ne inimicitiae exoriantur. Hinc Proverbiorum cap. 9. v. 8. dicitur: *Noli arguere derisorem, ne oderit te.* Generatim intelligenda fore, adnotamus, quae de hacce secunda conditione tradidimus: interdum namque plures occurrunt causae, ob quas correptio, sive prosit, sive etiam obsit delinquenti, praetermittenda non est. Potissimum id contingit, si ad alterius famam tuendam, si ad vitandum pusillorum scandalum, si ad divinam injuriam impediendam vel reparandam fraterna correptio necessaria existimetur.

3. Proximum corripere tenemur, cum sit illi necessaria monitio. Etenim *correctio fraterna ordinatur ad fratris emendationem: et ideo hoc modo cadit sub praecepto secundum quod est necessaria ad istum finem*: verba haec sunt Angelici Doctoris 2. 2. quaest. 33. art. 2. Ex hisce facile colligimus, nemini praeceptam esse proximi correptio-

nem, si jam ille fuerit ad meliorem frugem revocatus, vel si ab altero sit monendus, vel si non egeat commonitione, ut emendetur (1).

§. LIV.

Actus virtutum non quolibet modo fieri debent, sed observatis debitis circumstantiis, quae requiruntur ad hoc, quod sit actus virtuosus, ut scilicet fiat ubi debet, et quando debet, et secundum quod debet: ita D. Thomas loco sup. cit. In proximo itaque corripiendo modus apprime servandus est, quem ipsa suggerit virtus charitatis.

Hinc 1. fraternam admonitionem comitari debet spiritus lenitatis. Hujusmodi corri-

(1) Cum omnes concurrant, quas hic enumeravimus conditiones, praeceptum divinum *sub gravi* obligare ad proximum de culpis lethalibus nondum emendatis corripiendum, nemo theologorum inficiatur. Verum quid de culpa veniali? Num et ipsa erit necessaria correptionis materia? Hac de re non idem consensus. Id enim aliqui negant. Alii contra docent, hujusmodi praeceptum *per se* tum quoque obligationem inducere, *sub levi* tamen ob materiae parvitatem. Ad hoc autem neminem teneri plures contendunt, nisi ratione familiaritatis, aut officii, ex quo peculiarem curam quis de proximo gerit. Addunt etiam communiter hanc obligationem *per accidens* aliquando fore sub mortali, si veniales culpae, quae correptione sunt impediendae, ad lethale peccatum proxime deducant, si grave scandalum pariant, si in ordine monastico regularem observantiam evertant. De hac opinionum dissensione vide Antoine tom. 2. part. 1. tract. de virt. theol. part. 3. cap. 5. quaest. 1., et Tournelii continuat. tom. 3. tract. de Decal. cap. 1. art. 3. sect. 6. punct. 2. conclus. 1.

piendi rationem vehementer ac pluries in suis epistolis inculcat Apostolus (1); eamque passim Ecclesiae Patres nobis commendant (2). Prae cunctis audiatur Chrysostomus homil. 3. ad populum Antiochenum ita scribens: = Vis fratrem corrigere? Lacryma, ora Deum, seorsum apprehensum admone, consule, exhortare: sic et Paulus faciebat... Demonstra charitatem erga peccatorem: persuade ipsi, quod consulens, et curans, non traducere volens, peccati ipsum commonefacis: comprehende pedes, osculare, ne erubescas, si modo vere mederi vis. Haec et medici faciunt saepius, qui difficiles aegrotos habent, deosculantes, rogantes persuadent salutarem sumere medicinam =.

2. *Non una eademque cunctis exhortatio congruit,* ait D. Gregorius M., *quia non cunctos par morum qualitas astringit: saepe namque aliis officiunt, quae aliis prosunt* (3). Quapropter si proximum a culpa retrahere non valeat levis correctio, tum severior usurpetur, dummodo semper cum charitate jungatur. Ita plane docet Hipponensis Episcopus hisce verbis in Psal. 102. *Qui forte per-*

(1) Ep. ad Galatas cap. 6. v. 1. et ep. 2. ad Timotheum cap. 4. v. 2.

(2) Vide insuper Gregorium Nazianzenum de moderatione in disputationibus servanda, et Ambrosium lib. 8 in Lucae cap. 17.

(3) Haec habentur in 3. parte sup. cit. Regulae Pastoralis.

tinent ad gubernationem tuam, vindica, coerce cum dilectione, cum charitate, attendens salutem aeternam, ne, cum parcis carni, anima pereat (1).

3. Ne fraterna correptio exitialis evadat, juxta prudentiae normam hoc officium exercendum est; ideo in posterum tempus non raro differenda correptio, cum id magis utilitati proximi conferre videatur. Amussim nobiscum sentit jam toties citatus Augustinus, qui lib. 1. de civit. Dei cap. 9. N. 2. haec habet: *Si propterea quisque objurgandis, et corripiendis male agentibus parcit, quia opportunius tempus inquirit... non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis.*

4. In correptione demum ordo sectandus est, quem Servator ipse Matthaei cap. 18. v. 15. constituit. Fratrem *corripe,* inquit ibidem Christus, *inter te, et ipsum solum;* hoc est, ut explicat Augustinus, *non palam, sed in secreto, et occulte;..... nam si solus nosti, quia peccavit in te, et eum vis coram omnibus arguere, non es correptor sed proditor* (2). Unde patet, quod si privatim quis

(1) Consimilia tradunt Hieronymus lib. 1. in cap. 1. Jeremiae, Gregorius M. lib. 24. Moralium cap. 16. N. 42., et Bernardus serm. 44. in cantic.

(2) Ita praefat. Doctor serm. 82. de verbis Domini, cui adjiciantur Hieronymus in hunc Matthaei locum, et Ambrosius in Psal. 118.

deliquerit, remotis testibus, prius commonendus est, ne ipsius fama in discrimine ponatur. *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum, vel trium stet omne verbum* (1). Igitur si nullum effectum pariat clandestina monitio; ut ex uno capite ad resipiscentiam devium perducamus, ut ejusdem fama inoffensa maneat ex altero, non plures, sed unum, aut pauci testes adhibendi sunt, e quorum praesentia reddatur efficacior correptio. *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae* (2). En praeceptum, quo, bina monitione praemissa, proximi culpa non emendata superiori deferenda jubetur. In primis tamen animadvertimus, ad graviores culpas praeceptum hujusmodi referri, uti compertum est e consequentibus hisce verbis: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicuti ethnicus et publicanus.* Animadvertimus secundo, hunc ordinem a Christo praestitutum non semper cadere sub praecepto. Interdum enim recta ratio simul et charitas aeque postulant, ut, correptione praetermissa, illico fiat alienae culpae delatio. Id porro contingit, si culpa jam innotescat; si occulta quidem sit, sed in grave cedat Religionis, vel patriae, vel etiam privatae personae detri-

(1) Eodem cap. 18. v. 16.
(2) Ibidem v. 17.

mentum; si per secretam monitionem ea impediri nequeat; si tandem periculum sit in mora. Ita unanimi sensu TT. concludunt cum D. Thoma in quaestionibus disputatis de correctione fraterna art. 2. ad 10. dicente: *Cum mora denuntiationis est periculosa, oportet non expectare admonitionem, sed procedere ad denuntiationem*.

ARTICULUS SEXTUS

De officiis temporalibus erga proximum exercendis, ac de eleemosyna speciatim.

§. LV.

Corporeis quoque necessitatibus proximi succurrendum est per actus charitatis externos, quos diserte sic Lactantius describit: = Si quis victu indiget, impertiamur; si quis nudus occurrerit, vestiamus; si quis a potentiore injuriam sustinet, eruamus. Pateat domicilium nostrum peregrinis, vel indigentibus tecto. Pupillis defensio, viduis tutela nostra non desit. Redimere ab hoste captivos magnum misericordiae opus est, aegros pauperes visere, atque refovere. Inopes, aut advenas, si obierint, non patiamur insepultos jacere. Haec sunt opera, haec officia misericordiae, quae si quis obierit,verum, et acceptum sacrificium Deo

immolabit (1) =. Actus hujusmodi brevius adhuc sequenti versiculo enuntiantur.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Omnes recensiti actus merito appellari possunt opera *eleemosynae;* haec enim graeca vox est, quae latine redditur *Misericordia.* Latissime porro quemlibet misericordiae sive spiritualis, sive temporalis actum eleemosyna significat: saepius tamen, magisque communiter ea sumitur pro actu, quo ad alterius pauperiem sublevandam aliquid erogamus.

§. LVI.

Expedit nunc ea plurima summatim conferre, quae de eleemosyna stricte sumpta fuse tradunt ethicae christianae Scriptores. Atque ut ab ejus necessitate exordiamur, dicimus, divinum extare mandatum jubens erga pauperes largitatem. E Sacris Libris perspicue constat haec veritas: inquit enim Deus in Deuteronomio cap. 15. v. 11. *Ego praecipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi:* item in Ecclesiastico cap. 4. v. 1. et 8. *Fili eleemosynam pauperis ne defraudes, et oculos tuos ne transvertas a paupere... declina pauperi sine tristitia au-*

(1) Haec habentur in Epitome divin. Instit. cap. 65. tom. 2. edit. paris. ann. 1748.

rem tuam, et redde debitum tuum (1). Gravis equidem est hujusmodi praecepti obligatio. Legitur siquidem Proverbiorum cap. 21. v. 13. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur*: rursus in ep. Jacobi cap. 2. v. 13. *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam:* et cap. 25. Matthaei v. 41. *Ite maledicti in ignem aeternum..... esurivi enim, et non dedistis mihi manducare.* Quibus e locis hac ratione concluditur. Qui opera eleemosynae praeterit meretur a Deo non exaudiri, sine misericordia judicari, in aeternum ignem detrudi. Sed talia promereri nequit, nisi transgressor legis sub gravi obligantis. Gravis igitur est obligatio praecepti, de quo disputatur (2).

§. LVII.

Verum ut divinum hocce mandatum apprime servetur, quaenam sunt bona paupe-

(1) Doctrina de misericordia erga pauperes adhibenda Stoicorum, et Manichaeornm deliramentis adversatur. Stoicos namque misericordiam inter animi vitia connumerare non puduisse noscimus tum ex Annaeo Seneca lib. 2. de clementia cap. 5., tum ex D. Augustino lib. 9. de Civ. Dei cap. 5. Manichaeos autem de eleemosyna tribuenda neque praeceptum admisisse neque consilium, deducitur pariter ex eodem Augustino lib. contra Adimantum cap. 17., et lib. 20. contra Faustum cap. 16.

(2) De vi et obligatione hujusce mandati plura videri poterunt apud Cyprianum lib. de opere et eleemosynis, Gregorium Nazianzenum de pauperum amore, Chrysostomum serm. 4. in ep. ad Ephesios, et Hieronymum in cap. 6. Michaeae.

ribus impertienda? Numne de rebus propriis, vel etiam de alienis fieri debet eleemosyna? Num de male partis? Num de necessariis vel de superfluis tantum? En quaestiones praecipuae, quae nobis hic enodandae objiciuntur. Unde sit

Resolutio 1. Posita egestate proximi vel communi, vel etiam gravi, bona propria in ejus levamen impendenda sunt, non aliena. Doctrinam hanc Scripturae Sacrae apertissime tradunt. Proverbiorum namque cap. 3. v. 9. habetur: *Honora Dominum de substantia tua:* et Isaiae cap. 58. v. 7. *Frange esurienti panem tuum.* Idipsum ratio quoque naturalis ita confirmat. Per eleemosynam fit rei donatio. Per donationem dominium rei ex uno in alterum transfertur. At nemo potest, nisi de rebus propriis in alterum transferre dominium. Ergo de bonis alienis eleemosyna fieri nequit (1). Haec tamen dicta intelligantur in cujuslibet necessitatis casu praeter extremam: requirit enim extrema necessitas, ut, si opus fuerit, non modo propriis, sed et alienis bonis inopi succurratur, cum ipso jure naturae omnia

(1) Exinde colliges, quod si deposito, commodato, vel pignore quid traditum tibi fuerit, non pauperibus distribuendum erit; sed cui competit reddendum: item si aere alieno graveris, prius debitum solve, quam ad opera misericordiae pecuniam convertas.

sint in tanto discrimine communia (1).

Resolutio 2. Circa ea, quae illicite, comparantur, animadvertimus, haec tria contingere posse, nempe vel injustitiam tantum esse in acquirente, prout evenit in usura, in furto, in rapina: vel recipientem, ac dantem simul injustitiam admittere, uti in simonia: vel nullam utrinque injustitiam haberi, sicuti patet in lenocinio, ex quo lucrum obtentum, cum sit merces iniquitatis, *sordidum* quidem ac *turpe* merito appellatur, sed per se injustum non est. Hisce adnotatis, res tota sic paucis concluditur.

Quidquid in prima hypothesi acquisitum fuit, in subsidium pauperum insumendum non est, quia justitia postulat, ut de rebus alienis fiat restitutio. Auctoritate SS. Patrum haec conclusio roboratur. Nam D. Chrysostomus homil. 33. ad populum Antiochenum ait: = Aliena rapiens profecto non est misericors, licet infinite largiatur =. Idem profert D. Ambrosius lib. 1. de officiis cap. 30. dicens: = Non probatur largitas, si quod alteri largitur, alteri quis extorqueat: si injuste quaerat, et juste dispensandum putet =. In id etiam ep. lib. 7. D. Gregorius M. hisce verbis consentit ep. 110. =E-

(1) Quoad priorem hanc resolutionem ea recolantur, quae de necessitate extrema, gravi, et communi jam indicavimus Instit. lib. 2. §. CVII.

leemosyna Redemptoris nostri oculis illa placet, quae non de illicitis rebus, et iniquitate congeritur, sed quae de rebus concessis, et bene acquisitis impenditur =. In secunda hypothesi, cum unus dederit injuste, cum alter injuste receperit, rem uterque meretur amittere, quae idcirco eleemosynis distribui debet. In postrema lucrum, *quod sic illicite acquisitum est, retineri potest, ac de eo eleemosyna fieri.* Ita docet Angelicus 2. 2. quaest. 32. art. 7. Quamvis interim de hisce bonis eleemosyna praecepta non videatur, est tamen consulenda veluti medium, quo peccator sua crimina misericordiae operibus redimere, fructusque dignos agere valeat poenitentiae (1).

Resolutio 3. Cum de bonis supervacaneis generatim loquatur Christus in Evangelio Lucae cap. 11. v. 41. haec pauperibus jubet erogari, dicens: *Quod superest date eleemosynam.* Ut probe determinent hujusce praecepti adimplendi rationem, triplex bonorum genus Theologi distinguunt. Sunt namque bona *vitae necessaria,* quibus nimirum sublatis, homo periret: sunt bona *superflua vitae,* sed *statui necessaria,* quac si desint,

(1) Praeter Aquinatem loco sup. cit. vide Bellarminum disput. tom. 4. controv. 3. de bonis operibus in particulari lib. 3. cap. 9., et Gotti tom. 10. tract. de charitate, quaest. 3. dub. 5. §. 3. N. 19., quorum doctrinae ceteri generatim subscribuntur.

juxta propriam conditionem homo vivere nequit: sunt bona tandem *statui superflua*, quorum defectus non impedit, quominus pro sui conditione decenter vivere quis possit. Hac praemissa bonorum partitione, sequentia communi calculo statuuntur principia.

1. Eleemosynam largiri nemo tenetur de iis, quae sibi sunt ad vitam necessaria, quamquam in pari necessitate sit proximus constitutus. Charitatis enim ordo requirit, ut quisque vitam suam alienae praeferat, nisi agatur de servanda persona, a qua rei publicae salus dependeat (§. L. reg. 3).

2. Consentiunt omnes, non modo statui superflua, sed ipsius quoque decentiae necessaria impendenda fore, ut extremae aliorum egestati consulatur. Quin imo plures idipsum asserunt de bonis, quae sunt ad status integritatem quodammodo necessaria. Nam proximi vita, inquiunt, maximum bonum est, ac certe pluris habendum, quam bonum nostrum admodum inferius, prouti est conditionis temporalis integritas (1).

3. In gravi necessitate si versetur proximus, tum c superfluis statui subveniendum

(1) Vide Bellarminum loc. sup. cit. cap. 8., Gotti eod. tract. N. 21. Antoine tom. 2. parte 1. tract. de virt. theol. parte 3. cap. 4. quaest. 2. Adnotamus interim tum tantum per eleemosynam gratis dandum esse, cum quis *absolute* sit pauper. At si quis egeat *secundum quid;* si nempo hic et nunc facultatibus uti nequeat, quibus aliunde gaudet: si bonorum speret

illi est, tum etiam ex iis, quae non ad statu conservationem, sed aliqua ratione ad ejus congruum decorem requiruntur. Hinc, ut gravi necessitate laboranti subsidium conferatur, et splendori domus, et conviviorum frequentiae, et vestium ornatui aliquantisper detrahendum. Hi namque sumptus, etsi coerceantur, statum profecto non diminuunt, nullum, aut leve tantum pariunt incommodum, quod comparate ad proximi necessitatem pro nihilo reputandum est.

4. Posita, non maxima, non gravi, sed communi proximi paupertate, urget etiam eleemosynae praeceptum de iis, quae status conservationi, ac decori supersunt. Eruitur haec doctrina ex verbis Apostoli ep. 1. ad Timotheum cap. 6. v. 17. dicentis: *Divitibus hujus saeculi praecipe facile tribuere.* Verum qui, ut eleemosynam largiatur, extremam aut gravem expectat aliorum necessitatem facile non tribuit, quia non saepe utraque necessitas occurrit. Ergo et in communi pauperie divinum praeceptum jubet, ut egentibus supervacanea statui saltem erogentur. Quod Sacris Literis ostendimus, Sanctorum Patrum auctoritas plane confirmat.

acquisitionem: si opera saltem praestare valeat pretio aestimabilia; tunc praeceptum gratis dandi non urget, cum per commodatum, mutuum, venditionem, vel etiam per contractum innominatum ejus inopiae succurrere possimus.

Prae ceteris D. Basilius avarum hominem sic arguit homil. in caput 12. Lucae = Nonne spoliator es tu, qui quae dispensanda recepisti tibimetipsi propria facis?... Esurientis est panis, quem tu detines; nudi est pallium, quod tu in arca servas; discalceati calceus, qui apud te putrescit; indigentis argentum, quod defossum habes =. Consimilia pronuntiat D. Chrysostomus homil. 34. ad populum Antiochenum dicens: = Non ad hoc accepisti, ut in delicias absumeres, sed ut in eleemosynam erogarès. Nunquid enim tua possides? Res pauperum tibi sunt creditae, sive ex laboribus justis, sive ex haereditate paterna possideas =. D. Ambrosius et accedat, qui sermone 81. ita concludit: = Non minus est criminis habenti tollere, quam, cum possis, et abundes, indigentibus denegare =. Idipsum tradit D. Augustinus in Psalm. 147., ubi ait: = Superflua diviti necessaria sunt pauperi: aliena retinet qui ista tenet =. Hisce adjiciendus Pater simul et Pontifex Leo M. serm. 5. de collectis, cujus haec sunt verba: = Etiam terrenae, et corporeae facultates ex Dei largitate proveniunt, ut merito rationem eorum quaesiturus sit, quae non magis possidenda, quam dispensanda concessit =. Postremo D. Bernardus inquit ep. 42. = Nostrum est, pauperes clamant, quod effunditis. Nobis

crudeliter subtrahitur quod inaniter expenditis = (1).

5. Tandem vel maxime adnotandum est, necessarium et superfluum, de quo huc usque locuti sumus, in *indivisibili* positum non fore, sed illud majorem, hoc minorem latitudinem habere, quo eminentior est personae conditio. Unde liquet, in praxi non levis esse negotii aequos fines inter utrumque constituere. Ceterum ad cavendas ambages, quae in praecepti nuper traditi observantia exoriri facile possunt, juxta saniorum, ac prudentiorum suffragium ea dicimus generatim alicui necessaria, quae a ceteris ejusdem conditionis viris bene moratis ac temperantibus tamquam superflua non habentur. Statui pariter necessaria sunt quae in praesens non modo requiruntur, sed et in futurum, ut prospiciatur casibus communiter ac probabilius obventuris: item quae conferunt ad prolem alendam, instruendam, educandam; quae decent ad filiarum dotes in posterum adsignandas; quae

(1) Sententia hic a nobis defensa, quae tenet, superfluas opes a divitibus absque culpa retineri non posse, sed expendendas esse ad sublevandam levem etiam proximi inopiam, oppugnatoribus non caret. Haec tamen uti communior ac verior a praecitato Bellarmino recipitur cap. 7., eamque propugnant D. Thomas 2. 2. quaest. 32. art. 5., Gotti loc. cit. N. 24., Antoine ibidem, Alphonsus de Ligorio lib. 2. tract. 3. de praecepto charitatis cap. 2. dub. 3. et alii quamplures, quos refert in sua bibliotheca Lucius Ferrarius verb. *Eleemosyna*.

demum, sobole adaucta, opportuna sunt ad status incrementum, non quidem ut liberi immodice ditescant, sed ne singulorum conditio, ad plures abeunte patre, notabiliter minuatur (1).

§. LVIII.

Dominium rerum ab uno in alterum per eleemosynam transfertur (§. LVII). Hanc igitur nequeunt largiri, nisi qui bonorum proprietatem ac liberam administrationem habent. Ita generatim omnes. Peculiariter autem de uxore ac filiis, de pupillis et tutoribus, de regularibus, de servis haec pauca adnotamus.

1. Duplex ad uxorem pertinet genus bonorum, quae vel *paraphernalia* vel *dotalia* vocantur. Ad illa referuntur quae praeter dotem aut ex propria industria, aut alio quolibet titulo uxor acquirit: haec sunt, quae vel uxor viro tradit, vel alter uxoris nomine ad onera conjugii ferenda. Bonorum

(1) Cum nihil avaro superfluum videatur, si ab inexplebili hominum cupiditate rerum necessitas vel superfluitas dimetienda foret, jam profecto consequeretur, nunquam aut fere nunquam in communi pauperum egestate largiendum esse. Hinc lapsus daretur in absurdam doctrinam ab Innocentio XI. rejectam, quam sequens continet propositio: — Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus superfluum statui: et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum e superfluo status — Hac de re legatur ornatissima D. Basilii homilia in divites, ubi inanes eorum sumptus gravibus copiosisque verbis ille depingit, ac vehementer insectatur.

paraphernalium plenum habet uxor dominium (1). Poterit ergo, viro inscio, ac etiam invito, in subsidium pauperum eadem erogare; moderate tamen, ne familia detrimentum exinde patiatur. Contra vero e bonis dotalibus eleemosynae fieri nequeunt ab uxore. Hujusmodi namque bonorum manet quidem penes uxorem proprietas, sed eorum administratio et usus viro subjiciuntur (2). Ab hoc principio nonnullos interim excipe casus: non enim interdicitur uxori eleemosynas de bonis quoque dotalibus eorumque fructibus erogare si expressus adsit, vel saltem praesumptus viri consensus; si proximus ad necessitatis extremum pervenerit; si, viro absente, vel alias impedito, negotia familiae ab uxore gerantur; si tandem sermo sit de eleemosynis, quae conditionem decent, quaeque a ceteris fieri solent mulieribus pari gradu constitutis.

2. Filius familias si in militia vel occasione militiae facultates sibi comparaverit, haec bona, quae *castrensia* nuncupantur, egentibus donare potest: idem dicatur de bonis *quasi-castrensibus;* nimirum de opibus vel ex munere aliquo publico, vel e studiis Literarum, vel e Principis donatione acqui-

(1) L. Hac lege Cod. de pactis conventis.

(2) L. 7. et 75. dig. de jure dotium; et L. in rebus 30. Cod. de jure dotium.

sitis. Nam filius quoad utraque bona ceu pater-familias habetur, eique competit de ipsis proprietas, ususfructus, ac libera administratio (1). Verum de bonis *profectitiis* et *adventitiis* num id aeque concludendum? Bona profectitia ea sunt, quae intuitu patris filio conferuntur sub patria potestate constituto, vel quae filius ipse e rebus paternis lucratur. Cetera bona, quae praeter castrensia, quasi castrensia, et profectitia filius acquirere potest, *adventitia* solent appellari. Ad haec referuntur quae ex artibus mechanicis, industria, inventione, casu, legato, donatione filius assequitur, nec non ea cuncta, quae a matre, aliisve propinquis ex linea materna jure haereditatis eidem obveniunt. Prioris generis bonorum solus pater est dominus (2): posteriora vero quoad proprietatem ad filium attinent, sed pater administrationem eorum habet, et usum (3). Unde consequitur, filium familias bona profectitia, et adventitia eleemosynis libere donare non posse.

3. Cum bona propria administrare nequeant pupilli, exinde patet, cur nec possint eleemosynas largiri. Idipsum asseritur sive de minoribus, sive etiam de pro digis, queis

(1) L. Cum oportet 6. et L. Cum multa 7. Cod. de bonis, quae liberis.

(2) Eadem L. 6. Cod. de bonis, quae liberis; et §. Sancitum Instit. Per quas personas cuique acquiratur.

(3) L. 6. Cod. loc. sup. cit.

administratio rerum interdicitur. At nihilo secius eleemosynae, quae minutae dicuntur, quaeque statui conveniunt, juxta plures vetitae non videntur pupillis, minoribus, ac prodigis, quia praesumitur hasce modicas donationes ab iisdem fieri tacito legum consensu.

4. Quamquam tutor et curator sint alienarum rerum administratores, non domini; eis tamen licet ex communi sententia de bonis pupillorum ac minorum tenues largitiones pauperibus tribuere, cum id congruum omnino rectae bonorum administrationi censeatur.

5. De regularibus haec pauca monemus. Superior monasterii curam, ejusque bonorum administrationem gerens ex iis, quae subditorum necessitatibus ac decenti statui supersunt, potest, imo debet pauperibus subvenire. Si enim omnibus generatim Christus ait Lucae cap. 11. *Quod superest date eleemosynam*, haec verba eos potissimum devinciunt, qui Evangelicae student perfectioni. Inferior autem ob paupertatis votum, cui se obstrinxit, cum nihil proprii habeat, quidquid vel aliorum donatione, vel suis laboribus obtinet non sibi, sed monasterio acquirit. Bona igitur communitatis vel ab eo quomodocumque adepta nequit religiosus eleemosynis erogare, nisi venia superioris accedat, vel de articulo extremae necessitatis proximi agatur.

6. Servi denique nihil egenis de rebus familiaribus conferre possunt, nisi tacite saltem domino consentiente. Extremae necessitatis casus heic quoque excipitur: tum siquidem, domino etiam reluctante, poterit servus res non suas inopi distribuere, cum omnia bona in tanto discrimine sint communia.

§. LIX.

Ut misericordia in pauperes congrua ratione exerceatur, septem requiruntur conditiones.

Haec 1. *Justa* sit oportet. Ut autem eleemosynam justitia comitetur, bona propria egenis conferantur, non aliena (§. LVII): item quaelibet removeatur personarum acceptio juxta Tobiae monitum cap. 4. v. 7. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.*

2. Sit *discreta*, seu prudens, ne debitus perturbetur ordo, qui in charitatis exercitio apprime servandus est (§. XLIX. et L.)

3. Sit *abundans*, habito semper ad cujusque facultates respectu. Unde Tobias eodem cap. v. 9. sic filium alloquitur: *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue.*

4. Sit *prompta*, scilicet, non importunitate indigentis extorta, neque in crastinum dilata. Id insinuat Ecclesiasticus cap. 4. v. 3. hisce verbis: *Cor inopis ne afflixeris, et non protrahas datum angustianti.*

5. Sit *humana,* idest, a contemptu, ab asperitate penitus aliena. Ita docet ibidem ipse Sirachides v. 2. et 8. dicens: *Animam esurientem, ne despexeris, et non exasperes pauperem in inopia sua.... responde illi pacifica in mansuetudine.*

6. Sit *alacris:* fiat nimirum animo lubenti. Nam Apostolus 2. ad Corinthios cap. 9. v. 7. ait, pauperibus largiendum esse *non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.*

7. Sit tandem *humilis*: non enim ad jactantiam subveniendus a nobis est pauper, non ut humanos aucupemur honores, sed eo tantum fine, ut Deo placeamus. Normam hanc salutarem in eleemosynis erogandis sectandam Christus tradit Matthaei cap. 6. v. 2. et seq., ubi quemque sic hortatur: *Cum facis eleemosynam noli tuba canere ante te, sicut hypocritae faciunt..... nesciat sinistra tua quid facit dextera tua.*

§. LX.

Si jam recensitae conditiones in danda eleemosyna observentur, saluberrimos inde fructus oriri, Sacrae Literae ostendunt.

Nam 1. Eleemosyna in divina Bonitate fiduciam parit. Legitur siquidem Tobiae cap. 4. v. 12. *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.*

2. Ad justificationem disponit, si, coelesti gratia juvante, a peccatore fiat. Id in Evang. Lucae cap. 19. contigisse fertur de Zachaeo, qui cum dixisset v. 8. *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus:* audire meruit Servatoris verba: *Hodie salus huic domui facta est.* Hinc jure nuncupantur Matthaei cap. 5. v. 7. *beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

3. Satisfacit pro peccatis. Quamquam enim per se non justificet eleemosyna, culpas tamen delet veniales; immo et poenas remittit, quae, ablato etiam lethalis culpae reatu per Sacramentum Poenitentiae, adhuc solvendae manent vel in hoc saeculo vel in futuro. Quocirca Tobias inquit cap. 4. v. 11. *Eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras.*

4. Postremo vitam aeternam eleemosyna de *condigno* promeretur si in statu gratiae et ex charitate fiat. Luculenter id constat ex cap. 25. Matthaei, cum ibi Christus misericordibus in extremo judicii die *regnum* illis *paratum a constitutione mundi* polliceatur (1).

(1) Quoad eleemosynae proprietates et effectus consulantur Cyprianus de Op. et Eleem., Chrysostomus hom. 33. 34. 37. ad pop. Ant., Hieronymus Com. in Ps. 133., Ambrosius de Elia et jejun., Augustinus Enchir. cap. 70., Chrysologus hom. de jejun. et eleem., Leo. M. serm. 1. et 2. de collectis.

SECTIO SECUNDA

DE VIRTUTIBUS MORALIBUS.

§. LXI.

Virtutes, quae mores hominum juxta rectam rationem componunt, *morales* appellantur. Inter eas eminet potissimum *Religio,* quae maxime quidem ad virtutes theologicas accedit, sed cum ipsis numeranda non est: illae namque Deum uti objectum immediatum primario respiciunt; haec non Deum, sed cultum Deo exhibendum proxime attingit. Praeter religionem, quae ordinat hominem ad Deum, aliae plurimae recensentur morales virtutes, quibus homo vel ad seipsum, vel ad proximos ordinatur. Hae cunctae ad quatuor revocari possunt: ad *temperantiam*, videlicet, quae appetitum sensitivum refraenat; ad *justitiam*, qua unicuique jus suum tribuitur; ad *prudentiam,* quae humanos actus dirigit secundum ordinem rationis; ad *fortitudinem*, quae in aggrediendo et sustinendo consistit. *Cardinales* nuncupari solent hujusmodi virtutes, cum totidem sint veluti cardines, quibus nititur humanae vitae perfectio.

Plura, quae de religione, ac virtutibus cardinalibus tradunt Ethicae Sacrae scriptores, praeclarum sectionis, quam aggredimur,

constituunt argumentum. A praestantiori virtute ut sumamus initium, sit

CAPUT PRIMUM

DE RELIGIONE.

§. LXII.

Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est: visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo. Ita D. Jacobus cap. 1. v. 17. describit religionis virtutem, quae sic generatim accepta virtutum omnium sive theologicarum sive moralium complectitur officia. Saepius tamen pro peculiari virtute religio stricte sumitur, ac definitur *virtus moralis, qua Deo tamquam primo rerum principio, atque supremo domino cultus conveniens tribuitur* (1). Quanta sit hujusce virtutis necessitas luculenter

(1) Quoad religionis vocem non una est veterum sententia. Religionem a *relegendo* appellatam existimat Cicero lib. 2. de Nat. Deorum; eique adhaeret D. Isidorus Etymologiarum lib. 10. Cap. 17. Tullianae opinioni adversatur Lactantius, qui a *religando* potius etymon religionis deducit: ait enim lib. 4. divin. Instit, Cap. 28. — Hac conditione gignimur, ut generanti nos Deo justa et debita obsequia praebeamus.... Hoc vinculo pietatis obstricti Deo, et religati sumus; unde ipsa religio nomen accepit —. Hactenus citatus auctor, cui suffragantur Hieronymus in Amos cap. 9; Ambrosius lib. de Virginibus, et Augustinus lib. 1. retractat. cap. 13.

ex iis patet, quae de necessitate divini cultus alibi tradidimus (1). Plures actus sibi proprios elicit religio, quorum praecipui sunt *devotio*, *oratio*, *adoratio*, *votum*, et *juramentum*: duo priores ad cultum internum attinent, ad externum posteriores. De singulis per articulos gradatim.

ARTICULUS PRIMUS

De Devotione.

§. LXIII.

Devotionem ad religionis virtutem pertinere Sacrarum Literarum testimonia plane demonstrant. Legitur siquidem Exodi cap. 35. v. 21. *Obtulerunt* filii Israel *mente promptissima, atque devota primitias Domino:* item lib. 2. Paralipomenon cap. 29. v. 31. *Obtulit universa multitudo hostias et laudes et holocausta mente devota.* Triplici sensu devotionis vocabulum usurpari potest. Nam 1. congruam significat rationem, qua decet religionis actus exercere: unde si attente, studiose, ac ferventer quis oret, Sacrificium offerat, divinas laudes persolvat, devotus appellatur (2).

(1) Vide Institutionum lib. 2. §. 81.
(2) Conferatur Lessius de justitia et jure lib. 2. cap. 37. dubit. 2.

2. Sumitur quoque devotio pro interiori quadam suavitate, quam in pietatis actibus perficiendis interdum experimur. Huic sensibili delectationi persaepe nomen devotionis attribuunt Sancti Patres, ac praesertim D. Bernardus, qui serm. 1. de nativitate Domini ait, devotionem esse *hilaritatem mentis, et dulcedinem spiritualis gratiae, qua bona opera condiuntur.* At quoniam sine spiritali dulcedine, quae non est in hominis potestate, actus devotionis etiam perfectissimae consistere valet; perspicuum inde est, hujusmodi suavitatem substantiam devotionis minime constituere, sed per accidens devotionem comitari, vel ab ea uti a causa proficisci.

3. Tandem nomine devotionis proprie designatur peculiaris actus religionis consistens in pio animi affectu, seu voluntate Deo famulandi modo cujusque conditioni, et statui accomodato. Fuse disserit de hoc postremo devotionis genere Doctor Angelicus, ejusque naturam expendens ita scribit 2. 2. Quaest. 82. art. 1. = Devoti dicuntur qui seipsos „ quodammodo Deo devovent ut ei se totaliter subdant: propter quod et olim apud „ gentiles devoti dicebantur qui seipsos idolis devovebant in mortem pro sui salute „ exercitus, sicut de duobus Deciis Titus „ Livius narrat (1). Unde devotio nihil aliud

(1) Historiarum lib. 8. cap. 9., et lib. 10. cap. 28.

„ esse videtur, quam *voluntas quaedam prom-*
„ *pte se tradendi ad ea, quae pertinent ad*
„ *Dei famulatum* =.

§. LXIV.

Interdum adesse solet ementita devotio, quae sub virtutis cortice vitium recondit. Ad hanc praecavendam nonnullae prae oculis habeantur notae, quae verae devotioni tantummodo conveniunt, quaeque ad haec summa capita referuntur.

1. Vera devotio interior esse debet: nam Deus cor praesertim intuetur, nec quidquam valet exterior mandatorum custodia, si lex divina non deferatur in corde. Res factis patescit: noscimus enim ex Genesi, victimas Abel Deum respexisse, non quas Cain obtulerat (1): noscimus ex Prophetis, Deo neque accepta fuisse judaeorum solemnia et sacrificia, cum interno carerent pietatis affectu (2): noscimus ex Evangeliis, Christum reprehendisse pharisaeos, quia forinsecus ovium vellera induebant, intus autem erant lupi rapaces (3).

2. Vera devotio saepe consilia evangelica sectatur; in primis tamen fideliter obtemperare studet praeceptis. Plures, quos vulgus

(1) Geneseos cap. 4. v. 4. et 5.
(2) Isaiae cap. 1. v. 14. Amos cap. 5. v. 21.
(3) Matthaei cap. 7. v. 15. cap. 23. v. 25. et seq. Lucae cap. 11. v. 39. et seq.

devotos appellat ex toto animo amplectuntur, quae speciem exhibent perfectionis, ac virtutem in superfluis exercitationibus reponunt; cum interim officia statui necessaria parvipendant, et negligant quae divina lege jubentur. Hoc sane devotionis praestigium est, non vera devotio. Etenim qui legem transgreditur divinae voluntati non subjicitur, sed obsistit. At vere devotus ille solus est, qui Deo ita se tradit, ut eidem prompte subjiciatur. Non ergo vere devotus qui legem praetermittit.

3. Vera devotio saeva non est, non superba, non aspera, sed discreta, sed humilis, sed officiosa. Haec simulationem nescit; haec fastum odit; haec humanos non quaerit honores; haec, uno verbo, proprietatibus gaudet charitatis, in qua potissimum fundatur.

4. Vera devotio e plurimis, quos parit, effectibus, manifesto se prodit. Ea quippe devotio certe fucata non est, quae hominem spiritualem efficit; quae pravas devincit cupiditates; quae Dei gloriam exquirit, et promovet; quae nos a creatarum rerum inordinata affectione divellit; quae divitiarum suadet, voluptatumque saeculi contemptum.

§. LXV.

Plures numerantur modi, quibus comparari potest ac foveri devotio.

Inter eos 1. recensetur Dei bonitatis, ejusque beneficiorum pia recogitatio. Cum enim ineffabilia recolimus naturae simul et gratiae dona, quae recepimus; cum praecipue maximum divinae pietatis opus, hoc est, humanae redemptionis mysterium sedulo contemplamur; tum profecto in nobis oritur erga supremum Largitorem ac Servatorem dilectio, quae proxima devotionis est causa (1).

2. Humilis etiam infirmitatis nostrae consideratio summopere devotioni prodest. Suos namque defectus, ac permultas necessitates qui scrutatur, ex iis facile dignoscit, ope divina se vel maxime indigere. Hac posita cognitione, jam excluditur praesumptio, quae impedit, ne per devotionem quis Deo se subjiciat.

3. Jugi demum, et enixa oratione acquiritur devotio, cujus principalis causa Deus est. Hic enim *quos dignatur vocat, et quem vult religiosum facit, et, si voluisset, Sa-*

(1) Quantum prae ceteris devotioni conferat dominicae passionis meditatio D. Bernardus animadvertit serm. 20. in Cantic; ubi Deum sic tenerrime alloquitur: — Sed est quod me plus movet, plus urget, plus accendit. Super omnia, inquam, reddit amabilem te mihi, Jesu bone, calix, quem bibisti, opus nostrae redemptionis. Hoc omnino amorem nostrum facile vindicat totum sibi. Hoc, inquam, est quod nostram devotionem et blandius allicit, et justius exigit, et arctius stringit, et afficit vehementius —.

maritunos ex indevotis devotos fecisset (1).

ARTICULUS SECUNDUS

De Oratione.

§. LXVI.

Cum orationis vocem identidem usurpent Scripturae Sacrae, per eam actum undique designant, quo vel Deo laudes persolvimus, vel pro collatis donis grates illi rependimus, vel res decentes ab ipso flagitamus. Divinis Literis congruit apprime doctrina Sanctorum Patrum, juxta quos oratio definitur *ascensio mentis in Deum* (2): *conversatio, et sermocinatio cum Deo* (3): *boni cujusdam petitio a piis Deo exhibita* (4): *cordis desiderium, et gemitus ad Deum directus* (5). Orationem peculiarem esse religionis actum

(1) Ita D. Ambrosius in Commentariis Lucae ad cap. 9. v. 55. De hoc articnlo si plura desiderentur, adeat studiosus Lector D. Augustinum de vera religione, ac de vita beata; consulat quoque D. Bernardum lib. 2. de consideratione, sermonibus de Ascensione, ac serm. 10. 22. et 52. in Cantica. E theologis autem devotionis argumentnm uberrime pertractant D. Franciscus Salesius de introductione ad vitam devotam, Bellarminus opusc. de Ascensione mentis in Deum, et Suarezius Operum tom. 13. de Religione vol. 2. tract. 4. lib. 2. cap. 6. et sequent.

(2) Ex Joanne Damasceno lib. 3. de Fide Orthodoxa cap. 24.

(3) Ex orat. 1. Gregorii Nysseni de oratione Dominica.

(4) Ex Basilio Homilia in martyrem Julittam N. 3.

(5) Ex Augustino enarrat. in Psalm. 37. N. 14.

perspicue demonstrat Angelicus Doctor 2. 2. Quaest. 83. art. 3. in corpus hac ratione concludens: = Ad religionem proprie pertinet reverentiam, et honorem Deo exhibere; et ideo omnia illa, per quae Deo reverentia exhibetur, pertinent ad religionem. Per orationem autem homo Deo reverentiam exhibet, in quantum scilicet ei se subjicit, et profitetur orando, se eo indigere sicut auctore suorum bonorum. Unde manifestum est, quod oratio est proprie religionis actus = (1).

§. LXVII.

Pro varietate modi, quo fieri potest oratio, in *mentalem* haec dividitur, et *vocalem*. Prior in actibus mere internis consistit: fit mente simul et ore posterior. Item in pu-

(1) De multiplici significatione orationis cursim haec pauca expendantur. Oratio grammatice inspecta est omnis locutio, qua sensus animi proferuntur. De hujusmodi grammaticali acceptiona exempla praebent Caesar lib. 2. de bello civili cap. 39. Terentius Andr. A. 1. §. 5. v. 16. at Gellius lib. 18. cap. 10. in fine. Aliter sumitur apud rhetores vox orationis, cum ab iis hoc proprio nomine signetur oratoria locutio. Id patet ex Quintiliano lib. 10. cap. 1., tum etiam ex Tullio lib. 3. de Oratore, cap. 25., lib. 15. ad Atticum ep. 1., alibique passim. Rhetores quoque orationem aliquando vocant dicendi facultatem, et copiam. Hac de re Tullius ipse consulatur in Bruto cap. 45., et Martialis lib. 5. epigram. 29, Tandam juxta ecclesiasticos scriptores nihil aliud sibi vult oratio, quam sermo, at precatio ad Deum habita; quo postramo sensu dumtaxat de orationa hic disseritur. Vide Hieronymum ap. 140. ad Cyprianum N. 4.

blicam et privatam distingui solet vocalis oratio. Publica erit, si nomine Ecclesiae fiat a publico ejus ministro ad hoc munus deputato: privata nuncupabitur, si quis oret pro se vel pro ceteris ut privata persona ex libero devotionis affectu. Sive autem publica, sive privata sit oratio vocalis, omnino requiritur, ut, cum Deus labiis colitur, animi quoque affectus in eum erigantur. Etenim = vera postulatio non in oris est voci-„ bus, sed in cogitatione cordis. Valentiores „ namque voces apud secretissimas aures „ Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. Unde recte per Psalmistam dicitur: „ *desiderium pauperum exaudivit Dominus*; „ *praeparationem cordis eorum audivit aures tua* ≐: Hactenus D. Gregorius M. lib. 22. Moralium cap. 18. (1).

§. LXVIII.

Religionis actum, de quo modo disceptamus, semel, iterumque commendant Scripturae Sacrae, ejusque necessitatem disertissime testantur. Quae necessitas ut comperta sit, quatuor animadversionibus totum argumentum concludimus.

(1) Quamquam ad essentiam orationis verba non pertineant; nihilo tamen secius perutilis est vocalis oratio, quoniam, uti ait Augustinus ap. 121. ad Probam cap. 9. -- interdum voce nos ipsos ad devotionem acrius excitamus --. Quin immo haec necessaria quandoqua erit; cum, nempe, vocales fundere preces divina lege, vel humana jubeamur.

Animadversio 1. E lacrymabili protoparentum lapsu mala cuncta in orbe prodiere: hinc prope infinita aerumnarum series, quibus undique circumdamur, premimur, affli- ctamur. Dum autem in tam miserando naturae jam depravatae statu persaepe ingemiscimus, quo confugiendum nobis erit, ut ab adversis eripi valeamus? Inter tot calamitates opportunum certe, maximum, ac necessarium hominis praesidium est oratio. Huic enim Deus auxilium pollicetur dicens Ps. 49. v. 14. *invoca me in die tribulationis, et eruam te.*

2. Cum ob primam labem, quae Adae posteros infecit, *sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sint ab adolescentia* (1); inde fit, ut, quamvis videant, probentque meliora, in deterius tamen proruant mortales, atque a Summo Bono avertantur. Ordine morali sic perturbato, quomodo, culpae vinculis abruptis, in pristinum justitiae statum homo redibit? Naturae vires ad hoc profecto non valent, nisi divinae gratiae virtute roborentur: non enim sumus *sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est* (2). At hujusmodi virtus adeo necessaria num nobis invitis conceditur? Equidem peccato-

(1) Geneseos cap. 8. v. 21.
(2) Ep. 2. ad Corinthios cap. 3. v. 5.

ribus etiam obduratis peculiares gratias nonnumquam largitur misericors Deus, eosque nec orantes ad rectum tramitem mirabiliter perducit; sicuti contigisse legimus in Actis Apostolorum cap. 9. de Saulo Christum persequente. Verum si communis ordo providentiae consideretur, nonnisi orantibus datur gratia justificationis: vult namque Deus, ut dona spiritualia, e quibus justificatio dependet precibus consequamur, dicens Joannis cap. 16. v. 24. *petite, et dabitur vobis.* Quemadmodum ergo necessaria nobis est gratia, ut justificemur, ita et oratio necessaria est, sine qua communiter justificationis gratia non obtinetur.

3. *Homo infirmus est,* inquit D. Augustinus Enarrat. in Psalm. 120. N. 11., *inter tentationes agitatur, inter molestias, inter carnales corruptiones, inter suggestiones cupiditatis, inter versutias, et laqueos inimici.* Unde recte dicitur in libro Job cap. 7. v. 1. *militia est vita hominis super terram.* In hac porro militia valde periculosum instat certamen: opus enim est cum daemone pugnare, qui *tamquam Leo rugiens circuit quaerens quem devoret* (1): opus est incitamenta sensuum compescere, ne nos in vetitum rapiant: opus est illecebras mundi

(1) Ep. 1. D. Petri cap. 5. v. 8.

contemnere, ne cum saeculi amatoribus in aeternum pereamus. Adversus autem hostes tam validos, tam infensos quomodo consistere poterimus? Ut de iis triumphum agamus, oratio praesentissimum nobis confert auxilium. Nam secus Apostolis Divinus Reparator non dixisset Matthaei cap. 26. v. 41. *Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem.* Tantum igitur nobis adhuc viatoribus est necessaria precatio, quantum necesse est nequissimos spiritualium hostium conatus repellere.

4. Perseverantia finalis est conditio, sine qua nemo sempiternam consequitur beatitatem juxta illud Matthaei cap. 10. v. 22. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Verum hoc finalis perseverantiae donum nonnisi orantibus Deum praeparasse constat ex Evangelio Lucae cap. 21. v. 36., ubi Christus ait: *vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini.....stare ante Filium hominis.* Ergo dum peregrinamur in terris necessitas urget orationis, ut in adepta justitia usque ad exitum vitae perseveremus, ac tandem in coelesti patria coronemur (1).

(1) Veritas, quam hic demonstravimus, plures inter haereticos nacta est adversarios. In primis necessitatem orationis inficiati sunt Pelagiani, cum autumarent, hominem posse naturae viribus gratiam et gloriam promereri. De hisce vide Augustinum lib. de haeresibus cap. 8. Item erravit Joannes Wiclefus; etenim orationem in *mentalem, vocalem,* et *vitalem* di-

§. LXIX.

E nuper animadversis sponte colligitur, omnes homines adhuc viatores sive justos sive impios orare posse, ac debere. Huic veritati nulla difficultas opponitur, si de justis loquamur: at quoad peccatores nonnulla obstare videntur. Eorum namque precationes despiciunt Scripturae Sacrae veluti abominabiles et inaues. Dicitur siquidem Proverbiorum cap. 28. v. 9. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis:* item Psalmo 65. v. 18. *iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus:* et in Evangelio Joannis cap. 9. v. 31. *scimus, quia Deus peccatores non audit.*

Nos tamen vel minime commovent haec objecta, cum plura utriusque Testamenti loca non modo justos, sed peccatores etiam

stinguens, posteriorem, quam iu bonis operibus reponebat, necessariam tantumodo asseruit. Hac de re testem habemus Thomam Waldensem tom. 3. cap. 1. et 2. Desipuit quoque circa orationem Michael de Molinos, cujus systema profligavimus Sect. 1. hujusce libri cap. 2. art. 4. En illius propositio 14., quae inter 68. ab Innocentio XI. proscriptas numeratur. — Qui divinae voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat quia petere est imperfectio.... et est velle, ut divina voluntas nostrae conformetur — . E pseudo-philosophis autem hunc religionis actum despiciunt velut inanem athei, deistae, ac fatalistae. Nec mirum est. Qualis enim religio in iis effingi potest, qui nullam primam causam agnoscunt, qui divinam Providentiam oppugnant, qui causis necessariis cuncta subjiciunt?

pie utiliterque orare posse demonstrent. Id constat in primis ex Psalmo 106., ubi de judaeis, qui *exacerbaverunt eloquia Dei, et consilium Altissimi irritaverunt* Propheta inquit v. 13. *clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos.* Rursus id patet ex lib. 2. Esdrae cap. 9. v. 26. 27., ibi enim de ipsis judaeis legitur: *provocaverunt te ad iracundiam, et recesserunt a te, et projecerunt legem tuam post terga sua, et prophetas tuos occiderunt.... et fecerunt blasphemias grandes..... Et in tempore tribulationis suae clamaverunt ad te, et tu de coelo audisti.* Idipsum eruitur e Ninivitarum historia, quorum poenitentiam et preces Deum respexisse traditur Jonae cap. 3. Demum, ut cetera mittamus, id exemplum confirmat latronis, qui, uti refert Lucas Evangelista cap. 23; cum in cruce penderet, suorumque criminum veniam deposceret, ore Christi patientis audire meruit: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Ad ea porro, quae superius e Divinis Literis objiciebantur, haec pauca singulatim reponimus.

1. Si ex dictis pia et salutaris est oratio, quae a peccatore debita ratione funditur ad bonum aliquod honestum obtinendum, quaeque potissimum ad justificationem et salutem aeternam ordinatur, non ergo de

qualibet oratione facta in statu culpae intelligenda sunt Proverbiorum verba, sed de precibus tantum, quae, ut inquit Angelicus 2. 2. Quaest. 83. art. 16., fiunt *secundum desiderium peccati. Execrabiles* profecto dicendae sunt hujusmodi preces, quia vitiosae. Tum autem hoc vitium in iisdem habetur, *cum is, qui orat, vel non orat quem debet orare, idest, Deum verum, sed idola vel diabolum: vel non orat pro re bona, quam aequum est a Deo peti, sed pro re mala, quae Deo displicet, ut pro ruina inimicorum: vel non orat per unicum mediatorem, qui est Christus, sed per merita sua, quae superbe se habere praesumit: vel denique non orat cum spe, aut fide, aut aliis necessariis bonae orationis comitibus.* En qualis sit juxta Bellarminum in Psalm. 108. v. 6. oratio peccatoris, quam in Sacris Literis Deus execratur.

2. Nec nobis officit regii Psaltis auctoritas. Hic enim dicens: *iniquitatem si aspexi in corde meo non exaudiet Dominus,* quadam utitur imprecatione, ut sui cordis puritatem ostendat. Quare si vocem *exaudiet* non indicativo modo, sed optativo sumamus, jam tollitur difficultas. Favent huic interpretationi tum plura vetustiora Psalteria, in quibus *exaudiat* legitur pro *exaudiet;* tum versiones graeca et syriaca; tum etiam

inter scriptores biblicos Symmachus, D. Augustinus, Cassiodorus, Calmetus, et Estius.

3. Verba Christi non sunt, quae tandem opponuntur ex Evangelio Joannis: haec homo protulit, qui oculis quidem corporeis, sed nondum interius fuerat illuminatus. Ejus igitur auctoritatem parvipendere licet ac praeterire. Non absimili ratione hunc nexum dissolvit Origenes homil. 5. in Isaiam ita scribens: = Et si peccatores estis, orate Dominum: peccatores exaudit Deus. Quod si timetis illud, quod in Evangelio dicitur: *Scimus quia peccatores non exaudit Deus;* nolite pertimescere, nolite credere: coecus erat qui hoc dixit = (1).

§. LXX.

Ad eos nunc sermo convertatur, pro quibus fieri potest oratio. Ut autem veritas dilucide appareat, sequentia notamus.

1. Pro Beatis orandum non esse docet Augustinus serm. 159. cap. 1. dicens: *Injuria est pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* Haec sententia consentanea rationi videtur: Beati namque mortalium precibus non egent, cum jam in termino sint mansionis, ac sempiterna gloria perfruantur. Verum si pro Beatis orandum

(1) In hunc locum Joannis vide D. Augustinum tract. 44. N. 13.

non est, quomodo Ecclesiae nomine Deum obsecrat Sacerdos, ut Sacrificium, quod ab ipso offertur, *Sanctis proficiat ad honorem?* Res plane componitur, si *essentialem* Sanctorum gloriam ab *accidentali* distinguamus. A precibus hominum prior nullatenus dependet: unde juxta praecitatum Patrem ad eam augendam incongruum est ac inane pro Sanctis exorare. De altera vero, quae nuncupatur *accidentalis*, haec habentur cap. Cum Marthae de celebrat. Missar. *plerique reputant non indignum, Sanctorum gloriam usque ad judicium augmentari; et ideo Ecclesiam posse augmentum glorificationis eorum optare.* Hacce posita doctrina, quam refert, nec repudiat Innocentius III., dicimus: si licet incrementum exoptare gloriae *accidentalis*, quod Sanctis provenit e. c., quo major cultus eis exhibetur, quo uberiores gratiae ipsorum intercessione conferuntur; certe congruentissimum erit ad hunc finem pro Sanctis fundere preces, quemadmodum in Sacrificio Altaris Catholica praestat Ecclesia.

2. Inter spiritualia charitatis officia recensetur oratio (§. LI.). Haec igitur pro iis haud fieri potest, qui non sunt charitatis objectum. Sed qui aeterno cruciantur igne ad objectum charitatis non pertinent (§. XLIV. N. 5.). Non ergo pro illis orandum.

3. Secus dicamus de animabus justorum, queis aliquid post mortem superest luendum. Hae namque ad objectum referuntur charitatis (ibidem N. 2.): ideo juvandae sunt precationibus, atque suffragiis, ut quantocius a poenis eruantur, ac aeternam consequantur felicitatem (1).

4. Cunctis quoque viatoribus in genere idem charitatis officium exhibendum est, cum omnes indiscriminatim ut proximi sint diligendi. Unde Apostolus inquit Ep. 1. ad Timotheum cap. 2. v. 1. *Obsecro primum omnium fieri.... orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus....., hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri.*

5. Item, quidquid in contrarium sentiat Wiclefus, non modo pro omnibus in communi, sed pro uno etiam, pluribusve in particulari licet exorare (2). Id noscimus in primis ex D. Paulo, qui loco super citato v. 2. preces vult fieri pro rege, et omnibus in sublimitate constitutis. Praeterea neque desunt exempla, quibus haec veritas firmetur. Specialis enim fuit oratio, qua Pa-

(1) Vide lib. 2. Machabaeorum cap. 12. v. 46.

(2) Docuit Wiclefus non pro singulis seorsim orationem fieri debere, sed pro omnibus fidelibus generatim. Absurdam hanc doctrinam oppugnavit Thomas Valdensis tom. 3. de Sacramentalibus tit. 11. cap. 107.

tri suos crucifixores Christus commendavit (1): specialis fuit oratio Stephani pro judaeis necem sibi inferentibus veniam flagitantis (2): specialis demum oratio fuit, quae ab Ecclesia fiebat sine intermissione ad Deum pro Petro, dum Jerosolymis in carcere detinebatur (3).

§. LXXI.

Nunc de iis, quae in oratione postulare decet, per summa capita disseramus, perquirentes, an, et qua ratione congruat sive bona, sive mala deposcere.

1. Itaque prae omnibus bona supernaturalia ad aeternam salutem necessaria, culparum nempe remissio, auxilium in tentatione, perseverantia finalis, aliaque id generis absolute petenda sunt juxta normam divinitus nobis traditam in Evangelio Matthaei cap. 6. v. 11. et seq. Diximus haec bona petenda fore absolute; certi quippe sumus, Deum vere ac sincere cunctis hominibus media conferre velle, quibus finem ultimum assequantur.

2. Absolute quoque peti possunt bona supernaturalia tantummodo ad salutem utilia; e. c. fervor in oratione, charitatis incre-

(1) Ex Evangelio Lucae cap. 23. v. 34.
(2) Ex Actibus Apostolorum cap. 7. v. 59.
(3) Ibidem cap. 12. v. 5.

mentum, gratia ut veniales culpae vitentur: uno verbo evangelicae perfectionis adeptio. Licet enim haec bona per se necessaria non sint, hominem tamen Deo reddunt acceptiorem, eumque facilius ad coelestem gloriam perducunt.

3. Sunt bona quaedam supernaturalia, quae interdum per accidens virtutem comitantur, sed eam non constituunt, nec prosunt ad salutem. Ejusmodi sunt miraculorum, linguarum, prophetiae dona, et ceterae gratiae, quae *gratis datae* vocantur. Generatim loquendo haec bona poscere non licet; temerarium siquidem foret ea petere, quae Deus in hoc saeculo juxta communem Providentiae ordinem neque hominibus perfectissimis concedit. Verum si in aliquo peculiari casu vel ob maximam fidelium et Ecclesiae utilitatem, vel ut magis Dei gloria manifestaretur haec dona extraordinaria quis expeteret, non ideo arrogantiae insimulandus esset, modo tamen sub conditione ab illo fieret precatio.

4. Ad naturalia etiam bona consequenda preces decenter fundi posse constat e Sacris Literis. Deum namque deprecatus est Isaac pro conjuge Rebecca (1); David pro salute filii morientis (2); Elias pro puero viduae

(1) Genesis cap. 25. v. 21.
(2) Lib. 2. Regum cap. 12. v. 16.

Sarephtanae demortuo (1); pro Heliodoro Summus Sacerdos Onias (2). Inter haec bona tamen discrimen est adnotandum. In hypothesi, qua ea sint necessaria, nihil impedit, quin oratio fiat absolute: sic enim Dominum exoravit Proverbiorum auctor dicens cap. 30. v. 8. *mendicitatem, et divitias ne dederis mihi; tribue tantum victui meo necessaria.* Quod si de bonis agatur non necessariis, tum vel orandum non est, vel saltem orandum sub conditione, cum ignoremus, num bona superflua, quae petimus, animae sint profutura.

5. De malorum petitione quid postremo sentiendum? Inter *moralia* et *physica* mala si distinctio fiat, res paucis resolvitur.

Quare dicimus 1. malum morale, aut opem ad illud patrandum nefas esse a Deo postulare: hoc siquidem malum Divinae Sanctitati repugnat, quia malum est culpae.

Dicimus 2. Divinae bonitati non detrahi, si mala physica petantur. Haec quippe *absolute,* ac *simpliciter* mala non sunt, quia tum ad bonum tum ad malum morale sunt prorsus indifferentia: quin immo si aequo animo perferantur, maximam nobis utilitatem pariunt, cum causa sint meriti ac sem-

(1) Lib. 3. Regum cap. 17. v. 21.
(2) Lib. 2. Machabaeorum cap. 3. v. 32. 33.

piternae retributionis (1). At plura servare decet, ne vitiosa sit mali physici petitio. Requiritur in primis honestus finis orantis: petenda enim sunt mala physica non sub ratione mali, quod sane praeceptum laederet charitatis, sed quatenus bono superioris ordinis praebent occasionem (2). Requiritur etiam, ut justis ex causis haec oratio fiat: quae justae causae tum praesertim occurrunt, si e. g. bona, quibus malum physicum opponitur, spiritui sint noxia (3); vel si ex ipso malo, quod nobis, aliisve in particulari adprecamur, exoriturum sit bonum commune juxta naturae legem, et ordinem charitatis bono privato praeferendum. Requiritur postremo, ut in malis aliorum petendis cautio adhibeatur, ne forte dum optare videmur, ut frater in carne mortificatus spiritaliter vivificetur, sub specie charitatis pravus aliquis malevolentiae aut vindictae adversus eum lateat affectus.

(1) Vide sermonem Domini in monte Matthaei cap. 5. v. 5. 10. 11.

(2) Sanctorum exemplo docemur, quo fine mala physica nobis petere debeamus: hi namque corporis cruciatus, aerumnas, persecutiones in hoc saeculo cupiebant, poscebantque, ut pro culpis satisfacerent, ut in virtute proficerent, ut ad aeterna gaudia pervenirent. Quo fine pariter haec mala proximo sint petenda noscimus ex Ps. 82. v. 17., ubi David sic Deum exorat: -- imple facies eorum ignominia, et quaerent nomen tuum Domine --.

(3) Sic aegritudinem petere licebit, aliamve temporalem calamitatem qua vehemens aliqua tentatio, ac proximum peccandi periculum avertatur.

§. LXXII.

Oratio rite facta satisfacit, meretur, et impetrat (1). Catholica haec veritas, quam dogmatici contra lutheranos et calvinianos propugnant, ita per partes ostenditur.

Propositio 1. Satisfacit oratio pro poenis temporalibus, quae peccato debentur.

Probatio clare patet argumento facti deducto ex historia Manassis, quam refert lib. 2. Paralipomenon cap. 33. Cum propter idololatriae scelus hic ductus fuisset Babylonem captivus, *postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum, et egit poenitentiam valde coram Deo patrum suorum, deprecatusque est eum, et exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jerusalem in regnum suum.* Accedit Synodus Tridentina, magisque statutam propositionem sess. 14. can. 13. hisce verbis confirmat: *Si quis dixerit, pro peccatis quoad poenam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri... jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus..... anathema sit.* In idem quoque ratio naturalis consentit. Satisfactio namque est actus, quo personae, cui offensam intu-

(1) Satisfactionem et meritum in oratione non agnoscunt Melanchthon in loc. com. tit. de precatione, Calvinus lib. 3. Instit. cap. 20; Brentius in confess. Wirtemberg. cap. de oratione: Huic quoque detrahunt maxima ex parte vim impetrandi, cum a sola fide justificationem, quae est praecipuus orationis fructus, deducant.

lit, se subjicit offensor. Verum hic submissionis actus fit ab homine, qui per orationem Deum sibi propitium quaerit. Oratio igitur valet ad satisfaciendum (1).

Prop. 2. Homo viator per orationem rite factam vel *de congruo*, vel *de condigno* meretur.

Prob. Si oratio fiat ab homine viatore, haec est actus liber, bonus, supernaturalis, cui Deus mercedem pollicetur. Christus enim, precibus despectis pharisaeorum, qui, cum mali male peterent, mercedem non a Deo, sed ab hominibus recipiebant, ait in Evang. Matthaei cap. 6. v. 6. *Tu autem cum oraveris intra cubiculum tuum, et, clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Sed quilibet actus liber, bonus, supernaturalis, cui merces divinitus est repromissa, *de congruo* meretur si rite fiat a peccatore (Institut. lib. 1. §. 54.): si vero fiat ab homine justo meretur *de condigno* (ibid. §. 55). Concurrunt ergo in oratione hominis viatoris rite facta conditiones omnes ad meritum requisitae: unde consequitur, eam sive *de congruo*, sive *de condigno* promereri.

(1) Non secus docet Augustinus in Enchirid. cap. 71. dicens: — de quotidianis autem, levibus, brevibusque peccatis, sine quibus haec vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit —. De hoc priori orationis fructu consule Bellarmini disput. tom. 3. Controv. 4. gener. de Sacram. Poenit. lib. 4. cap. 6.

Prop. 3. Oratio tum remissionem impetrat culparum, tum cetera plura bona spiritualia, vel corporea, quibus indigemus (1).

Pars prior probatur auctoritate Christi, qui praecipit Lucae cap. 11. v. 4., ut ad coelestem Patrem clamemus: *dimitte nobis peccata nostra*: quod certe nos petere non juberet, si oratio veniam impetrare non posset. Adhuc etiam liquet haec veritas ex parabola, quae traditur ibidem cap. 18. v. 13. de publicano, qui cum funderet preces in Templo dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori.... descendit justificatus in domum suam.*

Pars altera propositionis firmatur pluribus Divinarum Scripturarum locis, e quibus haec praecipua cursim indicare sufficiat. Cum populus Israel pugnaret in Raphidim, oravit Moyses, et Amalec devictus est (2). Oravit Samson captivitate Philistinorum detentus, et pristinam fortitudinem extemplo recuperavit (3). Eliseus oravit, et duplicem

(1) Posterior hic fructus ad orationem pro petitione stricte sumptam attinet speciatim; illud enim tantummodo impetramus, quod petimus. Cave interim, ne meritum cum impetratione confundas. Inter utrumqne fructum ut maximum discrimen adnotetur, satis est animadvertere, quod Beati oratione quidem impetrant, sed non merentur, cum ad meritum status viae requiratur: contra viatorum oratio saepe mereri potest, simulque non impetrare.

(2) Exod: cap. 17.

(3) Judicum cap. 16.

Eliae spiritum consecutus est (1). Cum lacrymis oravit lethali morbo correptus Ezechias, et non modo valetudinem recepit, sed insuper diebus ejus quindecim anni adjecti fuere, quos ille nec petierat (2). Sara filia Raguelis oravit, ac meruit a daemone liberari (3). Oravit Judith, et unius Holofernis caede universum Assyriorum exercitum dispersit (4). Hisce omnibus e veteri Testamento deductis adjiciantur quae tradit Evangelica historia de leprosis a Christo mundatis (5); de caecis videntibus (6); de mortuis ad vitam restitutis (7): quae signa noscimus ut plurimum supplicationibus impetrata (8).

Ex hactenus demonstratis lucidissime apparet vim triplicem satisfaciendi, merendi, et impetrandi ad orationem pertinere. At praeter hujusmodi effectus, quos *primarios* appellamus, alii quamplures veluti *se-*

(1) Lib. 4. Regum cap. 2. v. 9. et 15.
(2) Isaiae cap. 38.
(3) Tobiae cap. 3. et 8.
(4) Judith cap. 9. 13. 14. 15.
(5) Marci cap. 1. Lucae cap. 17.
(6) Matthaei cap. 21. Marci cap. 10. Joannis cap. 9.
(7) Matthaei cap. 9. Marci cap. 5.
(8) At quomodo impetrare potest oratio? Num precibus datum est homini divina immutare consilia? Huic difficultati breviter ac perspicue reponit Angelicus 2. 2. Quaest. 83. art. 1. dicens: — Non propter hoc oramus, ut divinam dispositionem immutemus, sed ut impetremus quod Deus disposuit per orationem esse implendum —.

cundarii fructus ab oratione procedunt. Ea quippe charitatem adauget, spem roborat, metum salutarem fovet, mentem illuminat, eamque ad recipienda uberiora dona supernaturalia disponit, mundi parit contemptum, spiritalem affert suavitatem, rerumque coelestium desiderium infundit (1).

§. LXXIII.

Cur autem persaepe contingit, ut fructus, quos recensuimus, ab oratione non exoriantur? Hujusce impedimenti ratio patet ex epistola D. Jacobi, qui cap. 4. v. 3. ait: *petitis, et non accipitis, eo quod male petatis.* Quoniam itaque oratio est veluti medicamentum, ex quo utilitas nulla capitur, nisi recte adhibeatur, ut inquit Chrysostomus in Ps. 7. N. 4., hinc, ne in vacuum oremus, haec potissimum a nobis accurate serventur.

1. Individua sit semper comes orationis humilitas (2). Maximam esse in orando hu-

(1) De orationis fructibus consulatur Bellarminus Disput. tom. 4. Controv. 3. gener. Controv. 3. partic. lib. 1. de oratione cap. 3., et Suarezius operum tom. 13. de virtute Religionis vol. 2. tract. 4. lib. 1. cap. 22. et 23.

(2) Praeclarum exemplum humilis orationis habemus tum in Abrahamo Geneseos cap. 18. v. 27. dicente — Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis, et cinis —. tum in Daniele cap. 9. v. 18., qui Deum sic affatur: — Non in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis —.

militatis necessitatem luculenter ex utroque Testamento patet. Legitur enim Judith cap. 9. v. 16. *Domine humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio:* legitur Ps. 101. v. 18. *Respexit Deus in orationem humilium, et non sprevit preces eorum:* item legitur Ecclesiastici cap. 35. v. 21. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.... et non discedet donec Altissimus aspiciat.* Christus pariter in Evangelio Matthaei cap. 6. v. 5. ait: *Cum oratis non eritis sicut hypocritae, qui amant in Synagogis, et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus.* Hanc ipsam humilis orationis necessitatem Sancti Ecclesiae Patres uno ore fatentur. Ceterorum ad instar audiatur D. Bernardus ita scribens serm. de quatuor modis orandi: = Omnino oportet, nos orationis tempore curiam intrare coelestem; illam utique curiam, in qua Rex regum stellato sedet solio, circumdante innumerabili et ineffabili beatorum spirituum exercitu. Quanta ergo cum reverentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet a palude sua procedens, et repens ranuncula vilis? Quam tremebundus, quam supplex, quam denique humilis, et sollicitus, et toto intentus animo Majestati gloriae, in praesentia Angelorum, in concilio justorum, et congregatione assistere

poterit miser homuncio? = (1).

2. Orationi quoque debita jungatur attentio: nam *valde indecens est, ut quis cum Deo loquatur ore, et aliud corde meditetur* (2).

Necessitatem hujusce conditionis perpendens D. Cyprianus lib. de oratione Dominica haec habet: = Segnitia est alienari, et rapi ineptis cogitationibus et profanis, cum Dominum deprecaris, quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quam quod cum Deo loqueris. Quomodo audiri a Deo postulas, cum te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui cum rogas, quando tu ipse memor tui non sis? Hoc est....... majestatem ejus negligentia orationis offendere =. Idipsum tradit D. Basilius lib. de Constitutionibus monasticis cap. 1. N. 4. dicens: = Flagitandum est, non remisse, neque mente huc, et illuc divagante; siquidem quisquis est ejusmodi, non solum non consequuturus est quod petet, imo vero Dominum magis exasperabit = (3). Quibus positis auctoritatibus, constat, orationem prorsus inanem fore ac vitiosam si

(1) Vide Cyprianum lib. de oratione Dominica, Basilium in Constitut. Monast. cap. 1. N. 2. et 3., Augustinum serm. in Ps. 145. N. 17., et Gregorium M. in expositione sexti Psalmi poenitentialis N. 1.

(2) Ita D. Bonaventura lib. de perfectione vitae cap. 5.

(3) Consimilia habentur apud Chrysostomum Exposit. in Ps. 140. N. 2., et Augustinum Enarrat. in Ps. 39.

desit attentio. Quin immo nec orationis nomen ei tribui posse ratio sic facile demonstrat. Oratio a Damasceno vocatur: *ascensus mentis in Deum* (§. LXVI.) Sed mente in Deum non ascendit qui preci, quam profert, animum non attendit. Oratio igitur, si attenta non est, certe nec oratio est (1).

3. In oratione requiritur devotio: opus est, nimirum, ut ea sit fervens, et ex intimo animi affectu proficiscatur. Ita David exorabat, cum, ut ipse testatur, *de profundis ad Dominum* clamaret. Quae verba sic explicat D. Chrysostomus in expositione Ps. 129. = Quid est *de profundis?*..... Ex corde profundissimo, cum magno studio, et magna animi alacritate, ex ipsis mentis penetralibus..... Tales preces magnam habent potentiam, ut quae neque subvertantur, neque concutiantur, etsi eas diabolus magno impetu invadat. Quemadmodum enim arbor valida, quae in multam profunditatem terrae agit radices, ejusque sinus devincit, cuivis ventorum impetui resistit ...... ita etiam preces, quae ab imo ascendunt, et egerunt radices in profundo, etiam si innumerabiles venerint cogitationes,

(1) De attentione ad orationem requisita consulantur D. Thomas 2. 2. quaest. 83. art. 3. et in 4. distinct. 15., D. Bonaventura de processu Religionis lib. 7. cap. 3., et Suarezius tum lib. 2. de oratione mentali et devotione cap. 12. N. 9. tum lib. 3. de oratione vocali in communi cap. 4. N. 6. et 7.

etiamsi instructa tota diaboli acies, firmae manent, et stabiles, et minime evertuntur =.

4. Sit oratio frequens et perseverans. Frequentiam orationis ita commendat Apostolus Jacobus cap. 5. ep. cath. v. 16. *Multum valet deprecatio justi assidua.* Ejusdem perseverantia suadetur discipulis in Evangelio Lucae cap. 11. v. 8. Ibi namque Christus e parabola hominis, qui, cum ab amico sibi necessaria constanter petiiset, haec propter importunitatem obtinuerat, veluti argumento paritatis concludit: *Et ego dico vobis: petite, et dabitur vobis: quaerite, et invenietis: pulsate et aperietur vobis.* Item inferius cap. 18. v. 1. ait: *oportet semper orare, et non deficere* (1). Duplicem hanc frequentiae, ac perseverantiae conditionem, qua orandum a nobis est, una complectitur D. Gregorius M. in expositione Psalmi sexti poenitentialis N. 2. dicens: = Vult Deus rogari, vult

(1) Ut probe intelligautur Divini Servetoris verba, quibus semper orandi esseritur necessites, adnotamus, iisdem non preecipi, ut singulis momentis oretioni studeamus, quod sene fieri nou posset. Juxta Besilium oretione in Julittem *semper orare* nil alind significet, quem per emorem et desiderium cum Deo seepe mentem conjuugere; vel etiam idem est ec orare opportune et essidue, videlicet, ut inquit Angustiuus ep. 130. ed Probem, cep. 9. N. 17., -- per certa intervalle horernm, ee temporum..... ne qnod tepescere coeperet omnino frigescet, et penitus extinguatnr, nisi crebrius inflemmetur — . Aeque cum Augustino sentiunt Anselmus iu comment. ad cep. 5. ep. 1. ad Thesselouicenses, et Beda iu comment. ad Lucee cap. 18.

cogi, vult quadam importunitate vinci...... Esto ergo sedulus in oratione, esto in precibus importunus, cave, ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire quem rogas, esto raptor, ut regnum coelorum accipias: esto violentus, ut vim etiam ipsis inferas Coelis. Quid hac rapina locupletius? Quid hac gloriosius violentia? Bona violentia, qua Deus non offenditur; sed placatur: proximus non laeditur, sed juvatur: peccatum minuitur, non multiplicatur. Bona, inquam, violentia, qua non quaeritur lucrum cito periturum, sed regnum acquiritur sine fine mansurum =.

5. Fiat oratio cum fiducia impetrandi quod poscimus. Id potissimum nobis insinuat hisce verbis D. Jacobus ep. sup. cit. cap. 1. v. 5. et 6: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter.... et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil haesitans: qui enim haesitat similis est fluctui maris, qui a vento movetur, et circumfertur.* Accedit auctoritas D. Pauli, qui capiti 4. epistolae ad Hebraeos ita finem imponit: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*

6. Oratio denique fiat in nomine Servatoris, ejusque meritis penitus innitatur.

Mediator est enim *Dei, et hominum homo Christus Jesus* (1)*: per Ipsum,* qui nostrae reconciliationis, et pacis est auctor, *habemus accesum.... ad Patrem* (2). Tanti porro Mediatoris ope intercedente, nec dubitandum, quin postulata consequi valeamus, cum ipse dixerit Joannis cap. 16. v. 23: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

ARTICULUS TERTIUS

De Adoratione.

§. LXXIV.

Generatim adorationis nomine designatur actus, quo aliquem ob ejus praestantiam veneramur. Haec 1. ratione ipsius actus vel *interior* dicitur vel *exterior.* Consistit interior adoratio tum in actu intellectus cognoscentis praecellentiam objecti, quod colitur, tum praesertim in actu voluntatis, quae sponte, et obsequenter eidem objecto se submittit. Sin autem intellectus et voluntatis obsequio adjiciantur capitis inclinatio, genu flexio, prostratio corporis, aliaque similia reverentiae signa, tum adoratio exterior vocatur.

2. Ratione causae religiosae vel politicae,

(1) Ep. 1. ad Timotheum cap. 2. v. 5.
(2) Ep. ad Ephesios cap. 2. v. 18.

propter quam colendum est objectum, in *sacram*, et *civilem* adoratio distinguitur. Prior alicui defertur ob excellentiam, qua gaudet, supernaturalem: sic Josue pronus in terram cecidit Angelum adorans (1). Altera iis impenditur, qui imperio, nobilitate, scientia, strénuitate, ceterisque donis naturalibus inter homines clarescunt: hoc pacto noscimus, Ábraham adorasse filios Heth (2); Jacob fastigium sceptri, quod gérebat Joseph (3); Judith Holofernem (4).

3. Ratione majoris, vel minoris dignitatis objecti, quod cultum sacrum promeretur, adoratio dividitur in *latriam*, et *duliam*. Latria est cultus uni Deo tamquam supremo rerum Domino tribuendus, quo increatam atque infinitam Ejus excellentiam testificamur, nostramque debitam servitutem Eidem exhibemus (5). Dulia est honor, quem creaturis ob earum excellentiam supernaturalem impendimus. Haec porro duplex; *communis* et *suprema*. Dulia communis ea est,

(1) Josue cap. 5. v. 15.

(2) Geneseos cap. 23. v. 7.

(3) Ep. ad Hebraeos cap. 11. v. 21.

(4) Judith cap. 10. v. 20.

(5) Brevem, et accuratam latriae definitionem traditam legimus a D. Augustino lib. 10. de civitate Dei cap. 1. En S. Doctoris verba: -- Latria secundum consuetudinem, qua locuti sunt qui nobis divina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, ut pene semper, ea dicitur servitus, quae partinet ad Deum colendum --.

qua Beatos, sive Angelos, sive homines, uti Dei servos et amicos prosequimur ob spiritualia dona sanctitatis et gloriae ipsis a Deo conlata. Suprema dulia, quae *Hyperdulia* nuncupari solet, nec specie distat, sed gradu tantum a communi, ea est, qua Deiparae Virgini ob eximiam ejus dignitatem prae ceteris creaturis peculiare defertur obsequium.

4. Postremo ratione modi, quo colitur objectum, adoratio vel *absoluta* esse potest, vel *respectiva*. Absoluta tum erit adoratio, si quid revereamur ob intrinsecam ejus perfectionem: respectiva appellabitur, si rem propter se non colamus, sed propter excellentiam prototypi, ad quod illa refertur.

§. LXXV.

Hisce principiis ad rerum perspicuitatem in antecessu positis, firmanda nunc est in primis doctrina catholica de adoratione: quod ut ordinatim fiat, ad plura distincta capita sic ea revocetur.

Prop. 1 Supremo cultu latriae Deus O. M. adorari debet, nec non Christi humanitas hypostatice divinitati conjuncta (1).

(1) Cum de Christi cultu in praesentiarum agatur, abs re non erit haec pauca historice adnotare. Apollinaristae ceu vitiosam inficiabantur Catholicorum fidem, eosque per injuriam *hominicolas* appellitabant, quod in Christo Deum et hominem uno eodemque latriae cultu prosequerentur. De hisce vide Nazianzeni orat. 52., quae est ep. 2. ad Cledonium. Item Nesto-

Demonstratio propositionis quoad priorem partem luculentissime constat ex iis, quae tradidimus lib. Institutionum 2. Sect. 2. cap. 1. art. 1. de primo Decalogi praecepto.

Demonstratur pars altera triplici Scripturae S. Conciliorum, et Patrum auctoritate.

Nam 1. Divina oracula Christum Deum, et hominem latria colendum esse testantur. Prae cunctis illud seligatur Joannis in Apocalypsi cap. 5. v. 12., in quo et Angeli, et seniores, et animalia eodem cantico simul clamasse dicuntur: *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem.* Nil profecto clarius desiderari potest, ut veritas ostendatur. Siquidem Agnus occisus, de quo scribit Apostolus meretur accipere divinitatem, cultum nempe divinitati congruentem. Ergo Agnus occisus dignus est supremo latriae cultu. Sed hic Agnus occisus non est nisi Christus homo, non enim ut Deus pati po-

rius duplicem adorationem Christo decernens, divinae tantum naturae absolutam et directam latriam tribuebat: id eruitur ex ep. Synodica Cyrilli Alexandrini. Errassa quoque videtur Gilbertus Porretanus in scholiis ad Psalm. 98., si Gaufredo Claravallensi monaco fides habeatur. Hic ep. ad Card. Albanensem asserit, Gilbertum non latriam, neque duliam, sed medium quemdam cultum inter utramque Christi humanitati concessisse. Heic tandem silentio praetereunda non est Alensis opinio, qui 3. p. q. 30. latriam quidem Christo congruere docet, non tamen absolutam, sed respectivam.

terat, vel occidi. Christus igitur Deus et homo latriae cultu est adorandus.

2. Trium quoque Conciliorum Oecumenicorum sanctionibus hoc dogma firmatur. Ex iis primum obtinet locum Synodus Ephesina, cui praefuit nomine R. P. Coelestini I. Cyrillus Alexandrinus. Synodicam hujusce Patris epistolam ad Nestorium cum universum Concilium recepisset, simul etiam duodecim in ea contentos anathematismos approbavit, quorum octavus haec habet: = Si quis audet dicere, assumptum hominem coadorari cum Deo Verbo oportere, et conglorificari tamquam alterum cum altero,.... et non magis una reverentia veneratur Emmanuel, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum est, anathema sit = (1). Definitio accedit Synodi Chalcedonensis, quae act. 5. eandem Cyrilli epistolam admittit (2). Pariter in quinta Synodo collat. 8. capit. 9. sic decernitur. = Si quis in duabus naturis adorari dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt, separatim Deo verbo, et separatim homini.... et non una adoratione Deum verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei Eccle-

(1) Acta hujusce Concilii, quod est Oecumenicum 3. videantur in tom. 5. Labbeanae collectionis ad an. 431.

(2) Ibidem tomo 7. ad an. 451.

siae traditum est, talis anathema sit = (1).

3. A Sacris Literis, a Conciliorum decretis nec latum unguem deflectunt Epiphanius (2), Athanasius (3), Cyrillus (4), Ambrosius (5), Augustinus (6), Hildephonsus (7), aliique Patres, qui omnes unica, suprema, divinaque adoratione carnem Christi, hoc est, naturam humanam cum Verbo colendam esse unanimi sensu declarant. Ceteris missis auctoritatibus, unum audire praestat Joannem Damascenum, qui lib. 3. de fide orthodoxa ita diserte scribit cap. 8. = Unus igitur Christus est, Deus perfectus, et homo perfectus: quem adoramus cum Patre et Spiritu unica adoratione cum ejus immaculata carne, nequaquam carni ipsius adorationem denegantes. Adoratur enim in una Verbi hypostasi, quae hypostasis ei facta est. Neque tamen hoc agentes creaturae servimus. Non enim velut nudam carnem adoramus, sed ut divinitati conjunctam, et quatenus in unam personam, unamque hypostasim Dei Verbi duae illius naturae reducuntur =.

Prop. 2. Sancti cum Christo in Coelis re-

(1) Haec apud Labbeum cit. op. tom. 9. ad an. 550.
(2) In Anchorato §. 51.
(3) Ep. ad Adelphium Episcopum.
(4) Ep. ad Nestorium, ad Monachos Aegypti, et alibi passim.
(5) Lib. 3. de Spiritu S. cap. 12.
(6) Enarratione in Ps. 98.
(7) De virginitate S. Mariae.

gnantes *absoluta* dulia colendi sunt, ac suppliciter invocandi (1).

Demonstratur propositio quoad cultum Sanctorum.

Probatio 1. In Scripturis Sacris praecipuum hujusce thesis fundamentum habemus, ac praesertim in libro Josue cap. 5. v. 15., ubi refertur, hunc pium Israelitarum ducem pronum cecidisse in terram, sibique occurrentem Angelum adorasse. Quo pacto sic argumentum instruimus. Adoratio Josue *religiosa* fuit, non *civilis;* ille namque tum tantum Angelo detulit honorem, cum rescivit, eum principem fore militiae coelestis. Haec adoratio fuit *absoluta*, non *relativa;* nam Josue, nullo ad alterum habito respectu Angelum, quem adorabat, interrogavit, dicens: *Quid Dominus meus loquitur ad*

(1) Dogma catholicum de cultu, et invocatione Sanctorum oppugnarunt quamplures. Huic primum adversati sunt Ethnici et Judaei, teste Eusebio hist. Eccl. lib. 4. cap. 15. et lib. 8. cap. 6. In illud impetum quoque fecerunt saec. 3. et 4. Porphyrius philosophus, Ennomius, Vigilantius, et Manichaei, de quibus visendi sunt Hieronymus lib. contra Vigilantium, et Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 21. Acre bellum indixernnt etiam cultui Sanctorum duo supremi imperantes Julianus vulgo dictus apostata, et Constantinus Copronymus. Impium foedus cum veteribus hagiomachis iniere sexti decimi saeculi novatores. Lutherus prae ceteris lib. ad Waldenses, Calvinus lib. 1. instit. Magdeburgenses cent. 1. lib. 2. cap. 4., et Joannes Dallaeus lib. de cultibus religiosis latinorum, criminationem antiquorum hostium renovantes, idololatriae notam Sanctorum cultoribus impudenter affigunt. Verum haec calumnia quam injuste nobis opponatur, ex objectionum solutionibus infra patebit.

servum suum? Haec tandem *latria* certe non fuit, sed *dulia,* secus eam Angelus reprobasset. Cum itaque adoratio, de qua hic agitur, fuerit *absoluta dulia*, cumque nullibi hujusmodi cultus in Sacro textu reprehendatur, jam sponte consequitur, Angelis hanc speciem adorationis apprime congruere. Sed Angelorum par omnino est, hominumque beatorum conditio; hi enim *sunt Angelis aequales* juxta Christi verba in Ev. Lucae cap. 20. v. 36. Sanctis igitur convenit *absoluta dulia.*

Probatio 2. Divinis Literis perfectissime consonant Sanctorum Patrum auctoritates et exempla. Ut a graecis ordiamur, Basilius ep. 252. ad Ponticae Dioecesis Episcopos ait: = Martyrum honores omnibus quidem in Dominum sperantibus summo studio esse debent, sed praecipue vobis virtutis cultoribus, qui vestra erga claros et celebres conservos voluntatis propensione amorem in communem Dominum ostenditis =. Huic Nyssenus accedat, qui in oratione de S. Theodoro Martyre ipsius cultum ita commemorat: = Cui regum talis honor habetur? Quis ex iis, qui supra modum inter homines excellere visi sunt, tali memoria celebratur? Quis imperatorum, qui urbes munitas coeperunt, nationes innumeras subegerunt adeo decantatus, et fama celebratus est, ut hic

miles pauper modo conscriptus, et tyro, quem Paulus armavit, quem Angeli ad certamen unxerunt, quem victorem Christus coronavit =. Addatur Chrysostomus, qui homil. in martyres Juventinum et Maximinum sic Antiochenos affatur: = Non aliter priscos, aliter recentiores colitis Sanctos, sed eadem alacritate, eodem amore, eodem affectu colitis omnes, et commendatis. Non enim exploratis tempus, sed exquiritis animi fortitudinem, pietatem, fidem invictam, zelum fervidum, et eas virtutes, quas praeseferunt Sancti, ob quorum honorem hodie convenimus =. Item Cyrillus lib. 6. in Julianum haec habet: = Sanctos porro Martyres, neque Deos esse dicimus, neque divino cultu illos adorare solemus, sed affectus, et honoris. Quin potius summis honoribus illos ornamus; puta, quod pro veritate strenue certaverint, sinceritatemque fidei eousque servaverint, ut animam ipsam contempserint, repudiatisque mortis terroribus, periculum omne vicerint. Quare nihil est absurdi, imo vero necesse erat, eos, qui tam claris facinoribus excelluerunt, ornari perpetuis honoribus =. Non aliter sentit Joannes Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 16; inquit enim: = Honorare decet Sanctos, ut amicos Christi, ut filios, et haeredes Dei =.

Eadem prorsus ratione Sanctorum cultui suffragantur latini Patres. Audiendus est prae primis Cyprianus dicens ep. 34. = Martyrum passiones, et dies anniversaria commemoratione celebramus =. Idipsum testatur ep. ad Riparium hisce verbis Hieronymus: = Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum =. Augustinus pariter lib. 20. contra Faustum cap. 21. ait: = Populus Christianus memorias martyrum religiosa sollemnitate concelebrat =. Demum prae multis, quos, ne plus aequo res producatur, cogimur praeterire, Maximus Taurinensis Episcopus adjiciatur, qui homil. 81. in natali Ss. Mm. Octavii, Adventitii, et Solutoris haec scribit: = Cuncti martyres devotissime percolendi sunt, sed specialiter ii venerandi, quorum reliquias possidemus =.

Probatio 3. Religiosum Sanctorum cultum suadet etiam luculentissimum traditionis argumentum ex antiqua, constanti, universali Ecclesiae praxi deductum. Haec siquidem, ut innumera fatentur Patrum testimonia, semper et ubique Sanctos venerari consuevit: quin imo, ut a fidelibus pie ac decenter ipsi colerentur, dies festos in Deiparae, Apostolorum, ac Martyrum honorem jam a suis primordiis instituit eisque templa dicavit.

In primis autem, ut nonnulla de hisce festivitatibus attingamus, indubium est, sol-

lemnitates Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, atque Assumptionis Deiparae vetustate gaudere. Id manifesto liquet e plurimorum Sanctorum Patrum auctoritatibus, qui a saeculo quarto ad sextum floruerunt (1). Quod si ad Sanctorum festa progrediamur, haec ab Ecclesiae exordio in apostolicis Constitutionibus, quae Clementi Romano Pontifici tribuuntur, legimus indicta. Ibi namque lib. 8. cap. 33. de tempore, quo feriandum sit famulis, dicitur: = In diebus Apostolorum vacent: magistri enim fuerunt ad docendum vos de Christo, vobisque Spiritum S. dederunt. In die Stephani Protomartyris item vacent, ac reliquis diebus sanctorum martyrum, qui Christum vitae suae anteposuerunt =. Quoad saeculum secundum celebris est Ecclesiae Smyrnensis epistola, cujus en verba: = Solemnes agimus celebresque conventus.... cum eorum memoriam, qui prius passi fuerant, celebramus = (2).

(1) Festum Nativitatis Deiparae meminit Gregorius M. ad diem 8. Septembris in Sacramentario. Commemoratur Annuntiationis celebritas in sermone de eadem inter opera D. Athanasii recensito. Qui sermo, si ab hoc Patre exaratus juxta Stapletonum censeatur, ad saeculum 4. referendus erit, ad subsequens vero, si cum Baronio illum tribuere velimus Cyrillo Alexandrino, vel Anastasio Episcopo Antiocheno. De festo Purificationis agunt Nysseni, et Chrysostomi orationes. Tandem in operibus Hieronymi sermo reperitur de solemnitate Assumptionis huic Patri, vel ipsi coaevo Sophronio adjudicandus.

(2) Hanc epistolam tradit Eusebius lib. 4. Hist. Eccles. cap. 15.

Itidem festum puerorum, qui martyrum primitiae fuerunt, jam a tertio saeculo in Ecclesia observatum esse constat ex Origene homil. 3. in diversa Evangelii loca. De plurimis quoque diebus sacris in honorem Sanctorum quarto saeculo institutis, testes habemus Basilium (1), Nazianzenum (2), Chrysostomum (3), Hieronymum (4), aliosque ejusdem aevi Patres tum orientalis, tum occidentalis Ecclesiae.

Quod hactenus de Sanctorum festivitatibus dictum est, id aeque de Templis affirmandum. Quandoquidem enim, diris persecutionum fluctibus pacatis, tandem, Constantino M. imperante, quiescere coepit Ecclesia; tum undique Sacras Aedes in memoriam extrui Sanctorum totus terrarum orbis conspexit. Hac in re ne contingat, aequos brevitatis nos praetergredi fines, obiter indicare sufficiat in Oriente, tum Basilicas in honorem Apostolorum Jerosolymis (5), et Constantinopoli saeculo quarto honorificentissime conditas (6), tum Ecclesias Beatae Vir-

(1) Homilia in Gordium martyrem.

(2) Oratione 1. in Julianum.

(3) Homilia de Sanctis Berenice, Prosdoce, et Domnina.

(4) Lib. 3. Commentar. in cap. 4. ad Galatas v. 10. 11.

(5) Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 16. mentionem facit hujusce Basilicae, quam Christi fideles tum temporis inaedificarunt quo loco in Apostolos descenderat S. S.

(6) Templum Constantinopolitanum, de quo hic agitur, Eusebius graphice describit lib. 4. de vita Constantini cap. 58. 59.

ginis (1), Thomae Apostoli (2), Theodori (3), Basilisci (4), Theclae (5), et Euphemiae martyrum (6), aliasque numero prope infinitas, quas longo recensent ordine sacrarum antiquitatum Scriptores. Modo si de Occidente loquamur, ad Urbem oculos convertere satis erit (7). Ibi namque Sylvester I. eodem saeculo quatuor Basilicas SS. Petri et Pauli, Joannis, et Laurentii a Constantino magnificentissime erectas, Liberius Basilicam S. Mariae ad Praesepe, alias alii subinde Romani Pontifices sollemniter dedicarunt (8).

Antiquis Ecclesiae moribus huc usque per-

60. De hoc disseruit antea D. Chrysostomus, scite animadvertens, eximium hunc imperantem factum esse post obitum piscatoris janitorem, cum ad ipsius templi fores tumulari voluerit.

(1) Commemorant Ephesini Patres templum S. Mariae, in quo pro celebratione Concilii 3. Oecumenici saeculo 5. convenerunt.

(2) Sozomenus hist. lib. 6. cap. 18. templum meminit D. Thomae in urbe Edessena constructum.

(3) De templo S. Theodori plura habet orat. in hunc martyrem Greg. Nyssenus.

(4) De Ecclesia S. Basilisci M. fit mentio in hist. Nicephori lib. 13. cap. 37.

(5) Agit de Ecclesia S. Theclae Evagrius hist. lib. 3. cap. 8.

(6) Non modo ab Evagrio hist. lib. 2. cap. 3. sed etiam a Concilio 4. Oecumenico memoratum legimus templum Euphemiae M; nam Chalcedonenses Patres ibidem se se congregasse ex ipsius Concilii actibus apparet.

(7) — Urbis appellationem, etiamsi nomen proprium non adjiceretur, Romam tamen accipi est receptum —. Ita Quintilianus lib. 6. cap. 3.

(8) Prae ceteris consule Panvinium hist. Romanorum Pontificum, et Aringhium Romae subterraneae tom. 1. lib. 2. cap. 6., et lib. 3. cap. 3.

spectis, rem paucis ita concludimus. Quod prioribus saeculis in usu habuit Ecclesia, illud religiose tenendum est. Hanc propositionem nec novatores poterunt inficiari; ea quippe saecula ad subsequentium discrimen ab ipsis aurea dictitantur, ac si temporum successu immaculata Christi Sponsa nefariis superstitionibus corrupta institutionem pristinam deseruisset. Verum per ea purissima tempora summo honore Sanctos Ecclesia coluit ex demonstratis. Cultus ergo Sanctorum, qui semper floruit apud Catholicos, et adhuc floret, a novatoribus injuste rejicitur.

Probatio 4. Veritatem jam pluribus firmatam evincit quoque ratio naturalis. Ut enim cuique persuasum est, civili honore prosequi decet, qui ob praeclaras naturae praerogativas ceteris praestant in societate: decet pariter intuitu dignitatis et gradus iis, qui sunt in potestate constituti, obsequium politicum exhibere. Sanctis igitur ob eorum excellentiam supernaturalem virtutum et gloriae congruentissimum erit cultum religiosum deferre.

Demonstratur propositio quoad Sanctorum invocationem.

Probatio 1. Sub veteri lege plures viri sancti maxima pietate Angelos exorarunt. Inter eos Loth numeratur, qui deprecatus est

Angelos, ne Segor civitas igne subverteretur (1); Jacob, qui petiit ab Angelo benedictionem (2); Joseph, qui pro filiis suis Angelorum tutamen postulavit (3). Jam vero si pium est Angelos invocare, cur Sanctos aeternae Beatitudinis jam consortes invocare non licebit? Rursus ex utroque foedere constat, piam fore invocationem Sanctorum dum in terris versantur. Deus etenim jubet, ad preces Job amicos ejus confugere, ut veniam consequantur (4): Filii Israel Samuelem adprecantur, ne cesset pro iis ad Dominum clamare, ut eruantur e manu Philistinorum (5): orationibus fidelium instanter se se commendat Paulus Apostolus (6). Porro si ex dictis pium est exorare sanctos adhuc viatores, eo magis invocandi erunt si sint in Coelis cum Christo regnantes.

Probatio 2. Ad Sanctorum invocationem verbo et exemplis nos provocant Sancti Ecclesiae Patres.

Primum inter Orientales referimus Basilium, qui orat. in 40. Martyres de iisdem haec scribit: = Qui angustia aliqua premitur ad quadraginta martyres confugit, qui

(1) Geneseos cap. 19. v. 21.
(2) Ibidem cap. 32. v. 26.
(3) Ibid. cap. 48. v. 16.
(4) Job. cap. 42. v. 8.
(5) Lib. 1. Regum cap. 7. v. 8.
(6) Ep. ad Romanos cap. 15. v. 30.

laetatur ad eosdem recurrit: ille quidem ut a malis liberetur, hic vero ut res sibi secundae esse pergant. Hic mulier pia pro liberis orans deprehenditur: peregrinanti marito reditum, infirmo salutem petit...... O chorus sanctus, o sacer ordo, o confertissimum et infractum agmen, o communes generis humani custodes, boni curarum socii, precum fautores, legati potentissimi, stellae orbis terrarum, ecclesiarum flores = De se ipso autem ait S. Doctor ep. 360. == Suscipio Sanctos Apostolos, prophetas, et martyres, et ad supplicationem, quae fit Deo, hos invoco, ut per eos, id est interventionem eorum propitius mihi sit misericors Deus, et delictorum mihi redemptio fiat, et condonetur =. Accedit Nazianzenus orat. 20, de laudibus S. Basilii, eumque hisce verbis alloquitur: = Tu vero sacrum, et divinum caput e coelo nos, quaeso, inspice, carnisque stimulum a Deo nobis ad disciplinam datum, aut precibus tuis siste, aut certe, ut forti animo perferamus, persuade; atque omnem nostram vitam ad id, quod maxime conducibile est, dirige. Postquam autem ex hac vita migraverimus, illinc etiam nos in tabernacula tua suscipe, ut simul viventes, et Sanctam Trinitatem plenius, puriusque cernentes, desideriis nostris finem statuamus =. Nyssenus quoque orat. de S. Theodoro M.

sic ejus opem implorat: = Intercede pro patria apud communem Regem, ac Dominum.... Timemus vexationes, expectamus pericula. Non longe absunt nefandi Scythae, qui bellum contra nos meditantur. Tamquam miles pro nobis pugna: tamquam martyr pro conservis utere libertate. Quamvis e vita excesseris, at nosti perpessiones, et necessitates humanae naturae. Pacem pete... Postulamus autem, et futuri securitatem temporis. Quod si majori advocatione, et intercessione opus est, fratrum tuorum martyrum chorum congrega, et cum omnibus deprecare.... Admone Petrum, excita Paulum, nec non Joannem theologum ac dilectum discipulum, ut pro fundatis a se Ecclesiis solliciti sint, pro quibus catenas gestarunt =. Non absimiles aperit sensus Chrysostomus hom. 45. de S. Meletio; populo enim, ait: = Oremus simul omnes.... beatum ipsum Meletium.... ut haec nobis augeatur charitas, et nos omnes obtineamus, quomodo hic sumus prope arcam istam, ita illic quoque posse esse prope beatum, et aeternum ejus tabernaculum =.

Consulantur et Latini Patres, e quibus Ambrosius lib. de Viduis cap. 9. inquit: = Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad praesidium dati sunt: Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam

corporis pignore patrocinium vindicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine, etiamsi aliqua habuerunt, peccata laverunt.... Non erubescamus eos intercessores nostrae infirmitatis adhibere, qui et ipsi infirmitatem corporis etiam cum viverent cognoscebant =. In idem consentit Augustinus serm. 159. de verbis Apostoli dicens: = Injuria est pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari — ; et serm. 1. de S. Stephano: = Commendemus nos orationibus ejus; multo magis enim nunc exaudietur pro veneratoribus suis, qui sic exauditus est tunc pro lapidatoribus suis =. Adjiciendus est postremo Doctor Bernardus, qui serm. Dominicae infra octavam Assumptionis Deiparae sic nos ad ejus invocationem cohortatur: = Amplectamur Mariae vestigia, et devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur: teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis; potens est enim =: inde, pluribus interjectis, ad Virginem M. conversus ita sermonem absolvit: = Ciba hodie pauperes tuos Domina: ipsi quoque catelli de micis edant, nec puero Abrahae tantum, sed et camelis potum tribuas de supereffluenti hydria tua, quia tu vere puella es praeclara, et praeparata Altissimi Filio, qui est super omnia Deus benedictus in saecula = (1).

(1) Praeter jam recensitos utriusque Ecclesiae Patres consu-

Probatio 3. Doctrina de Sanctorum invocatione Conciliorum universalium exemplo et sanctionibus invicte quoque roboratur. Nam in Synodo Chalcedonense act. 11. legitur: = Flavianus post mortem vivit: martyr pro nobis oret =. In Nicaena II. dicitur act. 6. = Cum timore Dei omnia faciamus expetentes etiam intercessionem intemeratae Dominae nostrae semper Virginis Mariae, atque sanctorum Angelorum, et simul omnium Sanctorum =. In Tridentina denique Sess. 25. Sanctorum invocatio pia, et utilis sequentibus verbis decernitur: = Mandat S. Synodus omnibus Episcopis,.... ut juxta Catholicae et Apostolicae Ecclesiae usum a primaevis Christianae religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem, et sacrorum Conciliorum decreta...... fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre: bonum, atque utile esse suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus J. C. D. N., qui solus noster Redemptor ac Salvator est, ad eorum orationes, opem,

lantur, si placet, Paulinus Nolanus tum in variis carminibus, tum in Panegyrico de obitu Celsi pueri, Leo M. serm. 1. de nat. Ss. ap. Petri et Pauli, Maximus Taurinens. Episc. de nat. S. Agnetis, Greg. M. homil. 32. de Ss. Processo, et Martiniano, et Gregorius Turonensis lib. 1. de gloria martyrum cap. 94.

auxiliumque confugere: illos vero, qui negant, Sanctos aeterna felicitate in Coelo fruentes invocandos esse.... impie sentire =.

Prop. 3. Icones sacrae cultu religioso non *absoluto*, sed *respectivo* sunt honorandae (1).

Dem. 1. E Scripturis Sanctis.

Quanto in honore fuerit Arca Domini apud Judeos notum est e veteri Testamento. Legimus enim Deuteronomii cap. 10. v. 8. *Separavit* Moyses *tribum Levi, ut portaret Arcam foederis Domini.* Item in libro Josue cap. 3. v. 3. et 4. *Quando videritis Arcam foederis Domini Dei vestri, et Sacerdotes... portantes eam, vos quoque consurgite, et sequimini praecedentes, ... cavete, ne appropin-*

(1) Cultus sacrarum Imaginum, quem hic defendimus, iconomachos olim habuit adversarios, quorum princeps, Zenone imperante, fuisse traditur homuncio quidam natione Persa, nomine Xenajas. Horum causam 8. saeculo propugnans Leo Isaurus Orientis imperator decrevit, ut sacrae imagines undique delerentur. Hinc, saevissima in Ecclesiam persecutione commota, defensae fidei martyres plurimi occubuere. Leoni Constantinus Copronymus successit paternae impietatis aemulator, qui, pseudosynodo coacta, novo edicto sacras imagines proscripsit. Subsequenti saeculo 9. Leo Armenus, Michael Balbus, ac Theophilus bellum ipsum restituerunt. Interim, cum in Oriente furerent iconoclastae, turbas quoque concitavit in Occidente Claudius hispanus Taurinensis Episcopus, in quem calamum acuit Jonas Aurelianensis, uti patet e M. Biblioth. Patrum tom. 4. Perditissimus hic homo sub Ludovico Pio a suae dioeceseos Ecclesiis cunctas Sanctorum imagines procul abesse voluit, eique adhaerere visi sunt Gallicani Praesules nonnulli. Cum porro lapsu temporum jam obsoleta foret iconomachorum haeresis, hanc denuo renovarunt saeculo 12. Albigenses, saeculo 14. Wiclefitae, saeculo 16. Lutherani et Calviniani.

quetis ad Arcam. Rursus ibidem cap. 7. v. 6. *Josue pronus cecidit super terram coram Arca Domini, usque ad vesperam tam ipse, quam omnes senes Israel.* Pariter lib. 2. Regum cap. 6. pius ac sollemnis describitur apparatus, quo, David Arcam e domo Obededom in civitatem Jerusalem traduxit. Verum, quid praestabant Judaei, cum, Deo probante, vel etiam jubente, arcam foederis adorarent? Signa cuncta venerationis huic exhibita ad Deum tantum referebantur, nec in opere manufacto sistere certe poterant, cum idololatria vetita foret primo Decalogi praecepto. Hic ergo cultus religiosus simul erat, ac *respectivus.* At eadem prorsus ratione sacras Imagines veneratur catholica Ecclesia: eas namque propter se non colit, sed propter exemplaria cultu digna, quae in ipsis repraesentantur. Ergo, quemadmodum licuit Judaeis cultum religiosum, non quidem *absolutum*, sed *respectivum* Arcae tribuere, ita et Ecclesiae Christi licebit id generis cultum sacris imaginibus deferre.

Dem. 2. E Conciliorum generalium auctoritate.

In primis catholicam hanc veritatem adversus iconomachos ita declaravit Concilium Nicaenum II. actione 7. = Sequentes divinitus inspiratum sanctorum Patrum nostrorum magisterium, et catholicae traditionem

Ecclesiae.... definimus in omni certitudine et diligentia, sicut figuram pretiosae ac vivificae crucis, ita venerabiles, et sanctas imagines proponendas in sanctis Dei Ecclesiis, et sacris vasis, et in parietibus ac tabulis, domibus, et viis: tam videlicet Imaginem Domini Dei, et Salvatoris nostri J. C., quam intemeratae Dominae nostrae sanctae Dei genitricis, honorabiliumque Angelorum, et omnium Sanctorum.... Quanto enim frequentius per imaginalem formam videntur, tanto qui eas contemplantur alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam, et desiderium, et ad osculum et ad honorariam his adorationem tribuendam: non tamen ad veram latriam,.... quae solam naturam divinam decet, impertiendam: ita ut istis, sicut figurae pretiosae ac vivificae Crucis, et sanctis Evangeliis, et reliquis sacris monumentis, incensorum, et luminum oblatio ad harum honorem conficiendum exhibeatur: quemadmodum et antiquae piae consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit, et qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam =. Concilii Nicaeni doctrinam Synodus IV. Constantinopolitana act. 10. can. 3. hoc pacto confirmat: = Sacram Domini nostri J. C. effigiem eadem, qua sancta Evangelia veneratione colendam statuimus.... Eadem ra-

tione intemeratae Genitricis illius effigiem, sanctorumque Angelorum.... ac Sanctorum omnium veneramur et colimus. Qui aliter sentiunt, anathema sunto =. Idipsum Tridentini Patres decernunt, remque clarius dilucidant sess. 25. dicentes: = Imagines Christi, Deiparae Virginis, et aliorum Sanctorum in templis praesertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem ac venerationem impertiendam: non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendae; vel quod ab iis aliquid sit petendum; vel quod fiducia sit in imaginibus figenda, velut olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant, sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant; ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur =.

Dem. 3. E doctrina Sanctorum Patrum.

Cultui sacrarum Imaginum suffragantur veteres Ecclesiae Patres, ejusque maximam congruentiam, atque praestantiam disertissime fatentur.

Basilius inter Graecos ep. 360. de Sanctorum invocatione eorumque imaginibus disserens ait sub fine: = Characteres imaginum ipsorum honoro, et osculor eximie,

cum traditae sint a sanctis Apostolis, nec sint prohibitae, imo in omnibus Ecclesiis nostris depictae sint =. In liturgia Chrysostomus habet: = Sacerdos ad imaginem Christi caput inclinet =. Damascenus prae ceteris lib. 4. fidei orthodoxae cap. 17. strenue dimicans adversus iconomachos usum et cultum imaginum pluribus Scripturarum locis defendit, eumque ab Apostolis et ipse deducit. Rem fusius adhuc, funditusque pertractat orat. 3. de imaginibus, in qua earum usum et cultum semper et ubique in Ecclesia viguisse, historicis monumentis ostendit.

E latinis autem Patribus Hieronymus in vita Paulae, cujus virtutes perlaudat, inquit: = Prostrata ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat =. Ambrosius orat. de obitu Theodosii ita matrem Constantini M. commendat: = Sapienter Helena egit, quae crucem Christi in capite regum levavit et locavit, ut crux Christi in regibus adoretur =. Demum audiatur M. Gregorius, qui, cum Petrus recens baptizatus, ut Judaeos ad fidem cogeret, synagoga per vim occupata, ibi crucem, ac Deiparae imaginem posuisset, sic Januario Antistiti Caralitano scribit lib. 9. ep. 6. = His hortamur affatibus, ut, sublata exinde cum ea, qua dignum est, veneratione imagine atque cruce, debeatis quod violenter ablatum est

reformare =: item lib. 9. indict. 2. ep. 52. ad Secundinum = Scio, quod imaginem Salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre desideras. Et nos quidem, non quasi ante divinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, sed et in throno sedentem recordamur =.

Dem. 4. A ratione.

Argum. 1. Fide digni scriptores plura miracula enarrant, quae Deus per Christi, Sanctorumque imagines patravit. Haec tradita reperiuntur apud Athanasium (1), Gregorium Turonensem (2), Eusebium (3), Sozomenum (4), Evagrium (5), Zonaram (6), Paulum Diaconum (7), imo et apud Magdeburgenses novatores (8). At Deus infinite

(1) Inter opera, quae M. Athanasii Alexandrini Episcopi nomine circumferuntur, extat sermo de passione imaginis Christi a judaeis Beryti crucifixa, quae uberrimo cruore manavit. Quamvis haec historia incerti sit auctoris, nihilominus recepta fuit a Conc. 7. Oecumenico, in quo et alia Ss. imaginum portenta memorantur.

(2) Lib. de gloria Martyrum cap. 21.

(3) Lib. 7. hist. Eccl. cap. 17. et 18.

(4) Hist. lib. 5. cap. 20.

(5) Hist. lib. 4. cap. 26.

(6) In vita Michaelis Balbi.

(7) Lib. 21. rerum romanarum.

(8) Centuria 6. cap. 13.

sanctus, et verax ad superstitiosi cultus confirmationem signa nequit operari. Cultus ergo sacrarum imaginum per se a qualibet superstitionis labe alienus omnino est.

Argum. 2. Civilis cultus *respectivus* imagini supremi imperantis merito rependitur ob dignitatem prototypi, cui decet honorem exhibere: nam, ut ait D. Athanasius orat. 3. contra Arianos N. 5. *Qui adorat imaginem, in ipsa adorat imperatorem.* Aequum ergo erit a pari, ac laudabile sacris imaginibus religiosum honorem *respectivum* deferre, cum in iis repraesententur exemplaria, quae, uti patet e prop. 1. et 2. jam demonstratis, ob eorum supernaturalem excellentiam et merita religiosa veneratione sunt colenda.

Prop. 4. Reliquiis sacris, quae sunt vel Dominicae passionis instrumenta, vel Sanctorum exuviae cultus religiosus est impendendus.

Demonstratur propositio quoad primam partem (1).

(1) Quamquam sacrae imagines iconomachis forent invisae, ii tamen neque Cruci, nec ceteris Christi passionis instrumentis cultum denegasse videntur: nam orat. 2. de imaginibus Jo. Damascenus, posita uti ab adversariis concessa Crucis, et Sepulcri Jesu adoratione, inde concludit, admittendam pariter fore et imaginum venerationem. Adversus Crucem saeculo Ecclesiae 9. dimicare coeperunt haeretici; in Oriente, videlicet, Pauliciani, Euthimio teste in Panoplia part. 2. tit. 21; in Occidente vero super memoratus Claudius Taurinensis, uti ex Jonae Aurelianensis lib. 1. colligitur. Cruci quoque infensissimus fuit saeculo 12. Petrus de Bruys in Galliis, quemadmodum constat

Inter Dominicae passionis instrumenta lignum eminet pretiosae Crucis, in qua Christus moriens criminum vincula disrupit, ac mortem superavit. Gloriosum hoc humanae redemptionis vexillum adorandum esse duo potissimum ostendunt: magnalia, nempe, quibus Deus ejusmodi cultum probavit: auctoritas veteris Ecclesiae, quae ligno Crucis venerationem universim tribuere consuevit.

Ut primum argumentum instruatur, sat erit praeclara signa recolere, quae in mirabili Crucis inventione contigere. *Helena Constantini mater*, inquit Eusebius, *divinis monita visionibus beatissimum Crucis lignum, in quo salus mundi pependit apud Jerosolymam adinvenit* (1). Ibi namque templo Veneris, quod erexerat Hadrianus ubi Christus fuerat crucifixus, funditus everso, terraque defossa, Redemptoris sepulcrum detexit et Crucem, quae, rei experimento suscepto, et mulieri jam decedenti valetudinem restituit (2), et mortuum suscitavit (3).

ex ep. Petri Cluniacensis. Iisdem accessere Wiclefitae juxta Thomam Waldensem tom. 3. tit. 20., subinde novatores saeculi 16., uti eorum scripta passim aperte declarant.

(1) Haec habet Eusebii Chronicon latine redditum a Hieronymo.

(2) Hujusmodi historia colligitur ex Cyrillo Jerosolymitano Catechesi 10. et 13., Ruffino hist. lib. 10. cap. 8., Nicephoro lib. 8. hist. Eccles. cap. 29; Socrate lib. 1. hist. cap. 13., et Beda lib. de locis sanctis cap. 3.

(3) Vide Paulinum Nolanum ep. 11. ad Severum Sulpicium

Secundum argumentum, quod quidem amplissimum est, prae primis infertur e plurimis templis, quae saeculo 4. et sequentibus undique in salutiferae Crucis honorem extructa fuere. Iis omnibus ob vetustatem ac magnificentiam celebriora commemoranda sunt Jerosolymitanum, et Romanum: quorum alterum in loco Dominicae Passionis Helena condidit, (1) alterum in aedibus Sessorianis Constantinus (2). Illud etiam ad majus argumenti robur accedit, quod, Cruce vix reperta, haec a Fidelibus tantopere conquisita fuit, ut ejusdem particulis universum mundum jam repletum asserere non dubitaverit catech. 10. et 13. Cyrillus Jerosolymorum Antistes. Hanc veritatem vel invitus fatebatur ipse Julianus imperator, dum ore blasphemo Christianos sic arguebat: *O miseros, qui crucis lignum adoratis* (3). Testis denique sit de cultu in universa Ecclesia antiquitus Cruci delato Cyrillus Alexandrinus, qui hom. 6. contra Nestorium ait: = Crux pretiosa dicitur, et adoratur in toto orbe terrarum = (4).

hist. Sacrae lib. 2. et Sozomenum hist. lib. 2. cap. 21.

(1) Eadem Paulini ep. sup. cit.

(2) Ex Anastasio Bibliothecario in vita S. Sylvestri.

(3) Ita ex Cyrillo Alexandrino lib. 6. in Julianum.

(4) Verae cruci adorationem exhibendam fore nemo Catholicorum inficiatur: at si perquiras, qualis tandem esse debeat hic cultus, reperies invicem non convenire doctores. Alensis 3. parte quaest. 30. art. ult; D. Thomas 3. parte quaest. 25. art. 4. in cor-

Alia plura, quae, praeter Crucem, Christi Domini contactu, vel pretioso Sanguine consecrata fuere, cultum sacrum promerentur. Huic doctrinae suffragatur vetus et ubique recepta Ecclesiae consuetudo, quam nobis exhibent, ac disertim confirmant luculentissima Patrum testimonia. Ex iis qui saeculo 4. floruerunt, audiatur Ambrosius orat. in Theodosium dicens: = Ecce et clavus in honore est, et quem ad mortem impressimus remedium salutis est, atque invisibili potestate daemones torquet =. Item Chrysostomus hom. de Crucis veneratione de se ait: = Amo clavos, arundinem, lanceam, et spongiam suscipio; pro regia corona coronam ex spinis ad caput accomodo =. Ad saeculum 5. si procedamus, nobis occurrit Hieronymus, qui lib. 2. Apologiae contra Ruffinum inquit: = Veni Bethleem, praesepe Domini, et incunabula adoravi =. Rursus

pus, aliique scholastici plures arbitrantur cultum latriae improprium, ac relativum verae cruci congruere. Plusimi contra sentiunt, ac speciatim Bellarminus disputat. tom. 2. controv. 4. gener. lib. 2. de Sanctorum reliquiis et imaginibus cap. 22., Natalis Alexander dissert. 25. in hist. Ecclas. saec. 5., et Tournelius, qui praelectionum tom. 4. de Incarnatione quaest. 13. haec scribit: — Latria dicitur summus cultus, qui Dao vero debetur, ut primo principio rerum omnium: implicat autem contradictionem exhiberi summum cultum primo principio propter aliud. Nam si primo principio, non ergo propter aliud: si propter aliud, non primo principio. Ergo vel cruci exhibetur cultus latriae propter se, et haec esset vara idololatria; vel non exhibetur propter sa, et tunc cultus ille non est veraa latriae —.

in ep. 46. nomine Paulae, et Eustochii ad Marcellam conscripta haec habet: = Martyrum ubique sepulcra veneramur, ... et monumentum, in quo Dominus conditus est, quidam existimant negligendum? Si nobis non credimus, credamus saltem diabolo, et angelis ejus, qui quotiescumque ante illud de obsessis corporibus expelluntur, quasi in conspectu tribunalis Christi stantes, contremiscunt, rugiunt, et sero dolent crucifixisse quem timeant =. Hic quoque pro re nostra Rusticus Diaconus accedat, qui ob dialogum adversus Acephalos inter saeculi 6. scriptores adnumeratur. En ipsius verba: = Clavos, quibus confixus est Christus, ... omnis per totum mundum Ecclesia absque ulla contradictione adorat =. Quod ad saeculum 8. attinet, Concilii Nicaeni Patres act. 7. Deum-hominem ita colloquuntur: = Lanceam, quae vivificans latus sanctitatis tuae aperuit, adoramus =. Tandem una complectitur fere cuncta haec sacra venerationis objecta Joannes Damascenus, atque de iis orat. 3. de imaginibus sic testatur: = Crucis lignum, et clavos, et spongiam, et arundinem, et lanceam illam sacram et salutiferam, et vestem, et tunicam, et lintea, et fascias veneramur, et colimus =.

Demonstratur propositio quoad secundam partem (1).

(1) Generatim depugnat haec altera pars propositionis ad-

D. Stephani proto-martyris fiebant (1): exuvias D. Cypriani morbos pellere, vitam restituere, daemones fugare tradit Nazianzenus (2): item permulta referunt miracula Basilius et Chrysostomus ad sepulcra Mamantis, et Babylae martyrum patrata (3). Quae cum ita sint, hac ratione concludimus. Ea certe religioso prosequenda sunt honore, quorum cultum Deus portentis commendavit. Verum id evenisse constat de Sanctorum reliquiis, quarum nomine veniunt ossa non modo, et cineres, sed vestes, martyrii instrumenta, sepulcra, aliaque hujusmodi eorum usu vel tactu sanctificata. Reliquiae igitur Sanctorum sunt religiose colendae.

Probatio 2. fundatur in traditione, qua patet, semper et ubique Sanctorum reliquias Ecclesiam venerari consuevisse. Ut ordinatim res tanti momenti evolvatur, operae pretium erit in traditione consulenda sejunctim investigare, quinam in Oriente fuerint, quinam in Occidente mores Ecclesiae per ea priora tempora, quae vel ipsi novatores plurimi facere videntur.

De Ecclesia Orientali cum primum disseramus, insigne secundi saeculi de Reliquia-

(1) Ita D. Augustinus lib. 22. de civitate Dei cap. 8.
(2) Oratione 18. in S. Cyprianum.
(3) Vide Basilium orat. in Mamantem M., et Chrysostomum lib. contra gentiles.

rum cultu monimentum reperimus in epistola encyclica Smyrnensis Ecclesiae ad Ecclesias Ponti de S. Polycarpi martyrio, quam Eusebius hist. lib. 4. cap. 15. posteris consignavit. Ibi namque Smyrnenses post relatum gloriosi Christi martyris triumphale certamen, haec de se ipsis testantur: = Nos demum ossa illius gemmis pretiosissimis cariora, et quovis auro puriora colligentes, ubi decebat, condidimus. Quo etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus, concedet Deus natalem ejus martyrii diem cum hilaritate et gaudio celebrare =. Idem Eusebius de Sede Apostoli Jacobi ait hist. lib. 7. cap. 19. = Sane Jacobi illius cathedram, qui primus Jerosolymorum Episcopus ab ipso Servatore, et ab Apostolis est constitutus... ad nostra usque tempora conservatam fratres illius Ecclesiae jam inde a majoribus magna prosequuntur reverentia: satis perspicue declarantes qualiter tum antiquiores, tum nostri temporis Christiani viros sanctos ob ipsorum erga Deum amorem debito semper honore venerati sunt, et hactenus venerantur = . S. Basilius Cesareae Cappadociae Episcopus homil. in martyrem Julittam asserit, = venerandum ejus corpus in praestantissimo templi urbis vestibulo collocatum locum quidem sanctificare, sed et eos practerea, qui ad illum conveniunt =. Gregorius

Episcopus Nyssenus orat. in Theodorum martyrem fidelium morem in Sanctorum reliquiis honorandis sic fuse describit: = Praesentem sanctorum statum inspiciamus quam praeclarus, magnificusque sit. Nam anima quidem ex quo sublimis abiit, in suo loco requiescit, et corpore soluta cum suis similibus vivit: corpus vero venerandum et immaculatum illius instrumentum..... cum multo honore, et cultu compositum atque ornatum in augusto, sacroque loco situm est, quod rei instar pretiosissimae in regenerationis tempus asservatur =. Deinde, postquam templi in honorem martyris erecti magnitudinem, structuram, ac splendidos ornatus commendaverit; postquam et tyrannorum immanes formas, impetusque violentos, et cruciatus, labores, fortiaque facta martyris designaverit in parietibus artificiose depicta, subdit citatus Pater: = His igitur arte elaboratis, quae sensui exposita sunt, ubi oculos quis oblectavit, cupit deinceps etiam ipsi conditorio appropinquare, illius contactum sanctificationem et benedictionem esse credens. Quod si quis etiam pulverem, quo sepulcri locus obsitus est, auferre permittat, pro munere accipitur, et tamquam res magni precii condenda terra colligitur. Nam ipsas attingere reliquias, quando aliqua ejusmodi prospera fortuna

contigerit, quam optabile sit, et summis votis expetitum munus, norunt quicumque sunt experti, et hoc suo desiderio potiti. Hi enim tamquam vivum ipsum corpus et florens videntes osculantur, et ad oculos, ad os, ad aures, ad omnes sensus admovent. Deinde Martyri, quasi integer esset, ac praesens, supplicant, ut pro ipsis intercedat =. Heic adjiciatur Chrysostomus qui homil. in martyres Juventinum et Maximinum ita populum adhortatur: = Eos saepe invisamus, tumulos adoremus, magnaque fide reliquias eorum contingamus, ut inde aliquam benedictionem assequamur =: ipse quoque religiosam pompam enarrans qua reliquiae M. Ignatii Antiochiam deportatae fuere orat. in eundem ait: = Illum sanctum tunc Roma venientem civitates deinceps vicissim excipientes, et humeris gestantes, ad hanc urbem usque deducebant, coronatum laudantes Athletam =. Audiendus item Isidorus Pelusiota Hieracem gentilem hunc in modum perstringens lib. 1. ep. 55. = Si te istud offendit, quod martyricorum corporum cinerem honore afficimus propter illorum erga Deum charitatem et constantiam, interroga eos, qui ab ipsis sanitatem accipiunt, et quot morbis remedium afferant intellige. Ita fiet, ut non modo factum ludibrio non habeas, verum etiam quod recte fit prorsus

imiteris =. Adde insuper Theodoretum serm. 8. contra Graecos dicentem: = Martyrum corpora non singula quidem singulis monumentis conduntur, sed urbes et pagi illa inter se partientes servatores ac medicos animarum pariter et corporum eos appellant, et tamquam urbium praesides, atque custodes venerantur =. Tandem hujusce catholici dogmatis invictus propugnator accedat Jo. Damascenus inquiens lib. 4. Fidei ortodoxae cap. 16. = Christus Dominus Sanctorum reliquias velut salutiferos fontes praebuit, e quibus plurima ad nos beneficia manant.... per eorum enim corpora daemones expelluntur, morbi profligantur, aegroti sanantur, caeci prospiciunt, leprosi mundantur, tentationes, ac moerores discutiuntur, ac denique omne donum optimum a patre luminum ad eos, qui fide minime dubia postulant, descendit =(1).

Ad Occidentalem Ecclesiam devenientes, si tria priora saecula conspiciamus; cultum,

(1) In immensum ne crescat oratio alias praeterire cogimur auctoritates, quibus res uberius illustrari posset. Interim si plura quis cupiat, pro lubitu consulere poterit Cyrillum Jerosolymitanum catech. 18., Gregorium Nazianzenum orat. 3., quae est 1. in Julianum, Amaseae in Ponto episcopum Asterium in Encomio martyrum, et homil. in S. Euphemiam, Eusebium Emissenum homil. de S. Blandina, Cyrillum Alexandrinum lib. 6. in Julianum, Socratem hist. lib. 7. cap. 45; et Sozomenum hist. lib. 7. cap. 10. ubi refertur corporis S. Meletii Antiocheni sollemnis translatio.

de quo hic agitur, in more tum fuisse plane suademur ex antiquitatis monumentis Romae potissimum extantibus, quibus apparet, quantum apud fideles in honore fuerint eorum corpora, qui pro Christo neci tradebantur (1). Jam, ut omnibus compertum est, Christiani haec sacrata pignora e manu persecutorum summo pretio redimebant; haec noctu ad cryptas furtim saepe cum vitae discrimine portabant; haec studiosissime tumulis recondebant. Quin etiam super eorum sepulcra, quae *memoriae martyrum, confessiones, martyria* nuncupabantur, sacrificium offerri consueverat, dum in subterraneis sacellis religiosi fiebant Christianorum conventus: ex quo mos prodivit Ecclesiae legibus firmatus, ut absque reliquiis martyrum nunquam altaria consecrarentur (2). A vetustiori autem consuetudine vel minime differre videmus quarto saeculo et sequentibus Ecclesiae disciplinam. Ambrosius namque prae primis ep. 22. ad Mar-

(1) Locupletissimum hujusmodi antiquitatum thesaurum reperimus in Roma subterranea Bosii et Aringhii, et apud Boldetti *Osservazioni sopra i Cimiterj dei S. Martiri*. Vide etiam Mamachium tom. 3. origin. et antiquit. Christian. et Muratorium Anecdot. tom. 1. dissert. 17. de veterum Christianorum sepulcris.

(2) Vide apud Labbeum ad an. 398. Conc. Carthagin. V. cap. 14. et Conc. Affricani can. 50. ad an. 424. Adi insuper decretum Gratiani parte 3. distinct. 1. de consecratione cap. *placuit*.

cellinam sororem de inventione Ss. Gervasii et Protasii haec scribit: = Condamus reliquias sacrosanctas, et dignis aedibus invehamus, totamque diem fida devotione celebremus =. Praeclarum est quoque Hieronymi testimonium, qui lib. contra Vigilantium hisce verbis eum insectatur: = Dolet martyrum reliquias precioso operiri velamine; et non vel pannis, vel cilicio colligari, vel projici in sterquilinium, ut solus Vigilantius ebrius et dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus quando Apostolorum Basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantius imperator I., qui sanctas reliquias Andreae, Lucae et Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas daemones rugiunt, et inhabitatores Vigilantii illorum se sentire praesentiam confitentur? Sacrilegus dicendus est et nunc Augustus Arcadius, qui ossa B. Samuelis longe post tempore de Judea transtulit in Thraciam? Omnes episcopi non solum sacrilegi, sed et fatui judicandi, qui rem vilissimam et cineres dissolutos in serico et vase aureo portaverunt? Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquiis, et tanta laetitia, quasi praesentem, viventemque prophetam cernerent, susceperunt: unde Palaestina usque Chalcedoném jungerentur populorum examina, et in Christi laudes una voce resonarent?.... Male er-

go facit Romanus Pontifex, qui super mortuorum hominum Petri et Pauli, secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia, et tumulos eorum Christi arbitratur altaria? Et non solum unius urbis, sed totius orbis errant Episcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes martyrum basilicas ingrediuntur =? Adeamus et Augustinum, qui de S. Stephano serm. 317. ait: = Exiguus pulvis tantum populum congregavit. Cinis latet, beneficia patent. Cogitate carissimi, quae nobis Deus servet in regione vivorum, qui tanta praestat de pulvere mortuorum =: item ep. 212. Gallam et Simpliciolam sic Quintiano commendat: = Portant secum reliquias beatissimi, et gloriosissimi M. Stephani, quas non ignorat sanctitas vestra, sicut et nos fecimus, quam convenienter honorare debeatis =. Lucernas et cereos ad sepulcra martyrum fulgentes jam saeculo 5. meminit Paulinus episcopus Nolanus, cujus haec in natali 3. S. Felicis perpolita sunt carmina:

Aurea nunc niveis ornantur limina velis,
Clara coronantur densis altaria Lychnis,
Limina ceratis adolentur odora papyris:
Nocte, dieque micant, sic nox splendore diei
Fulget, et ipsa dies coelesti illustris honore
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

Postremo de oblationibus, quae sacris reliquiis saeculo 6. de more fieri solebant, testis est Gregorius M. ita scribens lib. 9. indict. 2. ep. 52. ad Secundinum: = Aloem, thimiama, storacem, et balsamum sanctorum martyrum corporibus offerenda, latore praesentium deferente, transmisimus (1).

E veterum traditione satis hactenus explorata cum pateat Ecclesiae tum orientalis tum occidentalis in sanctorum exuviis religiose percolendis constans, et universalis consensio, jam inde firmissimum oritur argumentum, quo veritas catholica de sacrarum reliquiarum veneratione roboretur.

Probatio 3. Conciliorum auctoritate fulcitur. Nam septima Synodus Oecumenica in definitione fidei haec decernit: = Qui ausi fuerint.... quidquam de consecratis in Ecclesia abjicere, Evangelii codicem, figuram Crucis, aut imaginis alicujus picturam, aut reliquias martyrum, quas sciverit esse germanas et veras; aut contra ista vafre et improbe aliquid excogitare.... si fuerint episcopi aut clerici deponantur =. Nicaenorum

(1) Praeter latinos Patres, quorum loca praecipua hucusque exhibuimus, consuli poterunt Leo Magnus serm. 2. de natali Ss. Ap. Petri et Pauli, Maximus episcopus de natali Tauricorum martyrum, Gregorius Turonensis lib. de gloria Martyrum et Confessorum, Gaudentius episcopus Brixiensis de dedicat. Basilicae Ss. 40. Martyrum, Prudentius hymno de S. Laurentio, et Gennadius Massiliensis de dogmat. Ecclesiast. cap. 73.

Patrum doctrinae consona omnino sunt quae tradit sess. 25. in decreto de reliquiis sanctorum Synodus Tridentina. Ibi enim statuitur = sanctorum martyrum, et aliorum cum Christo viventium corpora, quae viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritus S., ab ipso ad aeternam vitam suscitanda, et glorificanda, a fidelibus veneranda esse.... affirmantes autem sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi; vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandae causa sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia =.

§. LXXVI.

Adversus dogmaticas veritates huc usque multimodis confirmatas acatholici plurima objectant, e quibus graviora saltem in medium proferantur.

Objicitur contra propositionem 1. de Humanitatis Christi adoratione.

Argumentum unicum e Sacris Literis hac ratione depromitur. Deo tantum referendus est cultus latriae, dicente Paulo ep. 1. ad Timotheum cap. 1. v. 17. *Soli Deo honor et gloria.* Atqui Christi humanitas certe Deus non est. Huic ergo latria non debetur.

Objicitur contra propositionem 2. de Sanctorum cultu, et invocatione.

Argum. 1. Scriptum est in Deuteronomio cap. 6. v. 13. *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies.* At servitus nil aliud est, quam graece *dulia.* Errant ergo catholici, cum Sanctis tribuant *duliam,* quae soli Deo ex allata superius auctoritate debetur.

Argum. 2. Constat ex actibus Apostolorum cap. 10. Petrum recusasse honorem, quem illi Cornelius deferebat: item cap. 14. Paulum et Barnabam noluisse a Lycaonibus adorari. Cur autem? Quia cultum sacrum non licet creaturis impendere.

Argum. 3. Angelus cultum sibi a Joanne oblatum respuens dixit ei Apocalypseos cap. 19. v. 10. *Vide ne feceris, conservus tuus sum; Deum adora.* Exinde infertur, Angelos colendos non esse. Huic consectario suffragantur verba D. Pauli ep. ad Colossenses cap. 2. v. 18. *Nemo vos seducat... in humilitate, et religione Angelorum.* Porro si abstinendum est a religione, seu cultu Angelorum, quomodo Sanctorum cultus poterit probari?

Argum. 4. Cultus religiosus, qui creaturae exhibetur politheismum sapit. Sed Catholici Sanctos *dulia* prosequentes cultum religiosum deferunt creaturis. Ergo politheismi notam non evadunt.

Argum. 5. Nefas pariter Sanctos veluti patronos, atque intercessores precari. *Unus enim,* ait Apostolus ep. 1. ad Timotheum cap. 2. v. 5; *unus est mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* Roboratur praesens oppositio D. Augustini auctoritate, qui lib. 2. contra Parmenianum cap. 8. inquit: = Si Joannes ita diceret: haec scripsi vobis, ut non peccetis; et si quis peccaverit, mediatorem me habetis apud Patrem: ego exoro pro peccatis vestris; sicut Parmenianus quodam loco mediatorem posuit Episcopum inter populum et Deum: quis eum ferret bonorum atque fidelium Christianorum? Quis sicut Apostolum Christi, et non sicut antichristum intueretur?.... Si esset mediator Paulus, essent utique et ceteri coapostoli ejus, ac sic multi mediatores essent: nec ipsius Pauli constaret ratio, qua dixerat: *Unus Deus, unus mediator Dei et hominum* =.

Argum. 6. A recta norma precandi, quam ipse tradidit Servator, aliena prorsus est invocatio Sanctorum. Ille siquidem in Evangelio Matthaei cap. 6. v. 9. ait: *Sic ergo vos orabitis: Pater noster* etc: de Sanctis autem omnino silet. Igitur, vel a norma divina recedendum est, quod quidem asserere nemo audebit, vel Sanctorum invocatio penitus abroganda.

Argum. 7. Verum si detur etiam hanc praxim haud esse vitiosam, num forsan aliquid utilitatis ab illa expectandum erit? Legimus in libro Ecclesiastis cap. 9. v. 5. *mortui nihil noverunt amplius*. At coelites inter mortuos certe referuntur. Ergo vota, precesque nostras non exaudiunt. Si non exaudiunt, jam patet, quam ineptum sit ad eorum tutamen orationibus confugere.

Objicitur contra propositionem 3. de cultu sacrarum Imaginum.

Argum. 1. Usus et cultus imaginum nulla ratione componi potest cum primo Decalogi mandato. Exodi namque cap. 20. v. 4. ait Deus populo Israel: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem*. Abjiciendae sunt ergo imagines, quas Ecclesia catholica veneratur.

Argum. 2. Heic plures accedunt auctoritates sanctorum Patrum, qui doctrinam iconomachorum diserte profitentur. Ex hisce Irenaeus lib. 1. cap. 25. N. 6. inter absurda Carpocratis et gnosticorum dogmata illud recenset, quod imago Christi coleretur. Epiphanius haeresi 79. eos, *qui imaginem B. M. V. circumferunt et colunt* haereticos appellat. Ambrosius orat. in funere Theodosii Helenam, cruce reperta, Regem adorasse testatur, *non lignum, quia hic gentilium est error*. Hieronymus in caput 3. Danielis sta-

tuam, inquit, *cultores Dei adorare non debent.* Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiae cap. 34. arguit *sepulcrorum et imaginum adoratores.* Denique Gregorius M. duplici epistola ad Serenum Massiliensem episcopum zelum commendat, quo ille non siverat imagines adorari; simulque decernit, non quidem ad cultum adhibendas eas fore, sed tantum vel ad rerum gestarum memoriam, vel ut literarum nescii *saltem in parietibus videndo legant, quae legere in codicibus non valent.*

Argum. 3. Obstant pariter imaginum venerationi Conciliorum decreta. In primis enim Synodus Eliberitana ad exitum saeculi tertii statuit *picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, et adoratur in parietibus depingatur.* Iterum octavo saeculo duo Constantinopolitana Concilia, unum sub Leone Isaurico, alterum sub Copronymo coacta jusserunt, ut Sanctorum imagines abolerentur. Eodem aevo Francofordiense Concilium septimam Synodum ob in ea restitutum imaginum cultum, adstantibus Adriani I. legatis, reprobavit. Saeculo quoque nono permisit Synodus Parisiensis, imagines retineri, et in Ecclesiis exponi, *omni* tamen *adoratione seclusa.*

Argum. 4. Idipsum semel iterumque docent libri ab Ecclesiis Gallicana et Germa-

nica octavo saeculo recepti, qui vulgo *Carolini* appellantur. In iis tuto affirmatur, imaginum cultum ab Apostolis aut a viris apostolicis nusquam constitutum fuisse: hunc stare non posse cum adoratione soli Deo referenda: imagines, utpote rationis expertes, oscula, salutationes, thymiamatum ac luminarium oblationes non promereri: oppido errasse Nicaenos Patres contra sentientes, ac tollerabilius esse eorum anathemate, quod *dementissimum* ibidem vocatur, *exsecrari*, *quam cum illis res insensatas contra Divinarum Scripturarum instituta adorare* (1).

Argum. 5. Tandem in subsidium et ratio naturalis adveniat. Qua duce, petimus, quid sint imagines, quibus tot honores catholici impendunt? Opera sunt manuum hominum, quae juxta Regium Psaltem oculos habent, et non vident; aures habent, et non audiunt; os habent, et non loquuntur: uno verbo nihil differunt a gentium simulacris. Quemadmodum ergo idolorum servitus grave piaculum est contra Religionis virtutem, idem aeque de imaginum adoratione dicendum.

Objicitur contra propositionem 4. de Ss. Reliquiarum cultu.

Argum. 1. E Deuteronomii capite postremo constat, sepulcrum Mosis Deum abdi-

(1) Haec passim in libris Carolinis reperiuntur, ac speciatim lib. 1. cap. 2. lib. 2. cap. 5. 21. 25. 26., et lib. 3. cap. 11.

disse judaeis. Cur autem? Certe ne corpori tanti ducis ac prophetae religiosum cultum impenderent. Igitur probandus non videtur honos, quo Sanctorum reliquias catholici prosequuntur.

Argum. 2. Clarius adhuc res patet ex Evangelio Matthaei cap. 23. v. 29. ubi Christus ait: *Vae vobis scribae et pharisaei hypocritae, qui aedificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta justorum.* At quis non videt, scribarum, et pharisaeorum damnatos mores Ecclesiam sectari, dum Confessorum et Martyrum colit memorias, easque colendas fidelibus proponit?

Argum. 3. Si poneretur etiam speculative principium de hujusce cultus congruentia, in praxi tamen haec oritur inextricabilis difficultas. Fit persaepe ex hominum malitia, ut pro reliquiis sacris traducantur plurima, quae nunquam ad Sanctos pertinuere. Totidem namque numerantur unius ejusdemque generis reliquiae, ut necesse sit inferre, vel plura corpora eundem sanctum habuisse, vel reapse multas ementitas reliquias pro veris circumferri. Cum porro aliae ab aliis non adeo facile secerni possint; hinc, ne discrimini superstitionis objiciamur, satius erit hujusmodi cultum ceu maxime periculosum abdicare.

§. LXXVII.

En quibus armis decertent in catholicam doctrinam tum veteres hagiomachi, et iconomachi, tum proximiorum temporum novatores. Gravis quidem pugna, sed certa pro Ecclesia Christi victoria: veritas quippe una est, quae offendi quidem potest errore, non tamen labefactari. Hanc autem ut pro munere tueamur, nunc opus nobis est in arenam descendere, cunctaque adversariorum momenta seorsum eliminare.

Defenditur 1. propositio.

Argumentum e Sacris Literis depromptum adversus Christi humanitatis adorationem thesim, quam demonstravimus, nec leviter tangit. Equidem fatemur cum Apostolo, *soli Deo* honorem et gloriam, hoc est, latriae cultum rependendum fore: ultro pariter fatemur, Christi humanitatem non esse Deum. At exinde ne sequitur, latriam huic humanitati nullatenus convenire? Si humanitas in se consideretur a divinitate praecisa, consectarium admittimus: illud contra negamus, si Verbo hypostatice conjuncta spectetur. Cum enim hoc posteriori modo humanitatem Christi veneramur, tum in ea Verbum ipsum adoramus, in quo natura divina simul et humana mirabiliter invicem copulantur. Nihil igitur obstat, quin humanitatem Christi

cum divinitate conjunctam latria prosequamur. Sed audire hic praestat M. Athanasium, qui ep. ad Adelphium rem egregiis hisce verbis explanat: = Nos creaturam non adoramus, absit. Gentilium enim, et Arianorum ejusmodi est error. Sed Dominum creaturae incarnatum Deum Verbum adoramus. Quamvis enim caro ipsa per se se pars est creaturarum, tamen Dei corpus est facta. Ac neque corpus ejusmodi per se dividentes per Verbum adoramus: neque Verbum adorare volentes, ipsum longe a carne disjungimus. Verum istud scientes, ut jam diximus, Verbum caro factum est, hoc ipsum etiam in carne positum Deum agnoscimus. Quis ergo ita desipit, ut Domino dicat; recede a corpore, ut te adorem ? =

Defenditur 2. propositio.

Resp. ad 1. Deuteronomii praeceptum, quo Deo soli deservire jubemur, non impedit Sanctorum venerationem. Servitus namque duplex est: *perfecta* seu *absoluta*, quae omnimodam submissionem exigit erga eum, cui famulamur: *imperfecta*, qua non in omnibus, sed in aliquibus tantummodo alteri subjicimur. Porro cum dicitur in Scriptura: *Soli Deo servies:* non de qualibet agitur servitute, sed de *perfecta* solum, quae Deo tamquam primo rerum omnium auctori, ac fini ultimo est exhibenda. At, si in Decalogo

perfecta servitus deferri prohibetur creaturis, de servitute *imperfecta* non idem sentiendum. Haec Angelis, et Sanctis in coelo regnantibus absque divinae legis contemptu tribuitur. Quamvis enim ratione creationis, et conservationis Deo uti supremo Domino subdamur; nihilo secius dici possumus et servi sanctorum, eosque veluti dominos secundarios agnoscere, cum eosdem veluti tutores atque patronos apud Deum in hujusce vitae necessitatibus experiamur.

Ad 2. Nec afferre juvat Apostolorum exempla. In primis etenim D. Petrus, non quia Sanctorum cultus dedeceret, sed prae modestia prohibuit, ne Centurio illi honorem impenderet. Ita sentit Chrysostomus hom. 23. in hunc locum dicens: *Hoc faciens humilitatem suam ostendit, et alios docuit.* Merito autem et Paulus et Barnabas adorari noluerunt, eo quod Lycaones, non congruenti honore *duliae*, sed suprema *latria* eos colere adnitebantur. Id compertum est ex ipso actuum contextu; nam, ut ibidem fertur cap. 14. a v. 10. ad 14., Turbae, cum vidissent claudum virtute Pauli protinus exilientem, et ambulantem, *levaverunt vocem...... dicentes: Dii similes hominibus descenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium, quoniam ipse erat dux verbi. Sacerdos quoque Jovis,*

qui erat ante civitatem, tauros et coronas ante januas afferens cum populis volebat sacrificare. Quod ubi audierunt Apostoli..:. clamarunt: viri, quid haec facitis? Et nos mortales sumus similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit coelum, et terram.

Ad 3. Ex adoratione, quam interdum Angeli recusarunt, perperam Dallaeus concludit, nec Sanctos esse colendos (1). Ad hoc enim, ut adversarii argumentum quid ponderis haberet, opus esset ostendere, Angelos cultum religiosum eis delatum semper abhorruisse. Id vero fieri nunquam poterit, cum e veteri Testamento plane innotescat, Angelis non semel acceptas fuisse Patriarcharum adorationes (2). Quae cum ita sint, jam tota corruit difficultas; nam, si mortalium cultum Angeli non refugerunt, inde sponte consequitur, eum nec indebitum esse, nec superstitionem redolere. At cur Angelus noluit a Joanne religiose honorari? Hujusce rei causam noscimus e doctrina Patrum, quorum tamen non una est opinio. D. Augustinus hunc Scripturae locum perpendens quaest. 61. in Genesim ait: *Talis apparuerat Angelus, ut pro Deo posset adorari: et ideo fuerat corrigendus adorator* ob errorem

(1) Lib. 3. de religiosi cultus objecto cap. 32.
(2) Geneseos cap. 18. v. 2. cap. 19. v. 1. Josue cap. 5. v. 15.

non adorationis, sed personae: scilicet necesse fuit, ut Angelus manifestaret quis esset, ne forte Joannes specie deceptus pro *dulia latriam* illi tribueret, eum existimans esse Christum. Aliter sentit hom. 8. in Evangelio D. Gregorius; putat, nimirum, Angelos in lege veteri hominum cultum admisisse, nou vero post Redemptoris adventum in ejus humanitatis reverentiam. Addi quoque potest, Angelum, de quo speciatim hic disseritur, adorari noluisse ob peculiare obsequium erga Joannem, qui, natura licet inferior, apostolicae tamen dignitatis gradu, et eximiae sanctitatis merito, vel sibi par erat, vel forte praestantior. Ex hisce porro sententiis alterutra necessario posita, undenam eruitur, religiosum duliae cultum Angelis non convenire?

Nullum autem subsidium difficultati praebet auctoritas D. Pauli religionem Angelorum reprobantis loco superius citato epistolae ad Colossenses. Ibi namque non pium Angelorum cultum, sed superstitiosum Apostolus redarguit. Insectatur, videlicet, Simonis, Menandri, Cerinthi, Valentini, aliorumque primi aevi haereticorum errorem, qui platonicis imbuti principiis Angelos vel ut minores deos, vel ut mediatores unicos aut primarios adorandos esse censebant: qui eos mundum condidisse, per prophetas loquutos

fuisse, hominesque Deo reconciliasse affirmabant: qui sacrificiis quoque, ceterisque divinis honoribus eosdem prosequebantur. Ita communi sensu mentem D. Pauli explicant sancti Ecclesiae Patres (1).

Ad 4. Tum tantum cultus religiosus creaturis delatus politheismum sapit, cum honor *latriae* Deo soli debitus illis exhibeatur. Verum Ecclesia Christi Deum solum cultu *latriae* tamquam supremum Dominum adorat; Sanctis vero in coelesti regno laetantibus confert *duliam*, eos, nempe, colit non uti Deos, sed ut Dei servos, et amicos. Injuste igitur politheismi nota cultui Sanctorum tribuitur. Tanti criminis maculam cum audacter jam a saeculo 4. Christianis objiceret Vigilantius, acriter in eum D. Hieronymus insurgens ajebat: = Quis.... o insanum caput, aliquando martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum? =. Eandem refellebat accusationem et Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 21. sic egregie scribens: = Nobis calumniatur Faustus, quod martyrum memoriam honoramus, in hoc dicens, nos

(1) Vide sis D. Chrysostomum homil. 7. in ep. ad Colossenses, Hieronymum ad Algasiam quaest. 10. et Augustinum lib. 8. de civit. Dei cap. 18. Hisce Theodoretus accedit Commentario in eandem epistolam. Suam quoque sententiam ad an. repsal. 60. profert Baronius, ac tenet potius, Apostolum heic loqui de cultu malorum angelorum seu daemonum apud gentiles et magos universim recepto.

idola convertisse...... Colimus martyres eo cultu dilectionis et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro evangelica veritate passionem paratum esse sentimus: sed illos tanto devotius, quanto securius post certamina superata.... At illo cultu, qui graece *latria* dicitur, latine uno verbo dici non potest, cum sit quaedam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus aut offerendum praecipimus vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctae animae, vel cuiquam Angelo; et quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam doctrinam sive ut corrigatur, sive ut caveatur = (1).

(1) Theodorus Beza in adnot. ad cap. 4. Matthaei, aliique protestantes distinctionem inter *latriam ac duliam* a catholicis inductam veluti ineptam irrident, cum dicant, idem prorsus utramque vocem significare. Verum irridendi potius adversarii, qui supervacaneis verborum contentionibus tam saepe ac lubenter incumbunt. Esto, quod profani scriptores haec vocabula promiscue usurparint, eodemque sensu receperint: attamen secundum usum Scripturae, inquit Bellarminus de Sanctorum beatitudine lib. 1. cap. 14. — *Latria* fere nunquam accipitur pro cultu, qui exhibetur creaturae; secundum usum autem Ecclesiae nunquam omnino. Et si licuit antiquae Ecclesiae contra veteres haereticos nova vocabula invenire, ut *homousios*, cur non licuit etiam Ecclesiae posteriori contra haereticos posteriores nova alia vocabula invenire, aut certe iisdem in alia significatione uti —?

Ad 5. Unus est profecto Christus mediator *primarius* Dei et hominum, qui peculiari, sibique propria ratione pro cunctis apud Patrem intercessor existit. Nam ille solus in mortem se tradidit, ut nos e captivitate daemonis erueret; ille solus homo simulque Deus pro peccatis omnium Patri condignam obtulit satisfactionem; ille solus propriis meritis, non alienis, continenter pro mortalibus intercedit. En quo sensu Christus Jesus unicus mediator ab Apostolo dicatur. Id porro non impedit, quin et plures alii habeantur longe inferioris ordinis patroni; Sancti, videlicet, sive beati, sive adhuc viatores, qui pro nobis, non quidem propriis, sed Christi meritis innixi precentur; nec ita precentur, ut et ipsi non egeant mediatore. Nullatenus autem *primariae* Christi mediationi ex hoc derogari, tum per se patet, tum ex eodem Apostolo, qui Romanos, ac Thessalonicenses fidenter pro semetipso apud Deum intercessores adhibebat (1). Quid vero de objecta nobis D. Augustini auctoritate? Animadvertimus, hunc Patrem Donatistas insectari, qui Sacramentorum, precumque publicarum vim e sanctitate ministrorum pendere autumabant. Unde totus est, ut adversariis suadeat, non in merito sacerdo-

(1) Ep. ad Rom. cap. 15. v. 30. Ep. 1. ad Thessalonicen. cap. 5. v. 25.

tum, sed in uno mediatore Christo spem esse ponendam. Quod autem sanctis non deneget mediationem intercessionis compertum est ex ipso sermonis contextu: ibidem enim legitur: = omnes Christiani invicem se commendant orationibus suis =. Idipsum patescit ex tract. 1. in ep. 1. D. Joannis, ubi traditis Apostoli verbis: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum*, ille addit: = Sed dicit aliquis ergo Sancti non petunt pro nobis? Ergo Episcopi vel Praepositi non petunt pro populo? Sed attendite Scripturas, et videte quia et praepositi commendant se populo. Nam Apostolus dicit plebi: *orantes simul pro nobis*. Orat Apostolus pro plebe; orat plebs pro Apostolo. Oramus pro vobis, fratres, sed et vos orate pro nobis: invicem pro se omnia membra orent. Caput pro omnibus interpellet =.

Ad 6. Ut resolvatur difficultas, quam ex Evangelio Matthaei cap. 6. opponunt Magdeburgenses (1), notandum est duplici ratione alterum exorare nos posse; nempe vel ut aliquid concedat, vel ut impetret quod ab alio exoptamus. Primus orandi modus in Dominica prece continetur; ibi namque solum Deum, ut bona coelestia, vel etiam

(1) Centur. 1. lib. 1. cap. 4.

temporalia nobis benigne conferat, obsecramus. Haec oratio nulli praeter quam Deo convenit profecto; est enim actus latriae, cum per ipsam Deum solum bonorum omnium fateamur auctorem. Orandi modus posterior ille est, quo Sanctos tantum invocare decet, quatenus amici Dei sunt, hominumque patroni. Manifestum hinc est a norma divinitus constituta prorsus alienum fore vel Deum invocare ut obtineat, cum ipse nihil habeat sibi par, aut superius, vel ad Sanctos confugere ut concedant, quasi gratiarum ipsi forent auctores. Utrumque porro vitium Catholica Ecclesia omnino declinat: nam Deum solum deprecatur ut largitorem; quod in Evangelio praecipitur: rogat vero Sanctos ut intercessores; quod in Evangelio non vetatur. Ergo mirifice una simul conveniunt Sanctorum invocatio, ac divinae orandi normae perfecta custodia.

Ad 7. Quamquam omnino lateat, qua ratione Coelites vota mortalium agnoscant; e Sacris Literis tamen conspicuum est, eos intueri varios hominum casus, ac deprecationes exaudire; sive per revelationem id fiat (1); sive per visionem beatificam (2),

(1) Haec est D. Augustini sententia lib. de cura pro mortuis cap. 15.

(2) Ita sentit D. Gregorius lib. 12. moral. cap. 13; cui adhaerent complures Theologi cum Angelico 3. parte quaest. 10. art. 2.

sive etiam per Angelorum ministerium (1). Divina quippe constat auctoritate, Angelum suscepisse preces Loth (2), orationem Tobiae Domino obtulisse (3), pro Jerusalem, et urbibus Juda apud Deum exorasse (4). Docemur item curam hominis Deum Angelis concredidisse, ut eum *custodiant in omnibus viis suis* (5), eosque gaudere *super uno peccatore poenitentiam agente* (6). Noscimus tandem Jeremiam, et Oniam multum orasse pro omni populo Judaeorum (7). Sed plura hic obstare videntur Scripturarum loca, quae tradunt, homines post obitum de rebus in mundo contingentibus nihil amplius rescire. Haec si accurate pensentur, id unum evincunt, mortuis viventium opera naturaliter impervia fore: at vel minime probant, Beatos divina claritate jam perfusos cuncta, quae ad eos pertinent, vi supernaturaliter ipsis elargita, perspicere non posse (8). Quae cum ita sint, tota concidit novatorum objectio. Si enim Beati supplicationes hominum pernoscunt, si pro illis deprecantur, uti pro-

(1) De hac opinione agit Augustinus ibidem.
(2) Geneseos cap. 19. v. 21.
(3) Tobiae cap. 12. v. 12.
(4) Zachariae cap. 1. v. 12.
(5) Psalmo 90. v. 11.
(6) Lucae cap. 16. v. 23.
(7) Lib. 2. Machabaeorum cap. 15. v. 12. et 14.
(8) Vide Greg. M. lib. 12. Moralium cap. sup. cit.

batum est: non ergo inanis dicenda erit, sed utillima eorum invocatio.

Defenditur 3. propositio.

Resp. ad 1. Exodi verba, quae catholicis novatores objectant, si generatim qualescumque imagines interdicerent; quomodo componi possent cum tanti praecepti observantia tum arca foederis divino condita jussu, quam populus Israel religiose colebat (1); tum Cherubim aurei, quos Moyses posuit super arcam (2), quos in templo Salomon constituit (3); tum serpens aeneus in deserto conflatus, ut, qui eum aspicerent, vulnerati sanarentur (4)? Potius ergo dicendum, inanium deorum simulacra tantum ibi vetita fuisse, rerumque creatarum effigies, quae ad cultum idolorum referebantur. Huic consectario suffragatur ipse contextus: legitur namque v. 3. 4. et 5. *Non habebis deos alienos coram me: non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem.... non adorabis ea, neque coles.* Quae tria si conferantur invicem, apparet, non plura sed unum in iis contineri Decalogi praeceptum, quo idololatria prohibetur (5). Hisce positis, facile

(1) Exodi cap. 25. v. 10. Josue cap. 7. v. 6. lib. 2. Regum cap. 6.
(2) Exodi eod. cap. v. 18.
(3) Lib. 3. Regum cap. 6. v. 23.
(4) Numerorum cap. 21. v. 8.
(5) Inter Patres in id potissimum consentiunt Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, Hieronymus in psalm. 32. et Augustinus quaest. 71. in Exodum.

sic adversarios urgemus. Ex dictis idololatria tantum Exodi cap. 20. v. 4. vetatur. Sed cum idolorum cultu nil commune habet sanctarum imaginum veneratio. Haec igitur divinae legi nullatenus contradicit (1).

Ad 2. Neque nobis aliquid negotii facessunt loca sanctorum Patrum in defensam veritatem congesta. Nam primum Irenaeus lib. 1. contra haereses cap. 25. ad calcem Carpocratianos reprehendit, non quia imaginem divini Servatoris colerent, sed ob ritus ethnicorum, quos erga illam adhibebant.

Epiphanius haeresi 79. merito respuit cultum, quem Deiparae Collyridiani tribuebant. Horum namque mos erat B. Virgini divinos impendere honores, et sacrificium offerre.

Ambrosius, dum asserit Christum, non lignum, Helenam adorasse, non de simplici *dulia,* sed de supremo loquitur cultu *latriae:* quod genus adorationis nefas est creatis rebus deferre. Cur enim inquit, Helenam non adorasse lignum? Quia *hic gentilium est error.* At qualis erat error gentilium? Non alius profecto, quam idolis divinum cultum impendere.

(1) Imagines omnes veluti profanas populo Israel interdictas fuisse testantur Philo lib. 1. de Decalogo, et Flavius lib. 1. in Appionem, 2. de bello judaico, 17. Antiquitatum. Admissa utriusque scriptoris auctoritate, dicimus, non licuisse judaeis imagines retinere, aut palam proponere jure, non divino, sed humano; scilicet ob legem conditam a Synagoga, ut ab iis periculum idololatriae magis removeretur.

Hieronymus de iis agit, in cap. 3. Danielis, qui summorum imperantium imagines cultu superstitioso afficiebant: idque a servis Dei nequaquam fieri posse ostendit exemplo trium puerorum, qui statuam Nabuchodonosoris adorare noluerunt.

Augustinus, cum alibi sepulcra martyrum commendet (1), de iis certe non disserit in lib. de moribus Ecclesiae. Verum eos ibi perstringit, qui, cum defunctis quibuslibet parentarent, eorum imagines atque sepulcra indebita ratione ad instar gentium venerabantur. Ibi quoque damnat *turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera Religione superstitiosi... luxuriosissime super mortuos* bibebant, *et epulas cadaveribus exhibentes super sepultos seipsos* sepeliebant, *et voracitates, ebrietatesque suas religioni* deputabant.

Demum Gregorius M. ad Serenum Episcopum scribit, non de congruente cultu sacris imaginibus exhibendo, sed de incompetenti adoratione, quam iisdem populus Massiliensis deferebat. Ad quem abusum convellendum, cum Serenus imagines e templis auferri atque confringi jussisset, Gregorius ex uno capite modum redarguit, quem Serenus adhibuerat, ex altero ipsius zelum commendat, quo impediverat adorationem, *quae picturis fuerat incompetenter exhibita.*

(1) Vide Augustinum lib. 20. contra Faustum cap. 21.

Hisce hactenus explanatis, nemo est, qui non videat, sanctorum Patrum auctoritatem nullum conferre novatoribus praesidium.

Ad 3. Non omnes certe Sanctorum imagines Concilium Eliberitanum can. 36. proscripsit, sed eas tantummodo, quae in Ecclesiarum parietibus depingebantur (1). Quod si causam perquiramus, cur id fuerit constitutum, plura Theologi reponunt. Hanc legem eo conditam existimant nonnulli, ut superstitiosi cultus populo adimeretur occasio; tum enim non leve idololatriae periculum imminebat, eodem Concilio teste, in quo tam saepe de iis agitur, qui in tantum nefas proruebant (2). Alii censent sacras imagines in parietibus Ecclesiarum jussu Concilii non potuisse depingi ad infidelium scandalum vitandum, praesertim vero ne, deseviente persecutione, imagines ludibrio judaeorum ac gentilium exponerentur, cum alio deferri non possent (3). Tertia

(1) Si daretur etiam Eliberitanos Patres quemlibet reprobasse cultum imaginum, nullius tamen roboris foret argumentum ex eorum auctoritate desumptum. Haec siquidem parum habenda: nam, uti Bellarminus adnotat, provincialis duodeviginti circiter Episcoporum hic fuit conventus ab Ecclesia universali minime confirmatus, qni in aliis quoque decretis errasse videtur.

(2) Huic adhaeret sententiae Alanus Copus in Dialogis lib. 5. cap. 16.

(3) Ita sentit Nicolaus Sanderus lib. 2. de cultu Imaginum cap. 4.

illorum est opinio, qui vetitas fuisse putant imagines, non tabulis aut velis depictas, sed quae parietibus tantum inhaerebant, ne temporum injuria ita evaderent informes, ut religiosa earum observantia in contemptum verteretur (1).

De Synodis Constantinopolitanis, quae nobis objiciuntur, non est, cur multa dicamus. Ut quisque deprehendat, nullam fore utriusque auctoritatem, haec tria satis erit animadvertere. In hisce conventibus defuit prae primis legitima convocatio; eosdem enim Leo Isaurus et Constantinus Copronymus auctoritate propria coegerunt. Defuit quoque necessaria libertas, cum ibi praevaluerint iconomachorum furor, atque violentia. Ecclesiae tandem universalis defuit approbatio: nam eorum acta plurimi Ecclesiarum Praesules, Patriarchae orientales, Romanus Pontifex, et II. Nicaena Synodus anathemati subjecerunt.

Nunc ad Concilium Francofordiense devenientes fidenter asserimus illud septimae Synodo restitisse, non ut religiosum cultum imaginum aboleret, sed potius ut eum a superstitione defenderet; cum errore facti deceptum arbitraretur, Nicaenam Synodum latriae adorationem sacris imaginibus decre-

(1) Ita Bellarminus dispntat. tom. 2. contr. 4. de Eccles. triumph. lib. 2. de imag. cap. 9.

visse. Id exploratum habemus ex ipsius Concilii can. 2., cujus haec sunt verba: *Allata est in medium quaestio de nova Graecorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut deificae Trinitati, servitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem, et servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* Tanti autem erroris causa fuit infida versio Nicaenorum actuum, qua usi sunt Patres Francofordienses. Inter plura ibi mendose tradita reperitur praesertim fidei professio a Constantino Cypri Episcopo emissa. Catholicus hic antistes act. 3. Synodi Nicaenae dixerat: *Ego his decretis consentio suscipiens, et amplectens sanctas et venerabiles imagines: atque adorationem per latriam soli supersubstantiali, et vivificae Trinitati impendo.* Quem locum, sensu penitus immutato, e graeco sermone sic latine reddit captiosus vel imperitus interpres: *Suscipio et amplector honorabiliter sanctas et venerandas imagines secundum servitium adorationis, quod consubstantiali Trinitati emitto.* Haec attigisse sufficiat, ut merito concludatur, imaginum cultui haud officere Francofordiense Concilium, atque inscite

prorsus ejusdem auctoritate Dallaeum, ceterosque novatores abuti (1).

Nec ipsis favet adversariis Parisiense Concilium. In eo siquidem conventu Gallicani Patres illicitum ac superstitiosum imaginum cultum perstringunt, simulque impietatem iconomachorum detestantur. Porro haec inter aeque vitiosa extrema devitanda legitimum ac debitum honorem imaginibus rependendum pluribus in locis constituunt (2). Ex hisce proferre sufficiat caput 15., in quo Concilii Patres, ita quempiam affantur: *Imaginum si quis indiscretus cultor,.... contra*

(1) Scriptores admodum torquet canon secundus, quem supra retulimus. Ibi namque dum Patres Francofordienses constantinopolitanum nominant concilium ab eis impugnatum, de iconomachorum Synodo loqui videntur: dum vero ipsius memorant decretum de imaginibus adorandis, Synodum innuunt catholicorum, nempe Nicaenam. Gravis haec antilogia variis opinionibus occasionem praebuit. Cointius in annal. Eccl. Francorum rem ut explicet, pseudo-synodum inter Concilium Nicaenum at Francofordiense ponit Constantinopoli congregatam, eamque dicit a Patribus Francofordiensibus damnatam. Verum, nisi detegantur ejus acta omnibus adhuc ignota, quod gratis asseritur jure negatur. Alanus Copus, dialog. 4. et 5., aliique contendunt solum Concilium sub Copronymo habitum Francofurti damnatum fuisse: at huic placito adversatur contextus citati canonis, cum ibidem agatur de Concilio jubente imaginum adorationem. Ergo, ne hypothetica vel absurda admittantur, dicendum potius a Francofordiense Concilium Nicaenum reapse oppugnatum, cum et in Graecia actum fuerit, et imagines jusserit adorari. Nec mirum si Constantinopoli factum asseratur: ibi enim inchoatum illud fuit, et Nicaea absolutum.

(2) Id apparet potissimum tum ex ep. ad Ludovicum Pium, et Lotharium, tum ex collect. ejusdem Concilii cap. 14.

si quis es intemperans destructor, vide, ne haec audiens putes temeritati tuae licentiam dari, ut ubicumque non propter illicitum cultum, sed propter discretum, et hoc propter licitum mentis affectum pictas, vel fictas similitudines videris, ut illas aut destruas, aut irridendo subsannare debeas.

Ad 4. Quoad libros Carolinos eadem valent, quae de Concilio Francofordiensi adnotavimus. Eorum enim auctor, quisquis ille fuerit, ductus errore facti invehit in Concilium septimum oecumenicum ob latriam, quae juxta praejudicatam occidentalium opinionem sacris imaginibus graeci tribuere videbantur. Nec mirum si thymiamata, oscula, prostrationes, aliaque plura signa venerationis, quae in iconibus percolendis adhibebant orientales, in iisdem libris improbentur. Nam licet in honore habendas esse imagines Galli faterentur, graecanicos tamen ritus ferre non poterant, cum eos, non imaginibus, sed uni Deo ad significationem supremae adorationis convenire existimarent. Hinc, uti patet, quaestio Gallos inter et Graecos adorationis tantum attingebat modum, non ipsius essentiam. In fide utrique concordes omnino erant: discrimen circa disciplinam versabatur.

Ad 5. Ut putida idololatriae nota deleatur, quam nobis eterodoxi per injuriam im-

pingunt, animadvertamus in primis cum scriptoribus ecclesiasticis imaginem ab idolo summopere differre (1). Imago siquidem ab *imitando* dicitur, et est similitudo rei verae, scilicet repraesentat id quod est. Contra idolum est similitudo rei falsae, cum repraesentet quod non est juxta illud Apostoli ep. 1.ª ad Corinthios cap. 8. v. 4. *nihil est idolum in mundo.* Quapropter merito Nicaena Synodus 2. act. 5. et 7. eis anathema indixit, qui auderent imagines Christi et Sanctorum idola nuncupare. Praeterea magis adhuc intollerabilis apparet adversariorum criminatio, si comparentur invicem cultus idolorum, et honor, quo Sanctorum icones catholici prosequuntur. Gentes pro diis venerabantur idola; *appellaverunt* enim *deos opera manuum hominum, aurum et argentum, artis inventionem, et similitudines animalium* (2). Et quamvis inter ethnicos plurimi deos non crederent idola; nihilo secius, vel in simulacris numen aliquod inhabitare autumabant, vel ab ipsis bona petenda fore censebant. Verum cum hac profana gentium superstitione nil commune habet cultus imaginum, quem propugnamus. Nos quippe Sanctorum imagines nec deos esse,

(1) Ita docent prae ceteris Origenes hom. 8., Theodoretus quest. 38. in Exodum et Hieronymus in caput 7. Oseae.
(2) Sapientiae cap. 13. v. 10.

nec iis divinam insidere virtutem credimus, nec ab ipsis quidquam boni deposcimus, nec iisdem *latriam*, sed *duliam* tantummodo *respectivam* deferendam esse tenemus. En ratio, qua pie semper coluit et colit imagines Ecclesia Christi, quemadmodum perspicue tradit Sess. 25. Synodus Tridentina (1).

Defenditur 4. propositio.

Resp. ad 1. Deus latere voluit corpus Mosis, non quia Sanctorum reliquias non deceat *dulia* venerari, sed ad impediendam idololatriam, cui valde proclives erant judaei. Facile namque intuitu mirabilium, quae tum in Aegypto, tum in deserto Moses patraverat, adduci potuissent filii Israel ad *latriam* illi exhibendam, sicuti contigit de serpente aeneo, quem rex Ezechias confregit (2).

Ad 2. Juxta sanctorum Patrum unanimem consensum reponimus Christum non increpasse Scribas, et Pharisaeos, quod aedificarent prophetarum tumulos, eisque impenderent honorem. Arguendi hac de causa certe non erant, cum opus gererent per se laudabile, ac religiosum. *Vae* potius illi promeruerunt, quia, dum per hypocrisim actum pietatis simulabant, interim paternae ini-

(1) Videatur ejusdem Concilii decretum sup. cit. §. LXXV. Prop. 3. Demonstrat. 2.

(2) Id constat e lib. 4. Regum cap. 18. v. 4. Nexum hujusce difficultatis ita explicat Chrysostomus homil. 5. in Matthaeum.

quitatis haeredes majorum imitabantur mores, qui prophetas necaverant, non prophetarum, quorum monumenta exornabant. Potissimum autem *vae* promeruerunt Scribae, et Pharisaei, quia, cum eorum patres reprehenderent, ipsi deteriora admittebant; quaerebant enim, quod omnium nequissimum scelus fuit, Dominum prophetarum interficere (1).

Ad 3. Ut reliquiae omnes ejusdem generis, quas colit Ecclesia, pro veris habeantur, opus non est, ut contendit Calvinus in admonitione de reliquiis, plura corpora eidem martyri vel confessori adjudicare. Nam variis in locis corpus extare dicitur sancti alicujus, non quod hoc integrum ubique habeatur, id enim absurdum foret, sed quia partim in una, partim in altera Ecclesia distributum est. Hoc sensu vere asserebat ipse Chrysostomus hom. 3. in ep. ad Romanos Apostolorum Principes Romae simul et Constantinopoli jacere: nonnullae siquidem utriusque corporis Romae jam conditi particulae in Constantinopolitana Basilica servabantur. Concedimus interim adversario ex humana pravitate reliquias supposititias quandoque.

(1) Hoc Wiclefitarum argumentum ita nobiscum resolvunt Ambrosius et Beda in cap. 11. Lucae, Chrysostomus homil. 75. in Matthaeum, Hieronymus, Hilarius, et Theofilactus in Matthaei caput 23.

introduci posse. At non inde reliquiarum cultus abrogandus: cavendum potius, ne spuriae pro veris colantur. Ad hunc porro scopulum devitandum Ecclesia Catholica in Concilio Lateranensi decrevit, ut nullae reliquiae absque Romani Pontificis auctoritate publice reciperentur. Qua posita norma, fraudis ac superstitionis periculum in hujusmodi cultu removetur, cum Apostolica Sedes reliquias Sanctorum fidelibus colendas non proponat, nisi prius, accurato examine instituto, eas veras esse cognoverit (1).

ARTICULUS QUARTUS

De Voto.

§. LXXVIII.

Promissio Deo libere facta de bono meliori, ac possibili Votum appellatur (2). Ad

(1) De articnlo jam absoluto adhuc plurima exoptanti consultationem proponimus Bellarmini disput. tom. 2. controv. 4. de Eccl. triumphante lib. 1. a cap. 10. ad 20., et lib. 2. per tot., Natalis ab Alexandro hist. Eccles. saec. 5. dissert. 25. saec. 7. dissert. 7. et saec. 8. dissart. 6., Petavii theolog. Dogm. tom. 4. part. 2. de Incarn. lib. 14. et 15., Tournelii praelect. theol. tom. 4. de Incarn. quaest. 13., et Tromballii dissert. de cultn Sanctorum.

(2) Hujusce vocis multiplex ast significatio. Votum siquidem juxta grammaticos idem ast ac desiderium, val precatio: in jure snffragium denotat, quod in electionibus, et consiliis defertur: apud Ecclesiasticos scriptoras axprimit religionis actum, quo Dao aliquid pollicemur.

ejus naturam probe dignoscendam singula definitionis verba expendamus.

1. Votum dicitur *promissio*, non simplex propositum. Nihil enim aliud est propositum, quam deliberata voluntas aliquid agendi vel omittendi, quae nullam per se obligationem inducit. At votum non in solo animi proposito rei faciendae vel praetereundae consistit, sed ulterius necessario requirit obligationis contrahendae intentionem: quo semel posito vinculo, a promissis nefas est resilire.

2. Votum est promissio *soli Deo facta*; nam juxta Sacrarum Scripturarum usum ad latriae cultum unice refertur (1). Nec illud officit, quod Sanctis interdum soleant vota nuncupari. Haec quippe vota, quae Sanctis fiunt, reapse Deo facta intelliguntur in honorem, et sub invocatione Sanctorum, ut, quae promisimus, eorum ope fideliter exequi valeamus (2).

3. Promissio, de qua hic agitur, *libera* sit oportet. Votum siquidem fit per actum humanum, ad cujus essentiam requiritur libertas. Cum porro nequeat libertas absque *co-*

(1) Vide Numerorum cap. 30., Deuteronomii cap. 23., Isaiae cap. 19., Psalmos 21. 49. 65. 75. 115. 131., aliaque plura veteris Testamenti loca.

(2) In ejusmodi votis Angelicus doctor 2. 2. quaest. 88. art 5. binam distinguit promissionem, dicens, unam fieri Sanctis, quae pertinet ad duliam, et in hac consistere voti materiam; alteram fieri Deo, quae formaliter est votum, et pertinet ad latriam.

gnitione, advertentia, et *voluntatis deliberatione* consistere; hinc patet, haec tria simul, ut votum firmitate gaudeat, concurrere debere. Quo principio statuto, communi Theologorum inhaerentes doctrinae sequentia consectaria sic deducimus.

Ad votum necessaria est voventis *cognitio*. Ergo invalidum illud erit, si fiat in ebrietatis et amentiae statu, vel si fiat ab infante, cui nondum sufficiens ad moraliter agendum rationis lumen adfulserit (1). Idipsum dicatur, si detur ignorantia aut error antecedens circa substantiam rei, quae promittitur, vel circa substantialem ejus conditionem, vel circa voti causam finalem: tum enim deficiente debita cognitione, deest quoque consensus circa voti substantiam, quia voluntas in incognitum non fertur: deficiente vero consensu, nullum est votum, cum illud obligare nequeat praeter voventis intentionem.

Ad votum necessaria est *advertentia*. Nullatenus ergo valent ea vota, quae fiunt ex

(1) Nisi ratio aetatem praevenerit, quod in paucis evenire potest, generatim valida non habentur vota, quae fiunt ab infantibus septennio minoribus. Septennium autem ad valorem cujuscumque generis votorum sufficit, demptis tamen solemnibus, quae in professione religiosa emittuntur. De iis etenim disserens Conc. Trid. sess. 25. cap. 15. de regularibus decernit, ut — in quacumque religione tam virorum, quam mulierum professio non fiat ante sextum decimum annum expletum; professio autem ante facta nullam inducat obligationem ad quoscumque effectus —.

praecipitantia, ex repentino animi motu, et absque mentis consideratione.

Ad votum denique necessaria est *voluntatis deliberatio*. Ergo ipso jure naturae invalida sunt vota, quae fiunt ex coactione, vel quae injuste per gravem metum extorquentur. Nam licet in vovente cognitio, et advertentia non desint, deest tamen libertas a violentia, deest libertas ab injuria: idque satis est, ut pro certo concludatur, haec vota neminem obstringere apud Deum, cui accepta sunt sacrificia voluntaria, non coacta, neque per injuriam extorta (1). Diximus, nullum esse votum, quod injuste metus gravis extorquet: verum si justa de causa hic fuerit illatus, vel etiam si ab intrinseco procedat; tum votum ratum censetur, quia ex uno capite vovens nullam patitur injuriam, ex altero voluntarium liberum ei non aufertur (2).

(1) Disputant hic Theologi, an votum emissum ob gravem metum injuste incussum in jure saltem Ecclesiastico sit validum. Stant pro affirmativa parte Suarezius op. tom. 13. de relig. 2. tract. 6. lib. 1. cap. 8., Sylvius v. votum, et alii excipientes tantum votum solemne religiosae professionis, quod invalidum est ex cap. Perlatum. *De iis, quae vi, metusve causa fiunt.* Contra sentiunt plures cum Sancio de Decal. lib. 4. cap. 3. N. 11., et Lessio de just. lib. 2. cap. 40. N. 18. juris auctoritatibus innixi: nam legitur cap. ad audientiam. tit. sup. cit. — Quae vi, metusve causa fiunt carere debent robore firmitatis —: et cap. 14. de Sponsalibus — Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit —.

(2) Quidquid in contrarium doceant Suaresius loc. cit., et

4. Ad voti materiam ea pertinent, quae sunt moraliter *bona*, quamvis lege aliqua praecipiantur. Quemadmodum enim licet humanae auctoritati nova sanctione roborare quae divina lege jubentur; ita etiam quisque ad sui voluntatem in observantia legis confirmandam aliud sibi vinculum imponere potest eadem vovendo, quae divina lege, vel humana praestare tenetur. Cum autem ex dictis votum circa bonum morale versetur, exinde consequitur, quidquid moraliter malum est vel indifferens materiam voti non fore. Quoad malum veritas patescit; hoc, siquidem, utcumque leve, nequit esse religionis actus, quia Deus non culpa colitur, sed offenditur (1). Idem sentiendum de re indifferenti, quae Deo grata non est, cum ad ejus honorem per se non valeat conferre. Interim vero, si contingat, ut opus indifferens bonum fiat ex circumstantiis, atque in laudabilem finem a vovente dirigatur, nihil

Busembaus de 2. Decal. Praec; nos cum Sancio ibid. N. 24. et Ligorio lib. 3. tract. 2. cap. 3. dub. 2. dicimus metum levem, etiamsi inferatur injuste, nullum non reddere votum, quia, cum facile rejici possit ob ipsius levitatem, causa voti dicendus non est.

(1) Ita omnes cum Seraphico Doctore in 4. sentent. distinct. 38. art. 1. Quaest. 2. dicente: -- Quae ad salutis dispendium vergunt sub voto cadere non possunt.... si id vovetur, quod ad detrimentum justitiae facit, non est ibi lex voti nec obligatio, sed ipsi voto fit injuria, nec est obligatio ad servandum, sed potius ad poenitendum --.

impedit in hac hypothesi, quin de ipso valide voveatur.

5. Haec promissio fit de *bono meliori*, de re, scilicet, cui minus bonum adversatur. Id autem cur? Quia sub voto cadere non potest quidquid impedit bonum perfectius, Deoque magis acceptum. Quare nulla dicenda est promissio Deo facta nubendi, nam caelibatus longe praestat connubio, et unus alterum excludit. Haec dicta sint generatim, si conjugium *in se*, et *absolute* consideretur: nam si ad grave discrimen lapsus contra castitatem praecavendum alicui necessarium sit conjugium, tum, attento peculiari voventis casu, hoc *per accidens* valida fit materia voti; fit enim res de meliori bono, cum expediat magis in statu conjugii honestam ducere vitam, quam in vitioso caelibatu versari (1).

6. Bonum, quod voto spondemus debet esse *possibile*. Promissio namque de iis, quae nostrae potestati non subjiciuntur, inepta omnino est, nullamque parit obligationem (2). Unde concluditur invalidum fore votum de levibus quibuscumque culpis vitandis, quae non modo a plena deliberatione procedunt, sed per subreptionem ac inadvertentiam

(1) Sic monet Apostolus ep. 1. ad Corinthios cap. 7. v. 9.

(2) Cap. Nemo potest 6. de Reg. juris in 6. et L. Impossibilium 185. dig. de reg. jur.

in viris etiam perfectioribus non raro contingere solent. Inspecta siquidem hominis infirmitate, nisi specialis gratiae concursus accedat, haec promissio est de re moraliter impossibili.

§. LXXIX.

Partitio votorum multiplex est.

Nam 1. votum in *solemne* dividitur et *simplex*. Juxta Bonifacium 8. cap. unico de voto in 6. illud solum dici debet votum *solemne, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis*. Cetera cuncta vota, quae, praeter solemnia, quomodocumque fiunt, simplicia vocantur.

2. Distinguitur votum in *reale, personale,* et *mixtum*. Primum illud est, quo rem extra nos positam pretio aestimabilem Deo devovemus: alterum consistit in promissione Deo facta aliquid agendi vel omittendi: posterius de utroque participat.

3. Aliud pariter est votum *reservatum*, aliud non *reservatum*. Vota reservata ea dicuntur, quae solus Romanus Pontifex remittit. Haec autem quinque recensentur; votum, nempe, castitatis perpetuae, ingressus in ordinem regularem, ac triplicis peregri-

nationis Compostellanae in Hispania, Jerosolymitanae ad loca Sancta, et Romanae ad limina Apostolorum (1). Non reservata sunt alia quaelibet vota, quorum relaxatio pertinet ad Episcopos.

4. In *absolutum* et *conditionatum* distribuitur quoque votum pro ratione modi, quo quis vel simpliciter et absolute, vel sub aliqua possibili conditione Deo se devincit.

5. Votum esse potest *expressum* et *tacitum*. Fit expresse cum ore pronuntietur; fit tacite cum per actum exprimatur, cui votum inhaeret. Ad speciem posteriorem attinet votum caelibatus, quod emittitur implicite saltem in Sacrorum Ordinum susceptione. Dum enim sciens ac lubens ad subdiaconatum quis accedit, eo ipso ad castitatem perpetuo servandam coram Deo libere se se adstringit.

6. Postremo votum in *temporaneum* dividi solet, quod ad tempus obligat ab ipso vovente praefinitum, et in *perpetuum*, cujus vinculum ad obitum usque perseverat.

§. LXXX.

Voti natura, ac divisionibus exploratis, ad ejus obligationem gradiamur, de qua tria praesertim inquiruntur: 1. videlicet an vo-

(1) Extravag. Etsi Dominici de poenitentiis, et remissionibus.

tum obliget in conscientia? 2. An urgeat sub gravi? 3. Quando ad ipsius solutionem vovens teneatur?

Ut singillatim propositae quaestiones enodentur, sit

Resolutio 1. Si conditiones omnes concurrant, quae ad firmitatem voti requiruntur, certum est obligationem adimplendae promissionis voventem adstringere. Huic veritati suffragantur Scripturae Sacrae: nam Deuteronomii cap. 23. v. 21. legitur. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus:* item in Ecclesiaste cap. 5. v. 3. et 4. *Si quid vovisti Deo, non moreris reddere: displicet enim ei infidelis... promissio: sed quodcumque voveris redde: multoque melius est non vovere, quam post vota promissum non reddere.* Qua duplici auctoritate posita, sic argumentum conficitur. Ex dictis votorum observantiam Deus manifestissime jubet. Sed divinum quodvis praeceptum conscientiam devincit (1). Ergo de voti obligatione ambigendum non est. Vim quoque recipit hujusmodi conclusio ex lib. 3. Decretalium Gregorii IX., ubi tit. 34. de voto, et voti redemptione cap. 6. haec habentur: *licet universis liberum sit arbitrium*

(1) Vide lib. 2. Institutionum §. 43. animadvers. 1.

in vovendo, usque adeo tamen solutio necessaria est post votum, ut sine proprio salutis dispendio alicui non liceat resilire. Idipsum ratione sic firmatur. Maxima fidelitas Deo debetur, tum ob supremum ejus dominium in creaturas, tum ob innumera beneficia, quae mortalibus ipse largitur. Verum ad fidelitatem Deo debitam votorum pertinet custodia: contra, quaedam species infidelitatis est eorum violatio. Igitur obligatio servandae promissionis Deo factae voventem constringit (1).

Resolutio 2. Transgressionem voti *per se* et *ex genere suo* grave peccatum esse, Doctores unanimi sensu tenent cum D. Thoma dicente in 4. distinct. 38. quaest. 1. art. 3. quaest. 1. sol. 1. *Qui votum rite factum praetermittit mortaliter peccat, quia fidem, quam cum Deo iniit, frangit.* Nihilo secius *per accidens* dari potest in transgressione voti culpa venialis, cum haec vel circa gravem materiam non versetur, vel ex defectu plenae advertentiae procedat. Votum enim ad instar ceterarum legum devincit, quae quamvis sub gravi sint obligantes, persaepe tamen leviter infringuntur ob materiae parvitatem, aut ob imperfectam animi deliberationem.

(1) Ita concludit Angelicus D. 2. 2. quaest. 88. art. 3.

Resolutio 3. In tempore designando, quo urget voti obligatio, en summatim quid communiter sentiant Theologi.

Si de votis agatur, queis nullum tempus fuerit prefixum, vovens iisdem satisfacere tenetur cum primum commode poterit, nisi legitimae occurrant causae, ob quas differre congruat operis exsecutionem. Hae causae sunt publica necessitas, vel utilitas, ac etiam spirituale bonum voventis. Quibus omnibus deficientibus, mora quaelibet voluntaria non excusatur a culpa: Deus enim Deuteronomii cap. sup. cit. ait: *Si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Quando autem lethale piaculum censeri debeat haec dilatio, quando veniale tantum, facile non est in praxi decernere. Id unum pro certo ponimus, quod ea citius in votis perpetuis fit culpa gravis, quam in votis ad tempus duraturis: nam votis perpetuis eo magis detrahitur per moram, quo diutius eorum observantia suspenditur: nullam vero diminutionem temporanea patiuntur, cum dilatio non impediat, quin semper integre solvi possint.

Si porro ad diem praefinitum vota sint adimplenda, tum vovens delinquit, si praescripto tempore sponsionem non servet, quia circumstantia temporis ad voti pertinet materiam. At vovens, opere praetermisso, illud ne deinceps perficere tenetur? Animadver-

tunt hic Doctores, tempus constitutum esse posse, vel *ad finiendam* obligationem, vel tantum *ad sollicitandam* operis executionem. Tempus tum praesumitur statutum tamquam terminus *ad finiendam* obligationem, si voti solutio ita praecise alicui diei sit affixa, ut nec ante nec postea vovens ad eam voluerit alligari. Qua in hypothesi, quoniam tum res, quae promittitur, tum circumstantia temporis in modum unius insimul voventur, inde fit, ut, elapso tempore, in quo votum adimplendum erat, cesset et ipsius obligatio, quia illud amplius cum circumstantia promissa nequit persolvi. Secus dicatur, si tempus *ad sollicitandum* opus fuerit praescriptum. Non enim per modum unius res, et circumstantia temporis tum voveri censentur, sed votum duobus aequivalet, ac distinctas complectitur obligationes, alteram de opere ponendo, alteram de illo ponendo intra tempus definitum. Unde qui posteriorem transgreditur obligationem, a priori et principali, quae adhuc perseverat, non exoneratur.

§. LXXXI.

Voti obligatio *per se* multipliciter extinguitur.

Id contingit 1. cessante causa finali, ob quam votum emissum fuit: si enim haec au-

feratur, tum deest intentio voventis, praeter quam nulla est voti obligatio. Quapropter, si quis voverit e. c. eleemosynam Cajo pauperi singulis diebus erogandam, ad nihil amplius tenetur, si Cajus in posterum ditescat.

2. Item desinit haec obligatio per materiae mutationem, si res, quae cadit sub voto, majus bonum impediat, si fiat inanis, turpis, aut impossibilis: tum quippe deficeret una vel altera ex conditionibus, quae, uti adnotavimus (§. LXXIX.) ad essentiam voti requiruntur.

3. Idipsum dicatur, si materiae mutatio sit adeo notabilis, ut ob advenientes circumstantias res fiat ab ea moraliter diversa, quam vovens promisit.

4. Si agatur de votis *temporaneis*, expirat eorum obligatio per temporis lapsum eisdem a vovente constituti.

5. Voti *conditionati* omnino cessat obligatio, si conditionis illi appositae non sequatur eventus (1).

6. Denique si votum sit personale, solvitur ejus vinculum per mortem voventis,

(1) Casum excipe tamen, in quo vi aut fraude vovens impediat, ne conditio adimpleatur: tum siquidem ad voti observantiam ille tenetur, ac si conditio posita fuisset. Id expresse in jure docetur: nam L. in executione 85. §. 7. dig. de verborum obligat. legitur: — Quicumque sub conditione obligatus curaverit, ne conditio existeret, nihilominus obligetur —.

quia non transit ad haeredes nisi votum reale (1).

§. LXXXII.

Non modo, uti superius indicavimus, extinguitur *per se* voti obligatio, sed aufertur *humana* quoque *auctoritate* per *dispensationem*, *commutationem*, et *irritationem*. Quo pacto id contingat ex dicendis patebit.

Animadversiones de cessatione voti per *dispensationem*.

1. Actus jurisdictionis spiritualis, quem nomine Dei exercet in foro externo catholica Ecclesia absolute remittendo voti obligationem, *dispensatio* vocatur.

2. Ecclesiae divinitus tributam esse potestatem condonandi vota plane colligitur ex Evangelio Matthaei, ubi Christus ait Apostolis cap. 18. v. 18. *Amen dico vobis..... quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in coelo.* Haec siquidem verba, cum generatim proferantur, ostendunt Christum Dominum, ut animarum saluti prospiceret, Ecclesiae pastoribus contulisse potestatem solvendi fideles non modo a quolibet vinculo culpae et poenae, sed etiam a votorum obligatione.

3. Jure posito in Ecclesia Catholica rela-

(1) L. Si qui 2. §. 1. dig. de pollicitationibus, et cap. licet 6. de voto.

xandi vota, exinde inferendum non est eorum dispensatione dirimi jus naturale aut divinum. Ita sentiunt communiter doctores cum D. Thoma 2. 2. quaest. 88. art. 10. ad 2. dicente: = Auctoritate Superioris dispensantis fit, ut hoc, quod continebatur sub voto, non contineatur in quantum determinatur in hoc casu hoc non esse congruam materiam voti. Et ideo cum praelatus Ecclesiae dispensat in voto non dispensat in praecepto juris naturalis vel divini, sed determinat id, quod cadebat sub obligatione deliberationis humanae, quae non potuit omnia circumspicere =.

4. Cum ex divina institutione Romanus Pontifex primatum habeat jurisdictionis in Ecclesiam universam, hinc patet legitimam et ordinariam potestatem solvendi fideles omnes a quavis votorum obligatione in eo tantummodo residere (1).

(1) Inquirunt hio TT., num praeter ounota vota simplicia ramittere possit Romanns Pontifex tum votum solemne castitatis emissum in ordine sacro suscipiendo, tum vota, quae fiunt in professione religiosa. Ex antiquioribus id negant nonnulli, quibus adhaeret Angelions 2. 2. Quaest. 88. art. 11. Verum ipse S. Doctor aliter sentians in 4. sent. dist. 38. quaest. 1. art. 4. quaestiuno. 1. ad 3. Sedi Apostolicae hano tribuit potestatem una cum D. Antonino 3. parte tit. 16. cap. 1. §. 10., caterisque communiter. Neque sana hao de re dubitandum. Nam juxta Bonifacium 8. cap. unico de voto in 6. *Voti solemnitas sola constitutione Ecclesiae est inventa.* Igitur si Romanus Pontifex in voto simplioi dispensare potest, nihil impedit, quin idam praestare valaat circa vota solemnia ecclesiastico juri de-

5. Episcopi munus est ea gerere, quae ad rectam suae diaecesis gubernationem expediunt. Sed ad regimen Episcopale solutio pertinet votorum, cum haec persaepe spirituali bono fidelium sit necessaria. Potest ergo Episcopus jure ordinario omnia suorum subditorum vota relaxare; solemnibus tamen exceptis, et simplicibus etiam, quae, uti adnotavimus (§. LXXIX.) pontificiae reservationi sunt obnoxia, quaeque ex Constit. Sixti IV., nemo potest absque speciali Apostolicae Sedis facultate condonare sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae (1). At

rogando. Accedit argumentum facti. Plnries enim Apostolica Sedes vota solemnia remisit. Da Alexandro 3. id constat apud Volaterranum histor. lib. 4., de Coalestino 3. ex Platina in vit. Sum. Pont., de Gregorio 13. juxta Fagnanum lib. 3. decrat. in cap. Cum ad Monasterium 6. de statu monac. N. 66. Porro — de Pontificis potestate, postquam dispeusavit, dubitara instar sacrilegii est. Esset enim Christo qnasi exprobrare, quod non satis Ecclesiae suae providisset — Ita Ben. 14. de Syn. lib. 7. cap. 7.

(1) Extravag. *Etsi Dominici* da poenitentiis et remissionibus. Hanc votorum reservationem utpote adversantem ordinariae Episcoporum potestati stricta interpretantur Dootores. Quocirca ut vota, de quibus agitur in praecitata coustit. habenda sint reservata, tria concurrere debent. Opus est 1. nt votum sit *perfectum:* unde si Deo promittatur abstinentia a conjugio, votum non erit reservatum, quia non est integrae, ac perfectae castitatis. 2. Opus est, ut votum sit *certum:* ideo si quis dubitet, an parpetuam voverit castitatem vel temporaneam, votnm sub reservatione non cadit. 3. Opus est, nt votnm sit *absolutum*. Haic tamen quoad votum conditionatum distinguendum est: si conditio nondum impleta fuit, votum ab Episcopo solvi poterit, quia parfectum adhuc non est, ideoque non reservatum: at si conditio avenerit, tum reservatio viget; samel

nihilo secius ubi dispensationis urgeat necessitas, licet Episcopis vota quoque reservata dirimere. Id porro licebit, si ex uno capite locorum distantia, vel impedimenta belli, vel pauperies voventis, aliaque id generis facilem non sinant ad Romanam Sedem accessum; si ex altero instet periculum incontinentiae, aut gravis scandali, aut alieni detrimenti ex dilata dispensatione secuturi. Merito quippe censetur, Episcopis impedire nolle Summum Pontificem ordinariae jurisdictionis exercitium iis in circumstantiis, in quibus reservatio animabus fieret exitiosa (1).

6. Legatis a latere, seu Nunciis Apostolicis pariter competit ordinaria potestas relaxandi vota subditorum provinciae sibi commissae; in eos enim habent in foro externo jurisdictionem. Idipsum praestare valet quoad diaecesanos Capitulum, sede vacante, cum in

namque posita conditione, votum prius conditionatum in absolutum transit. Ita contra Toletum, aliosque paucos tenent Lessius lib. 2. de justitia et jure cap. 40. de voto. dubitat. 18. N. 131., Reiffenstuel Theologiae moralis tract. 4. distinct. 3. N. 36., Layman lib. 4. tract. 4. cap. 8. N. 10., Antoine Theologiae moralis tom. 2. parte 1. tract. de virtute Religionis cap. 3. de Voto quaest. 9., et Benedictus XIV. lib. 9. de Synodo Dioecesana cap. 2. N. 1.

(1) Ita Sylvester votum 4. quaest. 4. et 5., Navarrus cap. 12. N. 59. et 66., Sotus lib. 1. de justit. quaest. ult. art. ult., Sancius lib. 8. de Matrimonio disput. 1. aliique recentiores communiter.

ordinaria Episcopi jurisdictione succedat (1).

7. Praelati regulares ordinum exemptorum jurisdictione quasi Episcopali gaudent in suos: hinc remittere possunt vota, quibus tum in saeculo, tum in novitiatu se se obstrinxerunt religiosi eorum auctoritati subjecti. Secus vero dicatur de praelatis regularibus non exemptis, qui subditos nequeunt ab iisdem votis absolvere, cum et ipsi ordinariae jurisdictioni subjiciantur Episcoporum (2).

8. Ob privilegium speciale omnia quorumcumque fidelium vota non reservata possunt auferre Confessarii regulares ordinum mendicantium, aliorumque etiam ordinum in eorum privilegiis communicantium. Hanc tamen potestatem hujusmodi confessarii exercere debent juxta concessionem et moderationem superiorum ordinis, quem profitentur (3).

9. Quoniam ad remittenda vota jurisdictio tantummodo requiritur, non ordo; inde consequitur, quemlibet clericum etiam in ordi-

(1) Cap. Si Episcopus 3. de supplenda negligentia praelatorum in 6., et cap. Episcopali Sede unic. de majoritate et obedientia item in 6.

(2) Vide Sotum lib. 7. quaest. 4. art. 3., Navarrum in Manual. cap. 12. N. 75, Sylvium votum 4. N. 3., et Lessium lib. 2. cap. 40. dubit. 18. N. 133.

(3) Rem plane testantur Compendia privilegiorum, quae Innocentius 8., Martinus 5., Paulus 3. Gregorius 13., S. Pius 5. aliique Pontifices pluribus religiosis ordinibus concessere.

ne Sacro non constitutum posse ex pontificia, vel episcopali delegatione hoc vinculum dissolvere.

10. Dispensatio in votis nec licita nec valida erit, nisi fiat aliqua justa de causa. Hae porro causae plures a Theologis numerantur: sunt enim *honor Dei; utilitas Ecclesiae; commune bonum reipublicae; spiritualis utilitas voventis; periculum morale saepe violandi votum ex fragilitate; levitas mentis, ex qua votum factum est; perturbatio animi; notabilis difficultas superveniens executioni voti, aliaque id genus, quae generatim revocari possunt ad pietatem, utilitatem spiritualem et necessitatem.* Hactenus Gabriel Antoine theol. mor. tom. 2. parte 1. tract. de virt. Relig. cap. 3. de voto. quaestion. 9. (1). Merito autem diximus, causa legitima deficiente, injustam esse voti remissionem, id namque perspicuum est ex lib. 2. Institution. (§. LXVIII.) Diximus insuper eam nec validam fore: Siquidem Ecclesiae Pastores auctoritatem habent sibi divinitus commissam in aedificationem, non in destructionem mystici corporis Christi (2).

(1) De hisce causis legi poterunt quae fusius, ac perspicue tradit Suaresius oper. tom. 13. De virtute Religionis vol. 2. lib. 6. cap. 17.

(2) Ex D. Paulo ep. 2. ad Corinthios cap. 10. v. 8., et ep. ad Ephesios cap. 4. v. 12.

Unde nihil certe quoad jus divinum valide praestare possunt, nisi juxta praesumptam Dei voluntatem: quae voluntas praesumenda non est de indebita dispensatione, quae tum divino honori, tum Ecclesiae bonó, tum spirituali fidelium utilitati adversatur.

Animadversiones quoad *commutationem* votorum.

1. In hoc a dispensatione differt voti commutatio, quod prior quamlibet extinguit obligationem, posterior vinculum reapse non tollit, sed tantum aufert voti materiam, ejusque loco alteram substituit vel magis vel aeque vel minus perfectam.

2. Cum evidenter constet de majori perfectione rei subrogandae, tum docent fere omnes votum privata auctoritate posse commutari (1). Fundatur hoc principium in cap. Pervenit 3. de jurejurando, ubi legitur: *Non propositum aut promissum infringit, qui in melius illud commutat*. Res autem, in qua fit voti mutatio, melior dicitur atque perfectior, si Deo magis accepta sit, magisque utilitati spirituali conferat voventis.

(1) Hujusmodi sententiam uti receptissimam ac veram contra Sylvestrum, aliosque paucos tenent Suarezius oper. tom. sup. cit. lib. 6. de Voto cap. 18. Cajetanus in Summa, et quaest. 88. art. 12., Lessius de justitia lib. 2. cap. 40. dubit. 16. N. 101., Sancius lib. 4. Moral. cap. 49. N. 4., Reiffenstuel in lib. 3. Decret. tit. 34. N. 44., ceterique plurimi.

3. Nemini privata auctoritate licet materiam voti in aequale vel minus bonum immutare; ad hoc enim ex communi sententia requiritur Ecclesiae potestas (1).

4. Qui ordinariam vel delegatam habent facultatem voti relaxandi per dispensationem, hi omnes valide quoque possunt materiam voti in aequale vel minus bonum commutare. Profluit haec veritas ex Reg. 53. juris in 6., quae ait: *cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.* Contra, si jure tantum quis gaudeat voti commutandi nequit in eo dispensare; majorem siquidem potestatem dispensatio exigit, quam simplex voti commutatio.

5. Si materia voti reservata in non reservatam a Romano Pontifice, vel ab ejus deputato commutetur, jam penitus cessat reservatio. Quapropter in voto sic legitime commutato fieri poterit ab iis, qui jurisdictione quasi episcopali gaudent, vel subsequens dispensatio, vel altera commutatio, quin opus sit Apostolicam Sedem adire.

6. Si vovens uti nolit commutationis favore, huic libere poterit renuntiare, ac regredi ad praecedentem voti materiam. Commutatio namque ita sub conditione inducta videtur, ut vovens posteriorem servare te-

(1) Vide Suarezium ibidem cap. 19. contra Henriques, et Medinam.

neatur obligationem, cum primam velit praeterire. In id consentit regula 61. juris in 6. dicens: *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Hanc doctrinam nonnulli cum Suarezio tantum admittunt, posita voti commutatione in bonum minus aut aequale. At si subrogatio facta fuerit in melius, eamque vovens acceptaverit, tum existimant ad prius votum nefas esse redire. Inquiunt enim: hujusmodi acceptatio vim habet subsequentis voti ad melius obligantis: ab hoc autem qui recederet, commutaret bonum melius in minus bonum, quod privata voventis auctoritate fieri non licet (1).

7. Ut votum in aliquid evidenter melius commutetur nulla causa requiritur praeter voventis voluntatem. Si vero in minus vel etiam in aequale bonum fiat voti commutatio, ut licita simulque valida ea sit, aliqua justa causa concurrere debet (2). Porro ad commutandum votum in aequale causa quoque levis sufficiet, uti e. g. major devotio ac pietas in vovente exoritura si materiae priori altera subrogetur. Ad votum commutandum in minus bonum gravior causa desideratur; nam commutatio in minus est ve-

(1) Ita Suarezius loco sup. cit. cap. 20. N. 1.

(2) Recolantur quae nuper tradidimus de dispensatione in votis animad. 10.

luti partialis dispensatio. Denique generatim adnotandum est, voti commutationem sive in aequale sive in minus bonum fieri posse ob causas leviores iis, quae ad validam dispensationem sunt necessariae, quia in dispensatione totum vinculum solvitur, quod quidem in nullo commutationis genere contingit.

8. Vota commutantes probe caveant, ne scandalum ex inconsiderata commutatione consequatur, ne jus alienum violetur, ne detrimentum exoriatur spirituale voventis. Item perspectam habeant naturalem voventis infirmitatem, conditionem, aetatem, et noscant, quid valeant humeri, quid ferre recusent. Sed quoniam in praxi facile non est omnes regulas exhibere, quibus prudenter fiant votorum commutationes; hinc verba accurate pensentur Innocentii III. cap. Magnae devotionis 7. de voto dicentis: *tria praecipue duximus in hoc negotio attendenda: quid liceat secundum aequitatem, quid deceat secundum honestatem, et quid expediat secundum utilitatem.*

Animadversiones circa votorum *irritationem.*

1. Actus, quo voti obligatio vel in perpetuum aufertur, vel ad tempus tantum suspenditur ab eo, cui subest persona vovens aut voti materia, *irritatio* nuncupatur. Ex

ipsa definitione liquet irritationem duplicem esse posse, *directam* et *indirectam.* Irritatio *directa* illa est, quae votum penitus extinguit, quaeque ab iis dumtaxat fieri potest, qui in personam ac voluntatem voventis dominatum habent. Per *indirectam* irritationem votum proprie non tollitur, sed ejus observantia impeditur ab illo, cujus potestati materia voti subjicitur.

2. De votis, quae solvuntur per directam irritationem peculiariter disserentes, animadvertimus vota regularium et impuberum ad hoc genus pertinere.

Ut fusius hanc doctrinam explanemus, dicimus in primis, Superiores regulares cujuscumque ordinis approbati directe irritare posse vota cuncta subditorum, qui professionem emiserunt (1). Monachus enim vi professionis religiosae sui juris amplius non est, sed a Superiorum voluntate omnino dependet, ejusque vota implicitam hanc semper adnexam habent conditionem: *nisi superior contradixerit* (2). Excipe tamen votum arctioris religionis, ac vota monastica paupertatis, castitatis, et obedientiae, quae

(1) Cap. Si quis 2. de regularibus; et cap. Monacho 2. causa 20. quaest. 4. ubi legitur: — Monacho non licet votum vovere sine consensu Abbatis sui: si autem voverit, frangendum erit —.

(2) Cap. Si religiosus 27. de electione in 6., cap. religiosus 2. de testamentis in 6., et cap. religiosi 5. de sepulturis in 6.

praelatus regularis absolute nequit irritare, cum eorum materia ejusdem non subjaceat potestati (1).

Dicimus posteriori loco, patrem irritos reddere posse cuncta vota filiorum impuberum sive realia sive personalia: postulat siquidem jus naturae, ut liberorum actus ob aetatis defectum omnino regantur parentum auctoritate. Quare sicuti infirma sunt impuberum juramenta, pacta, obligationes, non accedente patris voluntate, ita et eorum vota nulla erunt, nisi pater consentiat (2). Quin etiam haec eadem vota directe poterunt irritari postquam filius ad pubertatem pervenerit, nisi ab ipso jam pubere confirmentur (3). Idem prorsus quoad vota pupillorum tutor praestare valebit, patre deficiente, aut avus paternus in tutoris defectu, aut mater quoque si filiorum tutrix a judice designetur, vel si desint ceteri ascendentes, per quos imbecillitati pupillari con-

(1) Circa votum transeundi ad arctiorem religionem a Romano Pontifice tantum dependent regulares, quibus hic transitus, invitis etiam superioribus a jure conceditur. Vide cap. licet 18. de regularibus.

(2) Cap. puella 2. causa 20. quaest. 2., cap. mulier 14. causa 32. quaest. 2., cap. manifestum est 11. causa 33. quaest. 5. Consule D. Thomam 2. 2. q. 88. a. 9.

(3) Communis haec est sententia, quam tenent praesertim Lessius lib. 2. de just. cap. 40. dubit. 7. N. 83., Suarezius tom. sup. cit. de voto lib. 6. cap. 6. N. 8., Reiffenstuel in lib. 3. decret. tit. 34. N. 13. et Lucius Ferrarius v. votum art. 3. N. 17. contra Sotum.

sulatur: hi namque vel jure civili, vel ipso jure naturae ad pupilli tutelam paternae auctoritati succedunt (1).

3. Ad vota nunc procedamus, de quibus *indirecte* solum fit irritatio. Haec sunt vota novitiorum, conjugum, puberum et famulorum. De singulis pauca.

Novitiorum vota, si vel probationis tempore, vel prius etiam fuerint emissa, nunquam a praelatis regularibus *directe* irritantur, quia novitius nondum professione religiosa devinctus adhuc sui juris est: *indirecte* tamen poterunt haec vota irritari, quoties monasticam disciplinam impediant (2).

Quoad conjuges adnotamus, virum non omnia uxoris vota posse indirecte irritare, sed ea tantummodo, quae conjugalibus officiis, reique domesticae gubernationi adversantur. Etenim ex jure naturae, divino, ac humano subjicitur quidem uxor marito in iis, quae usum matrimonii, educationem prolis, ac familiarem administrationem respiciunt; in reliquis vero subesse non tenetur.

(1) Ita Suarezius ibid. N. 22., Sancius lib. 5. Mor. cap. 35., N. 81. aliique plures, quos recenset Ferrarius loo. cit. N. 21.

(2) Praetereundum hic non est, vota Novitiorum tum personalia, tum realia ipso jure per solemnem professionem extingui, cum in melius, nempe, in vota religiosa commutentur: ita ex cap. Scripturae 4. de voto. Excipiantur tantummodo vota realia ab altero acceptata, quae, cum in contractum devenerint, non extinguuntur per professionem, sed transeunt ad haeredes.

Unde patet, viro etiam invito, uxorem libere vovere posse frequentiam Sacramentorum, moderata jejunia, eleemosinas e bonis paraphernalibus, aliaque id genus virtutum exercitia, quae nullum afferunt societati conjugali detrimentum. Vota pariter, quae fiunt a viro, si jura laedant conjugii, indirecte irritari poterunt ab uxore: in hisce namque juribus parem utriusque fore conditionem decernit Apostolus Ep. 1. ad Corinthios cap..7. v. 4. (1).

Liberorum vota, si fiant in pubertate, infirmari nequeunt a patre: suspendi tamen potest eorum obligatio cum vel recto familiae regimini opponantur, vel circa materiam versentur patriae potestati subjectam. Quocirca si pubes longam voveat peregrinationem aut eleemosynam e bonis domesticis erogandam,

(1) Sotus, aliique tenent omnia uxoris vota directe irritari posse a marito, cum sibi persuadeant plenum et absolutum fore viri dominium in uxoris voluntatem. Hanc porro sententiam roborare student verbis Apostoli dicentis ep. ad Ephesios cap. 5. v. 22. — Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino, quia vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae —. Contrarium docent D. Antoninus part. 3. tit. 1. cap. 22., Lessius lib. 2. cap. 40. de voto. dubitat. 15. N. 89. Navarrus Enchiridii cap. 12. N. 64., Suarezius tom. jam cit. de voto cap. 4. N. 4., ceterique plurimi Theologi et Canonistae. Hisce lubenter nos adhaeremus, quia nullo jure statutum reperitur, uxorem simpliciter, et in omnibus viro subjectam esse debere, quemadmodum filii impuberes patri subjiciuntur, ac pupilli tutoribus. Paucis quoad auctoritatem Apostoli respondetur, in hac designari subjectionem a muliere debitam viro, non in omnibus, sed in iis, quae ad familiae regimen referuntur.

pater utrumque votum indirecte poterit irritare: secus dicatur, si pubes castitatem voveat, vel piam largitionem bonorum castrensium, aut quasi-castrensium, quorum dominium habet filius familias, licet sub patria potestate detineatur. Sin autem pater decesserit, puberum vota indirecte irritari possunt a curatore, defectu curatoris ab aliquo ex ascendentibus, defectu ascendentium a matre, quae tamen juxta plures nequit irritare vota minorum, nisi fuerit curatrix a judice constituta.

Famulorum denique vota indirecte possunt a domino irritari, si eorum observantia servituti officiat illi exhibendae. In rebus enim ad promissam debitamque servitutem spectantibus Dominus potestatem habet in servos donec famulatus perseverat.

4. Per directam irritationem vota radicitus extinguuntur. Igitur, etiamsi e potestate Praelati, vel patris, vel tutoris subducantur monachus, filius impuber, aut pupillus, eorum vota semel ac directe fuerint irritata non amplius reviviscunt. Contra, si sermo sit de votis indirecte irritatis, horum obligatio suspensa fuit, non extincta. Ergo reviviscunt hujusmodi vota, si e. c. novitius ante professionem ab ordine regulari discedat, si per mortem viri uxor a vinculo conjugii solvatur, si filius puber emancipetur, si tandem servus deserat famulatum.

5. Semper valet irritatio voti, quamquam fiat absque debita causa: fit siquidem ab eo, qui auctoritate propria operatur, et vi dominii, quo gaudet in voventem, aut in voti materiam. Quin immo et validam Theologi communiter existimant hanc irritationem factam a Praelato regulari, a conjuge, a patre, a tutore, a domino postquam consenserant in votum subditorum etiam cum explicita promissione concessionis non revocandae. Inquiunt enim per hujusmodi concessionem ac promissionem jus non amisisse Praelatum, conjugem, patrem, tutorem ac dominum irritandi voti, si velint. Hi tamen peccant, si directe, vel indirecte absque justa causa votum irritent, cum et spiritualem voventis profectum, et praestantissimum religionis actum, quo Deus maxime colitur, impediant.

ARTICULUS QUINTUS.

De Juramento.

§. LXXXIII.

Juramentum, quod et Sacramenti nomine apud veteres frequenter legimus appellatum, est invocatio Dei in testem eorum, quae asseruntur vel promittuntur (1). Pro mul-

(1) Optime sane juramenti vocabulum a *jure* deducendum

tiplici ratione, qua juramentum fieri solet, hoc multifariam dividitur; nempe in *assertorium*, et *promissorium*, in *explicitum* et *implicitum*, in *verbale*, et *reale*, in *solemne*, et *simplex*, in *absolutum*, et *conditionatum*, in *judiciale*, et *extrajudiciale*, in *contestatorium*, et *execratorium*. Singulae juramenti partitiones cursim perpendantur.

1. Per jurameutum *assertorium* confirmatur divino testimonio res praeterita vel praesens, aut etiam propositum de re futura, nemini tamen promissa. In juramento *promissorio* Deum exhibemus tamquam fidejussorem pro iis, quae alteri pollicemur.

2. *Explicite* fit juramentum, quoties in eo Dei nomen expresse profertur: sic jurejuravit Apostolus dicens ep. ad Galatas cap. 1. v. 20: *Quae autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.* Juramentum erit *implicitum* si fiat per creaturas, quae ad

vidatur, vel quia ex lege 5 dig. da jurejurando — id quod juratur pro lege habendum est, et veluti jus sancte servandum —., vel quia juxta D. Augustinum sarm. 180. de verbis Apostoli *jurare non est nisi jus Deo reddere*, cui proprie convanit patrocinium suscipere veritatis. Passim autem Sacramenti voce usi sunt profani scriptores praesertim ad militare juramentum significandum. Id noscimus ex Caesara lib. 6. de bello Gallico cap. 1., ex Livio lib. 28. cap. 27., ex Tacito lib. 3. cap. 58. ex Valerio Maximo lib. 5. cap. 2. N. 2. Sacramenti nomen usurpatum est quoque pro juramento extra rem militarem. Praecipue id aruitur ex Plinio lib. 10. ep. 97. ad Trajanum scribante, Christianos — se Sacramento non in scelus aliquod obstringere, sad na furta, ne adulteria committerent —.

Deum peculiari modo referuntur, vel quia religioso cultui deserviunt, vel quia prae ceteris divinam potentiam, perfectionem, ac majestatem ostendunt. De hoc implicito juramento exemplum habemus in Evangelio Matthaei ubi Christus ait cap. 23. v. 21. et 22. *Quicumque juraverit in templo, jurat in illo, et in eo, qui habitat in ipso: et qui jurat in coelo, jurat in throno Dei, et in eo, qui sedet super eum.*

3. Juramentum erit *verbale*, si vocibus testimonium proferatur Divinitatis: *reale* vocabitur, si non exprimatur ore, sed aliqua tantum actione ad juramentum designandum ordinata, veluti per Crucis aut Evangeliorum contactum.

4. Juramentum *simplex* omni caret solemnitate: constat *solemne* quibusdam ritibus vel in jure praescriptis, vel consuetudine probatis.

5. *Absolute* adhibetur juramentum, si res nulla interposita conditione promittatur: *conditionatum* erit, si conditio aliqua apponatur, a qua rei juratae dependeat exsecutio vel omissio.

6. Discrimen inter *judiciale* juramentum et *extrajudiciale* in hoc consistit, quod primum in foro coram judice competente ac legitime interrogante pronuntiatur; alterum fit privatim extra judicium.

7. Tandem per juramentum *contestatorium* Deus simpliciter adducitur in testem rei, de qua juratur: in *execratorio* Deum non modo ut testem invocamus, sed etiam ut vindicem, si vel falsum asserimus, vel promissa non servamus. Quoad primam juramenti speciem plura extant Prophetarum exempla, quibus in V. Testamento familiares erant voces: *Vivit Dominus*. Ad posteriorem attinent Saulis verba lib. 1. Reg. cap. 14. v. 44. filium Jonatham sic alloquentis: *Haec faciat mihi Deus, et haec addat, quia morte morieris.*

§. LXXXIV.

Saeculo Ecclesiae 12. juramentum non licere Apostolici docuerunt (1): hunc deinceps errorem saeculo 15. sectati sunt Wiclefus (2), et Anabaptistae (3). Contra quos hostes cum apertissime pugnent Scripturae Sacrae, auctoritas Ecclesiae, ac ipsa ratio naturalis; hinc triplici argumento usus juramenti licitus simulque laudabilis ita demonstratur.

Argumentum 1. Deus per semetipsum juravit in antiquo Foedere (4); normam ju-

(1) Ex D. Bernardo homil. 69. in Cantica.

(2) Ex Concilio Constantiense.

(3) Ex Joanne Cochleo adversus Anabaptistas.

(4) Id patet ex cap. 21. Geneseos v. 16. et 17. ubi Deus Abraham sic affatur: — Per memetipsum juravi.... benedicentur in semine tuo omnes gentes —.

randi hominibus tradidit (1), ac juramentum rite factum commendavit (2). Item non semel jurarunt olim piissimi viri, hoc est, veteres Patriarchae Abraham, Isaac, et Jacob sub lege naturae (3); Moyses, David, ac Prophetae sub lege scripta (4); Apostolus ac doctor gentium sub lege evangelica (5). Id vero nec Deus nec viri sancti praestitissent, si nefas esset jurare. Licitum ergo est, ac laudabile juramentum (6).

Argum. 2. Si juramentum aliquo saltem ex capite vitiosum foret, illud certe vetaret Catholica Ecclesia, quemadmodum interdicit cuncta, quae bonis moribus repugnant. Sed juramentum veluti religionis actum semper Ecclesia recepit (7), ejusque honestatem in

(1) Legimus Deuteronomii cap. 6. v. 13. -- Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, et per nomen illius jurabis --.

(2) Hominum juramenta Deus approbat Ps. 62. v. 12. dicens: -- Laudabuntur omnes, qui jurant in eo --.

(3) Genesis cap. 21. 26. et 31.

(4) Deuteronomii cap. 4. v. 26. cap. 30. v. 19. Psalmo 131. v. 2. Jeremiae cap. 16. v. 15. Oseae cap. 4. v. 15.

(5) Ep. ad Romanos cap. 1. v. 9. et ep. 2. ad Corinthios cap. 1. v. 23.

(6) Non dissimili ratione D. Augustinus serm. 180. N. 2. hisce verbis concludit: — Invenimus jurasse Sanctos, jurasse primitus ipsum Dominum, in quo non est omnino peccatum.... Non est ergo peccatum jurare —.

(7) Juramentum ab Ecclesia probari, ac saepe juberi constat passim e corpore juris. Vide praesertim tit. 20. de testibus et attestationibus, tit. 24. de jurejurando in lib. 2. decretalium; et in lib. 7. tit. 10. de juramentis, et jusjurandi obligatione.

Constantiensi Concilio a Wiclefi oppugnatione vindicavit (1). Igitur ex Ecclesiae quoque auctoritate licitus et laudabilis usus juramenti comprobatur.

Argum. 3. Ratio tandem naturalis accedat, qua duce, ita cum D. Thoma procedimus. = In hoc ipso quod homo per Deum jurat, profitetur Deum potiorem, utpote cujus veritas est indefectibilis, et cognitio universalis; et sic Deo aliquo modo reverentiam exhibet.... Exhibere autem reverentiam Deo pertinet ad religionem.... Unde manifestum est, quod juramentum est actus religionis = (2). Sed quilibet religionis actus, dummodo rite fiat, bonus est, atque laudabilis, cum ad moralem referatur virtutem, quae ceteris omnibus antecellit. Licitum est ergo, et laudabile juramentum.

§. LXXXV.

Veritati, quam nuper firmavimus nonnulla tum e divina tum ex humana auctoritate adversari videntur.

Nam 1. In Sacris Literis juramentum absolute prohibetur. Id patet ex Evangelio

(1) Absurdam Wiclefi doctrinam proscripsit Martinus V. in Bulla, quae ad calcem Sessionis 8. Synodi Constantiensis reperitur. En autem Wiclefi propositio 43. ex 45. in eadem Sessione damnatis: — Juramenta illicita sunt, quae fiunt ad roborandos contractus, et commercia civilia —.

(2) Vide 2. 2. quaest. 89. art. 4.

Matthaei, ubi Christus cap. 5. a v. 33. ad 37. ait: = Audistis quia dictum est antiquis: *Non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua.* Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per coelum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Jerosolymam, quia civitas est magni Regis; neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester: est, est: non, non. Quod autem his abundantius est, a malo est =. Consimilia docet Apostolus Jacobus cap. 5. v. 12. dicens: = Nolite jurare neque per coelum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum =.

2. Ad humanam auctoritatem si convertamur, noscimus plures Patres usum juramenti respuisse. In primis enim D. Basilius ep. 22. de perfectione vitae monasticae N. 1. ait: = Oportet, christianum justificationes legis in omnibus transcendentem, neque jurare, neque mentiri =. Item D. Chrysostomus homil. 15. in cap. 2. Genesis inquit: = Juramenta modis omnibus fugiat audiens sententiam Christi, quae dicit..... non jurandum omnino. Ne igitur dicat aliquis, in re justa juro. Neque in re justa, neque in injusta jurare licet =. Hisce adjiciatur D. Hieronymus ita scribens in cap. 5. Matthaei:

= Judaeis juramentum tamquam parvulis fuerat lege concessum, non quod recte facerent, sed quod melius esset Deo id exhibere, quam daemonibus =.

En quanti sint momenti, quae contra jusjurandum ex auctoritate objiciuntur.

§. LXXXVI.

Haec tamen Wiclefianae causae minime favent praesidia, cum ne leviter quidem thesim nostram labefactent. Quod ut perspicuum fiat, sic respondemus.

Ad 1. Divinam legem ad sensus erroneos pro more detorquebant pharisaei docentes ad secundum praeceptum Decalogi servandum opus esse, ac sufficere non pejerare; juramenta vero, quae mendacium non continent, etiamsi fiant ob causas levissimas, et absque necessitate, nullatenus prohiberi. Quamobrem frequentissimus apud judaeos inoleverat mos dejerandi. Jesus itaque ut consuetudinem ab iis removeret, quae per se mala est, et ad perjurium facile adducit, verum sensum legis aperiens dixit: *Nolite omnino jurare.* Haec porro verba non interdicunt quidem juramentum a lege Mosis concessum, quod pertinet ad cultum latriae, atque in jure naturali fundatur; sed abstinentiam jubent a juramentis inanibus, quae, cum violent praeceptum vetans Dei nomen

in vacuum assumi, culpa certe non vacant (1). Dum autem Servator ait: *Sit sermo vester: est, est: non, non:* quodlibet juramentum absolute non eliminat, sed normam tantum proponit judaeis, qua veritas ab ipsis asseratur, jurisjurandi fide non interposita, ubi necessitas illud non exquirit. Demum nec juramento subsequentes voces officiunt: *Quod his abundantius est, a malo est.* Ibi namque, sicuti animadvertit D. Augustinus lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 17. N. 51., non dicitur *malum est,* quia malum non agit qui bene utitur juramento, ut veritatem alteri persuadeat; sed recte dicitur *a malo est,* ut duplex humanae infirmitatis vitium denotetur, a quo jurandi necessitas proficiscitur; diffidentia, videlicet, illius, qui non credit, nisi juretur, et sinceritatis defectus in eo, qui, ut veritas credatur, ad juramentum impellitur (2). Christi Domini

(1) Audiatur Doctor Hipponensis, qui una conferens juramenta, quae pluries D. Paulus adhibuit, cum praecitato Matthaei capite 5. haec habet lib. de mandacio capita 5. N. 28. — Juravit Apostolus in suis epistolis, at sic ostendit quomodo accipiendum esset quod dictum est: *dico vobis non jurare omnino:* ne, scilicet, jurando ad facilitatem jurandi veniatur, ex facilitate ad consuetudinem, atque ita ex consuetudine in perjurium decidatur —.

(2) Clemens Alexandrinus Paedagogi lib. 2. cap. 10., D. Chrysostomus hom. 19. ad populum Antiochenum, aliique graeci Patres verba *a malo est* interpretantur *a diabolo est,* quatenus nimia jurandi frequentia in Dei nominis injuriam a daemone invecta fuit.

verbis ita explanatis, non est, cur immòremur circa locum D. Jacobi, cum ad utramque auctoritatem idem omnino valeat responsum.

Ad 2. Quamquam nonnulli Sancti Patres docuisse videantur in Evangelica lege non licere juramenta; existimandum tamen est, vel perjurium, vel nimiam jurandi facilitatem eos dumtaxat arguere voluisse. Quis enim credat Basilium, Chrysostomum, Hieronymum, quorum auctoritates hic nobis objiciuntur, aliosque viros sapientia clarissimos adeo desipuisse, ut ignorarent ad virtutem religionis juramentum pertinere? Verum si daretur etiam, ut aliqui arbitrantur, hujusmodi Patres minus accurate de juramento sensisse; horum doctrina, quae quidem paucorum est, infirmare nequaquam posset dogma catholicum de juramenti sanctitate. Haec etenim fidei veritas non modo ceterorum Patrum gaudet suffragiis, sed, quod potissimum est, Ecclesiae universae judicio, et Apostolorum exemplis roboratur.

§. LXXXVII.

Ut juramentum, qua decet, honestate fiat, plures conditiones in eo servandas enumerat Jeremias cap. 4. v. 2. dicens: *jurabis, vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia.*

Veritas itaque prior est conditio, quae

jusjurandum comitari debet. Haec autem in juramento de re sive praeterita, sive praesenti requirit, ut, re ipsa diligenter ac sedulo perspecta, jurans illud tantum verum esse testetur, d e quo firmis argumentis, non levibus conjecturis, innixus adeo moraliter certus est, ut de ipsius veritate nequeat prudenter dubitare. In juramento quoque de re in futurum praestanda ne veritas desit, opus est, ut ficte quis non juret, cum animo, scilicet, vel non jurandi, vel non contrahendae obligationis, vel juramenti non adimplendi.

Judicium altera est juramenti conditio, quae ut servetur, non inconsiderate, non inepte, sed maturo consilio, nec sine causa necessitatis vel magnae utilitatis divinum testimonium in iis, quae asseruntur vel promittuntur, est adhibendum. Exigit enim reverentia Divino nomini exhibenda, ut illud non assumatur ad rem nullius aut levis momenti confirmandam, vel quae, licet sit gravis, alia tamen ratione potest comprobari.

Justitia demum efficit, ut jusjurandum circa rem honestam versetur. Respicit quidem hujusmodi conditio juramentum assertorium, cum e. c. vetet, ne quis iniquam detractionem jurejurando confirmet: potissimum vero in juramentis promissoriis requiritur haec eadem conditio. = Quare si quis

injustum aliquid, vel inhonestum promittit et jurando peccat, et promissis faciendis scelus scelere cumulat. Extat hujus rei in Evangelio exemplum Herodis regis, qui temerario jurejurando obstrictus puellae saltatrici caput Joannis Baptistae tamquam saltationis praemium dedit. Tale etiam fuit judaeorum jusjurandum, qui seipsos, ut est in actis Apostolorum, ea conditione devoverunt nihil gustaturos donec Paulum occidissent =. Ita ex Catechismo Concilii Tridentini parte 3. de 2. Decalogi praecepto cap. 3. N. 14.

§. LXXXVIII.

Juramentum assertorium de futuro, ac promissorium conscientiam obligare indubitatum est. Legitur siquidem Numerorum cap. 30. v. 3. *Si quis.... se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit.* Constat etiam e jure ecclesiastico haec obligatio: nam clericos juratam promissionem non servantes veluti perjuros ab eorum Ecclesiis removendos esse Alexander III. (1), et Lucius III. (2) decernunt. Hujusmodi porro obligationem per se et ex genere suo maximam fore, omnes uno verbo fatentur. Unde si de materia

(1) Cap. Quaerelam 10. de jurejurando tit. 24.
(2) Cap. Tua nos 11. tit. 24.

gravi sit sermo, concludunt lethalem noxam admittere qui rem voluntario negligit, quam ob vinculum juramenti non poterat praeterire. Si vero levis fuerit materia, tum non aeque opinantur Theologi: plures enim transgressionem juramenti in re quoque levi semper gravem culpam existimant (1): alii contra in omissione levis materiae, utcumque juramento firmatae, nonnisi culpam venialem agnoscunt (2). Re sub judice manente, certum est hanc obligationem exoriri praesertim e virtute Religionis, quae vetat, ne Dei nomen in testimonium falsi adhibeatur. Quod si juramentum non modo sit assertorium de futuro, sed etiam adnexam habeat promissionem, quam acceptaverit alter, in cujus favorem juratum est; tum proficiscitur quoque jurisjurandi obligatio ex virtute justitiae, qua quisque promissa fideliter servare tenetur.

(1) Pro hac sententia pugnant prae ceteris Gabriel in 3. dist. 39. quest. 2., Cajetanus in summa v. perjurium, Valentia disput. 6. quaest. 7., et Lessius de justitia lib. 2. cap. 42. dubit. 5. N. 23.

(2) Posterior haec opinio communior videtur, eamque vocat probabiliorem B. de Ligorio theol. mor. lib. 3. tract. 2. de 2. Decalogi praecepto cap. 2. dub. 5. N. 173. Adhaerent huic doctrinae praesertim D. Antoninus parte 2. tit. 10. cap. 4. §. 1., Sylvester v. Juramentum, Sotus lib. 8. quaest. 1. art. 7., Navarrus in Manuali quaest. 10., et Suaresius de Religione lib. 3. cap. 16.

§. LXXXIX.

Quamquam ex dictis juramentum promissorium, atque assertorium de futuro conscientiam adstringant, plures tamen snnt casus, in quibus haec nullam pariunt obligationem.

Id contingit 1. Si de re illicita fiat jusjurandum; nam ex reg. 58. juris in 6. *non est obligatorium contra bonos mores praestitum juramentum.* Hujusce veritatis ratio ex eo deducitur, quod actus religionis, prouti est juramentum, institui non potuit, ut vinculum foret iniquitatis (1).

2. Neque obligat juramentum soli Deo factum de re prorsus indifferenti, vel minus perfecta. Hoc enim, cum in hypothesi Deum tantummodo respiciat, obligare nequit nisi per modum voti, cujus induit naturam. Sed votum de re indifferenti vel majus bonum impediente non obligat (§. LXXVIII. N. 4. et 5.) Ergo nec tale juramentum. Si vero aut in finem honestum res indifferens ordinetur, aut bona fiat ex circumstantiis, tum juramentum obligat, quia non est amplius de re indifferenti ac inani. Idipsum dicatur, si res indifferens vel minus perfecta fuerit

(1) Ita ex decreto Gratiani cap. Inter cetera 22. causa 22. quaest. 4., et ex lib. 2. decretalium cap. Quanto 18. de jurejurando.

homini promissa. Etenim cum ille, in cujus gratiam juratum est, jus ad rem sibi utilem vi juratae promissionis acquisierit, jam inde consequitur, ex justitia simul ac religione servandum esse quidquid promissum fuit, modo tamen id *non vergat in aeternae salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum* (1).

3. Nulla pariter est obligatio juramenti, si ejus materia sit vel physice vel moraliter impossibilis, quia *nemo potest ad impossibile obligari.* Ita Bonifacius 8. Reg. 6. juris in 6.

4. Obligationem non inducit juramentum, cui dederit causam error aut dolus vel circa substantiam rei promissae, vel circa praecipuam causam finalem juramenti: deest quippe in utroque casu necessarius consensus, cum juramentum praesumatur emissum sub conditione, qua res sit qualis apprehenditur a jurante.

5. Item nec juramentum devincit, si eodem in statu res non permanserit. Posita namque materiae notabili mutatione, merito censetur jurantem intentionem non habuisse perficiendi rem prorsus diversam ab ea, quam jurejurando promisit.

6. Postremo nulla vis est juramenti, quod exterius profertur sine animo jurandi. Non

(1) Cap. Quamvis pactum 2. de pactis in 6.

enim est verum juramentum quod fit absque jurandi voluntate, sed potius juramenti simulatio. Adnotandum vero, quod, licet ratione sui non obliget hoc juramentum, e causis tamen extrinsecis oriri potest ejus obligatio; nempe, vel ratione justitiae si e doloso juramento grave damnum alter injuste patiatur, vel ratione scandali secuturi, si res juramento firmata religiose non servetur (1). Peccat autem sic jurans, ac dupliciter fit reus, quia Dei nomen in vanum assumit, ejusque abutitur testimonio ad proximum decipiendum (2). Unde merito Innocentius XI. hanc absurdam propositionem expunxit: *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive sit gravis.*

§. XC.

Modi, quibus auferri solet juramenti obligatio, sunt *remissio, irritatio, commutatio,* ac *dispensatio.*

Per *remissionem* obligatio juramenti ab eo tollitur, in cujus utilitatem juratum est. Etenim, *cum liberum sit unicuique juri suo renuntiare* (3), nihil obstat, quin sponte

(1) Consulatur D. Thomas 2. 2. quaest. 89. art. 7. ad 4., Suarezius de Religione lib. 2. cap. 7. N. 2., et Lessius loco sup. cit. dubit. 8.

(2) Cap. Quacumque 9. causa 22. quaest. 5.

(3) Cap. Si de terra 6. de privilegiis.

quisque valeat condonare quod sibi e jurata promissione debetur. Praeterea, dum quis per juramentum promissorium alteri se obligat, semper tacita subintelligitur conditio, si ille, in cujus utilitatem res cedit, juramentum acceptet; nam beneficia non sunt invito conferenda (1). Hic ergo si jurisjurandi obligationem servari nolit, jurans ab ea penitus liberatur, quia cessat conditio, sub qua inducta fuerat obligatio. Interim animadvertere juvat, hujusmodi condonationem vim nullam habere, si res non modo in renuntiantis favorem, sed in aliorum quoque utilitatem fuerit promissa (2).

Per *irritationem* juramentum plane rescinditur, vel ipsius obligatio suspenditur ab iis, quorum potestati subjecta est voluntas jurantis, aut juramenti materia. Exinde patet eos omnes directe vel indirecte irritare posse juramenta, quibus competit irritatio votorum. In irritum autem revocantur promissiones juratae subditorum regularium, filiorum, pupillorum, conjugum, et famulorum

(1) L. Invito dig. de regulis juris.

(2) Inquirunt hic doctores, an juramenti obligatio cesset per condonationem illius, in cujus gratiam factum fuit juramentum, si res principaliter in Dei cultum fuerit promissa. Pro parte negativa stant plures, quibus adhaeret Angelicus 2. 2. quaest. 89. art. 9. ad 2. Contrariam tuentur opinionem alii cum La-croix Theol. Mor. lib. 3. parte 1. tract. 2. cap. 2. dubit. 7. N. 358. Hac de re videatur Suarezius tom. sup. cit. lib. 2. cap. 39.

eadem ratione, iisdemque in circumstantiis, quibus (§. LXXVIII.) fieri conspeximus votorum irritationem (1).

Per *commutationem* fit, ut juramenti materiae altera subrogetur, eodem vinculo manente. Materia porro, quae loco prioris in juramento substituitur vel magis vel aeque vel minus est bona. Si de commutatione agatur in melius, haec fieri potest arbitrio jurantis (2). Commutatio vero in aequale bonum vel minus jure ordinario fit a Romano Pontifice in Ecclesia universa, ab Episcopis in propria diaecesi, a Praelatis jurisdictionem habentibus quasi episcopalem in gratiam suorum subditorum (3): ad hoc au-

(1) Ne semel dicta repetantur, ad mentem revocari poterunt superius traditae animadversiones de votorum irritatione.

(2) Cap. Pervenit 2. de jurejurando.

(3) Qui delegata facultate gaudent commutandi vota possunt ne juramenta quoque commutare? Id affirmant plures cum Lopez tract. de voto. Quaest. 5. N. 42. Dicunt enim: vinculum juramenti minus est, quam voti: cui autem concessum est majus, concessum praesumitur et minus. Hisce adversatur Navarrus Enchiridii cap. 27. N. 275. cum aliis, et contendit ad juramenti commutationem speciale requiri privilegium, quia juramentum et votum duo sunt vincula penitus penitusque diversa. Ut dissidentium placita quodammodo componat Lessius hoc pacto distinguit. Si juramentum fiat animo promittendi Deo, profecto ab iis commutari poterit, quibus delegata est votorum commutatio: tum quippe juramentum voto jungitur, uti accessorium. Verum si fiat juramentum non animo promittendi Deo, sed tantum ut in bono magis roboretur voluntas, tum juramentum non continetur in voto eique non est accessorium. Unde consequitur potestatem delegatam circa votorum commutationem ad juramentum in hac hypothesi extendi non posse. Ita Lessius loco pluries citato dubitat. 12.

tem, ut valida sit ejusmodi commutatio justae causae concurrere debent (1). Haec dicta intelligantur, si juramentum in Dei honorem praecipue fuerit emissum. At si hoc cedat in favorem hominis, et acceptetur, tum neque jurans, neque superior commutare poterit juramenti materiam, eo dissentiente, cui res fuerat promissa; nam jure legitime acquisito privari nequit invitus.

Per *dispensationem* non in aliud commutatur vinculum juramenti, non ex parte solvitur, sed omnino relaxatur. Haec dispensandi potestas eisdem competit Ecclesiae Pastoribus, qui jure ordinario possunt et vota relaxare (2). Quoniam porro Dei tantum nomine et auctoritate Superior hanc potestatem exercet, quia juramentum non secus ac votum est de jure divino; hinc fit, ut ab eo nec licite, nec valide relaxari queat juramentum absque causa legitima: quae dispensandi causa gravis momenti sit oportet in juramento ac si de voto ageretur, cum ferme sit aequalis utriusque vinculi obligatio. Decet autem 1. dispensationem concedere, si dubia sit honestas materiae, circa quam juramentum versatur. Ita communiter

(1) Conferantur animadversiones de commutatione votorum §. 78.

(2) Videantur quae diximus ibidem in animadversionibus de cessatione voti per dispensationem.

sentiunt doctores, ac praesertim D. Thomas, qui 2.2. quaest. 89. art. 9. ad 3. ait: *Quandoque aliquid sub juramento promittitur, de quo dubium est; utrum licitum sit, vel illicitum,.... et in hoc potest quilibet Episcopus dispensare.* 2. Interdum quoque in poenam criminis recte fit dispensatio; quando, nempe, quis ab altero vi, dolo, aut metu extorserit juramentum, vel quando per pactionem juratam grave ac injustum damnum eidem attulerit. Aequum enim est, ut juramenti obligatio tum auferatur, sive ad injuriam reparandam, quae juranti fuit irrogata, sive ad fraudem et injustitiam puniendam illius, cui praestitum fuit juramentum (1). 3. Demum idem vinculum poterit relaxari, eo etiam invito, qui jus ad rem sibi promissam acquisivit, cum illud servari nequeat absque communis detrimenti periculo; nam privatae utilitati bonum publicum est anteferendum (2).

(1) In id penitus conveniunt cap. Si vero, et cap. Verum de jurejurando.

(2) De juramenti relaxatione disserentes inquirunt Theologi, an Sedi Apostolicae reserventur juramenta, quae materiam in votis reservatam, uti perpetuam castitatem ac religiosam professionem, respiciunt. Suarezius loc. cit. cap. 40. N. 8. cum pluribus affirmative respondet. Contrariam sententiam uti probabilem cum Navarro tenent nonnulli. Media via sic alii procedunt. Juramentum, de quo controvertitur, si factum sit Deo, votum includit et roborat: ideo ratione voti reservati in eo contenti reservatum erit et juramentum. Si vero promissio non

CAPUT SECUNDUM

DE TEMPERANTIA.

§. XCI.

Inter primarias virtutes, quae praeter Religionem humanos mores juxta normam rectae rationis, ac divinae legis perficiunt, Temperantia numeratur. Haec virtus, quam *donum Dei maximum* appellat Clemens Alexandrinus (1), interdum late sumitur pro generali virtute, quae humanos actus, animique motus componit: unde post Tullium ea definitur a D. Augustino quaestionum lib. 83. q. 31. *rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi firma et moderata dominatio* (2). Quatenus vero consideratur ut virtus specialis, temperantia ea est, quae juxta rectam rationem, divinamque legem appetitum hominis refraenat circa voluptatem gustus et tactus (3). Quanta sit hujusce virtutis necessitas, ea plurima osten-

Deo, sed homini facta jurejurando confirmetur, vel assertio tantum de futuro; tum juramentum a voto sejungitur, ac proinde non est reservatum. Vide La-croix theol. moral. lib. 3. parte 1. tract. 2. cap. 3. dubit. 8. quaest. 131. §. 555.

(1) Lib. 2. Stromatum.

(2) Cicero lib. 2. de inventione cap. 54.

(3) Posteriori quoque sensu Hipponensis Pater hanc virtutem definire videtur lib. 1. de libero arbitrio cap. 13. cum ait: — Temperantia est animae affectio coercens et cohibens appetitum ab iis rebus, quae turpiter appetuntur —.

dunt Sacrarum Scripturarum loca, quibus intemperantes aeternis suppliciis deputantur. De ipsius autem praestantia satis erit cum D. Ambrosio animadvertere, hanc a rerum exordio prae ceteris virtutibus divino praecepto fuisse protoparentibus commendatam (1). Utilitas demum temperantiae non magis, quam ex effectibus dimetienda erit. Quare D. Prosper audiatur, qui lib. 2. de vita contemplativa cap. 19. hujusmodi saluberrimos effectus ita recenset: *Temperantia..... si in animo habitat libidines fraenat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, ordinata corroborat; cogitationes pravas removet, inserit sanctas, ignem libidinosae voluptatis extinguit, animi teporem desiderio futurae remunerationis accendit, mentem placida tranquillitate componit, et totam semper ab omni vitiorum tempestate defendit.*

§. XCII.

Temperantia, cujus naturam, necessitatem, praestantiam, ac utilitatem obiter perspeximus, duabus constat speciebus, quae ipsius

(1) En D. Ambrosii verba lib. 1. de Jacob et vita beata cap. 2. N. 8. Temperantiam -- primis hominibus tenendam mandavit Deus dicens: *de fructu autem ligni, quod est in medio Paradisi non edetis, neque tangetis illud, ne moriamini.* Et quia non est retenta, ideo transgressores virtutis egregiae paradisi exules facti sunt, et immortalitatis exortes --.

partes *subjectivae* a philosophis vocantur. Res e definitione, quam superius tradidimus apertissime liquet. Cum enim temperantiae sit munus oblectamenta gustus et tactus moderari; jam sponte consequitur pro hac duplici objectorum specie, circa quae illa versatur, duas inter se distinctas virtutes in eadem tamquam species in genere contineri. Hae sunt *Sobrietas*, et *Pudicitia*. De virtute posteriori non est cur dicamus, nam satis pro instituto nostro de hac disseruimus lib. II. Institut. Parte I. Sect. II. Cap. I. Art. VI. Reliquum ergo est, ut potiora de sobrietate attingamus. Virtus moralis haec est, quae gulae irritamenta recidit usum cibi potusque juxta rectae rationis, ac divinae legis dictamen cohibendo. Ut colatur sobrietas, ad quam fideles tantopere in suis Epistolis cohortatur Paulus Apostolus, (1) duo requiruntur. Cavendum est in primis ab alimentorum excessu, ne frangatur corporis valetudo, cui ex lege naturae quisque consulere tenetur. Cavendum insuper, ne praeter necessitatem aut convenientiam status, conditionis, ac officii alimenta sumantur: ea quippe, ut ait D. Augustinus lib. 10. Confessionum cap. 31. adhibenda sunt veluti medicamenta ad vires corporis reficiendas, non

(1) Vide ep. 1. ad Thessalonicenses cap. 5. v. 6. et 8., ep. 1. ad Timotheum cap. 3. v. 2. 8. et 11., ep. ad Titum cap. 2. v. 2.

ut voluptas tantummodo foveatur. Qua de re Innocentius XI. merito hanc damnavit propositionem: *comedere, et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui* (1).

§. XCIII.

Praeter *subjectivas* aliae sunt quoque temperantiae partes, quae apud scholasticos *potentiales* dicuntur. Ad hoc genus referri solent *Mansuetudo, Clementia, Modestia, Humilitas, Studiositas*, et *Eutrapelia*: quae virtutes non quidem sunt species temperantiae, sed illi junguntur tamquam virtuti principali, quatenus affinitatem aliquam habent cum ea, et in quibusdam actibus secundariis hanc ipsam virtutem imitantur. De singulis pauca.

Mansuetudo ab Aristotele definitur *virtus irarum moderatrix* (2). Unde *mansueti* a D. Ambrosio Exposit. in Ps. 36. illi appellantur, *quos nullus stimulus dissensionis exagi-*

(1) Normam sobrietatis nobis exhibet pluries citatus Augustinus lib. de moribus Ecclesiae cap. 21. dicens: — Habet vir temperans in hujusmodi rebus mortalibus ac fluentibus vitae regulam utroque testamento firmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet; sed ad vitae hujus, atque officiorum necessitatem, quantum sat est, usurpet utentis modestia, non amantis affectu —.

(2) Lib. 4. Ethicorum cap. 5.

tat, non ira perturbat, non saevitia exasperat, non rabies crudelitatis inflammat. Ita porro virtus mansuetudinis appetitum sensitivum refraenat quoad iracundiae motus, ut eos, vel omnino comprimat, vel saltem juxta rectam rationem dirigat cum oporteat irasci, ne forte debitae moderationis limites excedant. Ad tantam virtutem comparandam vehementer nos alliciunt Scripturae Sacrae. Deus enim in veteri Testamento mansuetis pacem ineffabilem (1) pollicetur, et gratiam (2). In Evangeliis autem Redemptor Christus semetipsum proponens, uti mansuetudinis exemplar cunctis imitandum (3), aeternam retributionem colentibus hanc virtutem repromittit. Ait siquidem Matthaei cap. 5. v. 4. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram;* hoc est, regionem, de qua Propheta inquit Ps. 26. v. 13. *Credo videre bona domini in terra viventium* (4):

Clementia est virtus inclinans animum

(1) — Mansueti.... delectabuntur in multitudine pacis — Ps.36. v. 11.

(2) Deus — mansuetis dabit gratiam — Proverb. cap. 3. v. 34.

(3) — Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde —. Ita Servator Matthaei cap. 11. v. 29.

(4) Per terram, quae loco nuper citato mansuetis promittitur, nihil aliud, quam coelestem Jerusalem designari Sancti Patres unanimi consensu docent, ac praesertim D. Basilius in Psal. 33., D. Nyssenus de Beatitudine, D. Hieronymus in Matthaeum, et D. Augustinus lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 3.

Superioris ad poenam minuendam, vel remittendam, cum id justitia sinat, et publica salus. Quoad rectum clementiae usum tria sunt potissimum adnotanda. Requirit in primis hujusmodi virtus puniendi potestatem: hac enim qui caret potestate, nec poenae remittendae jus habet. Hinc manifestum est clementiam inter aequales exerceri non posse, sed tantum a Superioribus erga inferiores, eamque praesertim Summis Imperantibus convenire. Opus est secundo, ut mitior inferatur poena, quam per justas leges foret exigenda. Nam qui poenis a lege constitutis in sontem animadvertit, justitiam, non clementiam, exercet. Postremo diminutio vel remissio poenarum ex animi lenitate procedere debet. Unde clemens ille non erit, cui vel metus clementiam suadet, vel auri sacra fames, vel personarum acceptio (1).

Modestia temperantiae pars est, quae modo rectae rationi consentaneo exteriores corporis actus componit, rerumque externarum apparatum pro cujusque statu et conditione moderatur. Modestiam duplex attingere objectum ex ipsa definitione innotescit: jure igitur binam speciem hujusce virtutis Theo-

(1) Hac de re si plura desiderentur, prae ceteris conferantur Doctor Angelicus 2. 2. quaest. 157. art. 1. 2. et 3., et Lessius de justitia et jure lib. 4. cap. 4. dubit. 5. Si vero libeat ethnicos etiam philosophos adire, legi poterit Seneca de clementia ad Neronem Caesarem.

logi distinguunt, quarum altera dicitur modestia *morum*, altera modestia *cultus externi* (1). Si de priori modestiae specie loquamur, ejus officium est in corporis motibus ita decorum servare, ut iidem conveniant omnino tum personae, a qua fiunt, in se consideratae, tum aliis quibus cum agitur, tum etiam locorum et temporum circumstantiis. Quapropter ut modestia morum in membris nostris, quae membra sunt Christi, sollicite custodiatur, nihil in iis appareat ab animi virtute alienum; nihil quod rationalem dedeceat creaturam, nihil quod aspectum proximorum offendat (2); sed in gestu eluceat honestas, in oculis verecundia, parcitas in sermone, in incessu gravitas, in risu temperantia, *ut ipsa corporis species simulacrum sit mentis, figura probitatis* (3). Posterior modestiae species quamdam requirit mediocritatem in indumentis cultuque corporis, in conviviis, in supellectili, in domus ornatu, aliisque id generis ad exteriorem statum pertinentibus: quae cuncta, ne modestiae norma deseratur, tum decentiae ac honestati morum, tum receptae locorum consuetudini, tum facultatibus ac dignitati personarum esse debent congruentia (4).

(1) Vide Lessium ibidem dubit. 7. 12. et 14.
(2) Ex Divo Augustino ep. 112.
(3) Ex D. Ambrosio lib. 2. de Virginibus cap. 2. N. 7.
(4) Apostolus Paulus ep. ad Philippenses cap. 4. v. 5. et ad

Humilitas a D. Bernardo definitur *virtus, qua homo verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit* (1). Duplex autem haec est: humilitas *mentis*, seu *cognitionis*, quae pertinet ad intellectum, et humilitas *cordis*, seu *affectionis*, quae in voluntate consistit. Efficit prima humilitatis species, ut, infirmitate nostra coram Deo perspecta in ordine tum naturae, tum gratiae, nihil nos esse discamus, nulloque dignos existimemur honore. Ulterius progreditur altera, docetque nos mundi gloriam pro Christi amore despicere, Deo in omnibus subjiei, meritorum laudes in Deum ipsum, ut in finem ultimum, tantummodo referre, hominum convicia lubenti animo tolerare, ut Illi conformes reddamur, qui *semetipsum exinanivit formam servi accipiens* (2); qui *cum cognovisset, quia venturi essent, ut...facerent eum regem, fugit in montem ipse solus* (3); qui ad probra

Colossenses cap. 3, v. 12. tantae virtutis observantiam praecipit, eamque innumeris locis commendent Sancti Ecclesiae Patres. Inter eos consulendus est speciatim D. Basilius in regulis fusius disputatis, D. Ambrosius lib. 1. de officiis cap. 18., D. Prosper lib. 3. cap. 19. de vita contemplativa, et Clarae vallensis Doctor ep. 113. Haec virtus a priscis fidelibus ita colebatur, ut pro signo haberetur, quo ipsi ab infidelibus distinguerentur. Id testatur Minucius Felix in Octavio dicens: — Non notaculo corporis, sed innocentiae, et modestiae signo Christiani dignoscimur —.

(1) Ita scribit S. Doctor in tractatu de gradibus humilitatis.

(2) Ep. ad Philippenses cap. 2. v. 7.

(3) In Evangelio Joannis cap. 6. v. 15.

quaesitus et necem sponte se obtulit, ac *sustinuit crucem, confusione contempta* (1).

Studiositas virtus est, quae temperat immodicam sciendi cupiditatem, ejusque triplex est officium. Siquidem haec 1. appetitum scientiae coercet, ne studium quis virtuti praeferat, rebusque ad aeternam salutem necessariis, vel plura velit ac altiora discere, quam ipsius conditioni conveniat. 2. Haec in ipsa studendi ratione modum imponit; studium, videlicet, sic moderatur, ut loco, ac tempore, quibus oportet, illud fiat, atque in debitum finem ordinetur. 3. Haec si ex uno capite immoderatum studendi affectum coercet, ne mens ad fallacem inanemque scientiam convertatur; ex altero affectum ipsum ad ea percipienda, quae scitu necessaria sunt vel utilia, pro munere impellit.

Eutrapelia demum est virtus, quae honestatem et decorum servat in dictis, vel factis ludicris, quibus animus recreatur. In ludo tria prae ceteris Eutrapelia requirit.

(1) Ep. ad Hebraeos cap. 12. v. 2. Ut ad excolendam humilitatem incitamenta praeberentur, innumera hic tradi possent de hujusce virtutis praecellentia, necessitate, ac utilitate, quae tum e divinis Literis, tum e doctrina Patrum deducunt Ethicae Sacrae Scriptores. At ne in immensum producamur, satis erit hac de re Cyprianum indicare de nat. Domini, Hieronymum ep. ad Calantiam, Ambrosium ep. 84. ad Demetriadem, Augustinum lib. 3. de doctrina christiana cap. 17., Chrysostomum homil. 30. in act. Apost., Gregorium M. lib. 23. et 27. Moralium, Bernardum lib. 2. de consideratione ad Eugenium Pontificem.

1. Ludus congruere debet tum dignitati personae ludentis, tum circumstantiis temporis ac loci, in quibus fit recreatio. 2. Summopere cavendum est, ne quid petulans, obscaenum, ac flagitiosum in ludicris misceatur. 3. Tandem opus est, ut moderationis fines ludus non excedat, *ne*, ut inquit Ambrosius lib. 1. Officiorum cap. 20. *dum relaxare animum volumus, omnem harmoniam, et quasi concentum quemdam bonorum operum solvamus.*

CAPUT TERTIUM

DE JUSTITIA.

§. XCIV.

Sacrorum Librorum nulla fere pagina reperitur, quae non resonet voce justitiae. Haec tamen vox non semper unam habet significationem. Persaepe namque justitia late sumitur pro totius legis custodia, pro morum integritate ac perfectione, quae virtutum omnium societatem complectitur. Hac ratione justitiam novimus in novo Foedere acceptam, ubi Servator ait: *Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam* (1) : *Exibunt angeli,*

(1) Ita Christus in Evangelio Matthaei cap. 5. v. 6. Quo in loco pro justitia intelligendam fore mandatorum plenam observantiam docent Gregorius Nyssenus orat. 4. de Beatitudinibus, et Chrysostomus homilia 12. in Matthaeum.

et separabunt malos de medio justorum (1): *Non veni vocare justos, sed peccatores* (2). Minus late quoque usurpari solet in divinis Literis vocabulum justitiae ad moralem designandam virtutem a ceteris distinctam, quae inter primarias in libro Sapientiae cap. 8. v. 7. hisce verbis refertur: *Sobrietatem, et prudentiam docet* Sapientia, *et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Si posteriori sensu consideretur justitia, quatenus est virtus specialis, haec ab Ulpiano definitur *constans, et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi* (3).

§. XCV.

Theologi, ac Philosophi omnes virtutem, de qua hic in praesens disseritur, in *generalem,* et *particularem* cum Aristotele distinguunt (4). Justitia *generalis* est virtus, quae homines in statu sociali constitutos veluti partes ad totum ita recte disponit, ut communitati tribuant quidquid illi debetur ad ipsius conservationem. Haec et justitia

(1) Ibidem cap. 13. v. 49.

(2) In Evangelio Lucae cap. 5. v. 32.

(3) Exhibent hanc ipsam definitionem, quam deduximus ex L. justitia dig. de justitia, et jure, D. Ambrosius lib. 1. Officiorum cap. 24., et Augustinus lib. 19. de civitate Dei cap. 21., eamque communiter juris utriusque scriptores, ac Theologi recipiunt.

(4) Ethicorum lib. 5. cap. 1. et Politicorum lib. 3. cap. 5.

legalis nuncupatur, cum ejusdem officium sit opportunis legibus ea, quae conferunt bono publico, praefinire. Justitia *particularis* virtus est, quae cuique privatae personae jus sibi debitum reddit, vel recte ordinando totum ad partem in aequa distributione rerum, quae sunt communitatis, vel recte ordinando partem ad partem quoad aequam commutationem rerum, quae subsunt privatorum dominio. Subdividitur justitia *particularis* in *distributivam* et *commutativam,* uti liquet e jam tradita definitione (1). Item ad justitiam *distributivam* duae quoque referuntur justitiae species: haec enim *retributiva* dicitur, si pro cujusque meritis honores et praemia largiatur; *punitiva*, seu *vindicativa* si pro criminibus poenas infligat.

§. XCVI.

Natura justitiae particularis ut accurate magis intelligatur, operae pretium est justitiam distributivam et commutativam invicem comparare, ac plura discriminis capita inter utramque perpendere.

In eo itaque justitia distributiva differt a commutativa, quod 1. illa potissimum su-

(1) Stagirites philosophus eodem Ethicorum libro cap. 2. statuit justitiam distributivam et commutativam uti partes *subjectivas,* sive species justitiae particularis, quarum altera in distributionibus, altera in commutationibus dirigimur.

premis rerum publicarum convenit moderatoribus, cum eorum sit munus communitatem ad subditos recte ordinare in bonorum distributionibus: haec vero tantum inter privatos homines locum habet in rerum commutatione.

2. Illa conditionem spectat singulorum, quibus fit rerum communium distributio: haec non personam respicit, sed valorem, et qualitatem rei, quae sive ex contractu, sive ex damno injuste illato creditori debetur.

3. Illa tandem servat proportionem *geometricam*, seu medium *rationis*; talem, videlicet, in rebus, quae distribuuntur, adhibet proportionem, qualis est proportio inter vires, dignitatem, ac merita eorum, erga quos justitia distributiva exercetur: haec in rerum commutatione servat proportionem *arithmeticam*, quae dicitur medium *rei;* hoc est, perfectam inter datum, et acceptum aequalitatem constituit (1).

(1) Duplex medium *rationis* et *rei* distinguit Aristoteles Ethicorum lib. 2. cap. 5. Medium *rationis*, seu *geometricum*, quod in justitia distributiva servatur, illud est quod ratio praescribit, nec ita determinatur ut idem sit in omnibus, sed diversum prorsus est pro variis circumstantiis, et conditionibus personarum. Medium *rei*, seu *arithmeticum* ab extremis aeque distat, semperque in omnibus idem est: hoc autem congruit justitiae commutativae, quae suum cuique reddit servando aequalitatem rei ad rem; adeo ut, si tantum quis acceperit, tantum reddere teneatur.

§. XCVII.

Plures virtutes justitiae adnexas tamquam partes ipsius *potentiales* recensent veteres philosophi, earumque sex potissimum a Tullio numerantur lib. 2. de Inventione §. 53. Hae sunt *religio*, *pietas*, *gratia*, *vindicatio*, *observantia*, et *veritas* (1).

Religio, de qua satis egimus integro capite I., cultum respicit sive internum sive externum, quem ex ipsa naturae lege Supremo rerum Conditori ac Domino exhibere debet rationalis creatura. Unde patet, religionem cum virtute justitiae fore connexam; haec enim virtus e superius definitis (§. XCIV.) animum generatim inclinat ad unicuique suum tribuendum.

Pietas pro studio internae devotionis aliquando sumitur; quo sensu minime distinguitur a religione, cum pium esse ac religiosum idem vulgo significet. Benignum denotat quandoque pietas affectum erga egenos, vel infirmos, et a misericordia non differt. Accipitur demum pietas ut virtus peculiaris, qua parentes, ceu primarios vitae nostrae post Deum auctores, cultu ac dile-

(1) Si conferantur invicem quae tradunt Aristoteles Ethicorum lib. 5. cap. 10., Cicero loco citato, et Macrobius in somnium Scipionis lib. 1. cap. 8., non levis apparet in definiendo numero virtutum, quae justitiae sunt adnexae, philosophorum discrepantia.

ctione prosequimur (1). Haec porro virtus non modo parentes respicit, sed etiam consanguineos ob necessitudinem, quae utrosque devincit: ad eandem quoque pertinet virtutem amor patriae, cum nostrum et ipsa quodammodo principium dici possit, quatenus parentes aluit, nobisque necessaria tum vitae, tum educationi suppeditavit (2).

Gratia, seu gratitudo virtus est, quae versatur circa debitum e receptis beneficiis exortum, et inclinat eum, cui beneficia collata fuere ad satisfaciendum benefactori. Communiter ad quinque revocantur gratitudinis officia. Primum est *beneficii aestimatio,* qua illius magnitudinem potius ex affectu benefacientis, quam e re ipsa dimetimur: etenim *beneficium non in eo, quod fit, aut datur, sed in ipso dantis et facientis animo consistit* (3). Alterum est benigna donationis *acceptatio,* ne ingratus donanti videatur ille, cui beneficium offertur: nam *qui grate beneficium accipit, primam ejus pensionem solvit* (4). Tertium est *gratiarum*

(1) De hac triplici pietatis significatione videatur D. Augustinus lib. 10. de civitate Dei cap. 1., et lib. quaestionum 83. quaest. 3.

(2) Haec pietatis munera Tullins indicat loco jam citato dicens. -- Pietas est per quam sanguine conjunctis, patriaeque benevolis officium, et diligens cultus tribuitur --.

(3) Seneca lib. 1. de Beneficentia cap. 6.

(4) Ibidem lib. 2. cap. 24.

actio, scilicet manifestatio grati animi sensuum, qua quis pro aliquali compensatione beneficii sibi gratis concessi tamquam inferior se se benefactori submittit. Quartum est opportuna *recordatio beneficiorum*, quae accepimus: Unde *ingratissimus omnium est, qui beneficii oblitus est; cui enim totum beneficium elapsum est, gratus fieri nunquam potest* (1). Postremum est mutua *beneficii retributio*, in qua, ut ait Cicero lib. 1. de Officiis, *imitari debemus agros fertiles, qui plus multo adferunt, quam acceperunt.*

Vindicatio specialis dicitur virtus justitiae connexa, *per quam vis et injuria et omnino quidquid obfuturum est defendendo, aut ulciscendo propulsatur* (2). In vitium ne deflectat vindicatio, duo sunt potissimum attendenda: finis, videlicet, ac modus, quo quis injuriam vel sibi vel aliis irrogatam repellit. Si de fine loquamur, nemini licet malefactorem persequi animo nocendi; nam velle malum alterius, prouti malum est, repugnat charitati, qua omnes diligere jubemur. Hinc vindictam sumens de injuria principaliter intendat oportet bonum aliquod e peccantis poena secuturum; nempe, ut peccans resipiscat, ut ejus exemplo

(1) Ibidem lib. 3. cap. 1.

(2) Hanc definitionem a Tullio mutuatam legimus apud Augustinum loco superius citato.

ceteri ab injuriis inferendis coerceantur, ut fiat per debitam satisfactionem congrua noxae reparatio, ut justitia, et ordo in societate servetur. Praeter finem rectum vindicatio modum etiam requirit: haec enim per publicam fieri debet auctoritatem, ac inter moderationis limites contineri, ne quis magis puniatur, quam promeretur injuria.

Observantia Superioribus exhibet obsequium, aliisque virtute aut sapientia conspicuis, qui peculiari cultu ideo dignantur, quia vel nos gubernant, vel sunt regiminis capaces. In *religiosam* haec porro dividitur, et *politicam*. Prior ea est, quae alicui debetur ob ejus eminentiam ac perfectionem cum religione conjunctam: altera iis est deferenda, qui ceteros politica dignitate antecellunt.

Veritas, seu *veracitas* appellatur virtus, qua homo, tum in verbis, tum in factis talem se aliis exhibet, qualis est. Exigit haec virtus, ut sermo, ac cetera signa, quibus vel naturaliter, vel e recepta consuetudine utimur ad interiores animi sensus aperiendos, menti penitus consentiant (1).

(1) Ne plus aequo in praesenti capite moremur, studioso lectori consultationem proponimus Angelici Doctoris ac Lessii, quorum prior 2. 2. quaest. 58. 80. 101. 102. 104. 106. 108. 109., alter lib. 2. de justitia, et jure, Sect. 1. cap. 1. et Sect. 7. cap. 46. et 47. de hac virtute cardinali copiose disseruere.

CAPUT QUARTUM

DE PRUDENTIA.

§. XCVIII.

Virtus intellectualis, qua in occurrentibus negotiis edocemur, quid agere, quid praeterire juxta rectam rationem, divinamque legem debeamus, nomine Prudentiae venit (1). Ad explanandam virtutis, quam definivimus, naturam, quatuor animadvertimus.

1. Si prudentiae munia vix etiam perspiciantur, omnibus compertum erit, virtutem hanc in intellectu consistere. In primis itaque ad prudentiam pertinet consilium, quo res tum in se, tum in ejus circumstantiis perpenditur, an deceat, simulque media explorantur, quibus res ipsa finem honestum sibique proprium attingat. Unde Aristoteles inquit Ethicorum lib. 6. cap. 7. *prudentis maxime opus est recte consultare.* Post accuratam rei considerationem prudentia judicat concludendo, quid, quo modo, tem-

(1) Hujusmodi virtus a Tullio definitur lib. 2. de Inventione N. 53. — rerum bonarum, et malarum, neutrarumque scientia —. Hanc ipsam definitionem recipit homil. 12. in principium Proverbiorum D. Basilius, qui tamen a fallaci veram prudentiam distinguens ait: — Vera prudentia agandorum et non agandorum cognitio est, et secretio, quam qui sequitur nunquam secedet a virtutis operibus, nunquam exitioso vitii jaculo transfigetur —. Eandem exhibet prudentiae notionem D. Augustinus de libero arbitr. cap. 13.

pore, et loco sit agendum, ut opus a virtute non deficiat. In hoc autem judicio prudentia non sistit; verum et aliquá ratione movet voluntatem, cui non quidem imperat, sed actionem suadet, ac ostendit, quo pacto in positis circumstantiis necesse sit operari. Cum igitur prudentiae officia per actus exerceantur intellectus, non voluntatis; jam plane innotescit, hanc virtutem jure intellectualem appellari.

2. Inter primarias quoque virtutes morales ratione tum objecti, tum finis merito connumeranda est prudentia: haec enim circa mores ut plurimum versatur, eosque ita dirigit, ut virtutum omnium optima dicenda sit moderatrix.

3. Dictamen, quo prudentia monet, quid oporteat fieri, vel omitti, duo respicere debet; finem, videlicet, ac media. Erit namque semper imprudens, tum qui finem minus congruentem sibi proponit, licet mediis utatur idoneis, tum qui, recto fine sibi constituto, media seligit ad illum non conducentia.

4. Prudentia denique normam homini praefert, qua noscat in occurrentibus negotiis medium servare virtutis: ea siquidem res non generatim, ac speculative considerat, sed peculiariter, et in praxi, denotans quid singulis in circumstantiis agendum.

§. XCIX.

Plures tradi solent prudentiae species, quae ipsius partes *subjectivae* nuncupantur. Haec in *personalem*, et *gubernatricem* potissimum distinguitur. Prima rationem indicat, qua seipsum quis dirigere tenetur. Altera est, qua superior modum agnoscit ceteros regendi. Item prudentia gubernatrix quadruplicem continet speciem; hoc est, prudentiam *oeconomicam*, *politicam*, *legislatricem*, et *militarem*. Ad regimen domesticum attinet prudentia *oeconomica*, bonumque respicit familiae: prudentia *politica*, seu *civilis* ea est, quae per sedulam rerum publicarum administrationem utilitati consulit totius communitatis: proprium est prudentiae *legislatricis*, seu *nomotheticae*, leges condere locorum, temporum, ac personarum circumstantiis accomodatas: de rebus bellicis curam gerit prudentia *militaris* (1).

§. C.

Tres numerantur a Tullio prudentiae partes, quae sunt *memoria*, *intelligentia*, et *providentia* (2): hisce adjiciuntur a D. Thoma *ratio*, *solertia*, *docilitas*, *circumspectio*, et *cautio* (3). Partes prudentiae *integrales*, vel

(1) Vide D. Thomam 2. 2. quaest. 50. ab art. 1. ad 4.
(2) Lib. 2. de Inventione N. 53.
(3) Ita Doctor Angelicus loco jam citato quaest. 48. et 49.

quasi-integrales hae omnes a philosophis dicuntur, cum ad perfectum ipsius virtutis usum sint penitus necessariae. *Memoria*, cujus auxilio praeterita recordamur, prudentiae summopere juvat; nam ex iis, quae olim ac pluries experti sumus, persaepe, quid nunc expediat, congruit inferre. *Intelligentia* est praesentium cognitio, quae omnino requiritur, cum de praesenti rerum statu ferendum sit judicium. *Providentia*, seu futurorum scientia est praevisio effectuum, qui, actione posita, vel omissa, consequi possunt. *Ratio* est facilitas concludendi ex praeteritis, praesentibus, et futuris quid hic et nunc sit agendum. *Solertia*, sive sagacitas est facilis inventio mediorum, quae ad finem praestitutum opportunius deducunt. *Docilitas* est promptitudo ad proprium judicium, quod interdum fallax est, deserendum, ut peritorum consilia sectemur. *Circumspectio* consistit in attenta circumstantiarum consideratione, ex qua dignoscimus, utrum actio tempori, loco, vel personis conveniat. *Cautio* demum est sollicitudo, tum in declinandis incommodis ex actione orituris, tum in obstaculis removendis, quae finis consecutionem impediunt.

§. CI.

Virtutis, de qua in hoc capite fit sermo,

tanta necessitas est, ut homo consilii expers navigio rectore carenti, quod ventorûm impetu quatitur, haud absurde comparetur. Maximam hanc prudentiae necessitatem Divinae Literae, Sanctorum Ecclesiae Patrum doctrina, et ratio naturalis ostendunt.

Ut exordiamur a Scripturarum auctoritate, neminem latet ibidem nos passim, ac vehementer ad tam praecellentem virtutem incitari. Legitur namque Proverbiorum cap. 3. v. 13. et 14. *Beatus homo, qui invenit sapientiam, et affluit prudentia: melior est acquisitio ejus negotiatione argenti, et auri primi, et purissimi fructus ejus:* et cap. 4. v. 5. *Posside prudentiam....ne dimittas eam, et custodiet te; dilige eam, et conservabit te.* Christus pariter in Evangelio Matthaei cap. 10. v. 16. ait: *Estote prudentes sicut serpentes* (1).

Hac de re testimonia quoque Patrum audiantur, eorumque prior sit Basilius in Constitutionibus monasticis cap. 14. ita scribens: *In omnibus, quae suscipiuntur, rebus antecedere prudentia debet. Nam citra prudentiam omnia etiam, quae videntur esse bona, ob adversum tempus et ob immoderationem vertuntur in vitium: sed si ratio, et prudentia tempus ac modum rebus bonis praescribat,*

(1) Hoc in loco D. Prosper lib. 3. de vita contemplativa divinum praeceptum agnoscit.

mirabile quoddam emolumentum ex ipsarum usu tum a dantibus, tum ab accipientibus percipitur. Accedit Ambrosius, qui lib. 1. de Officiis cap, 27. inquit: *Non potest justitia sine prudentia esse, cum examinare quid justum, quidve injustum sit, non mediocris prudentiae sit.* Item Gregorius M. lib. 2. in Ezechielem homil. 10. N. 18. ad ceteras virtutes primarias omnino requiri prudentiam hisce verbis decernit: *Magna est temperantia; sed si minus intelligit unde se temperet... minus temperans est. Magna est fortitudo; sed si minus intelligit quae bona custodiat, quibus malis resistat... minus fortis est. Magna est justitia; sed si minus quam debet inter justa et injusta opera discernit... minus justa est.* In id consentit quoque Bernardus in Cantica serm. 49. N. 5. ita de discretione scribens: *tolle hanc, et virtus vitium erit.*

Heic postremo locum habet ratio naturalis, qua duce sic argumentamur. Nulla datur vera virtus absque ordine: hoc enim non servato, in alterutrum e vitiosis extremis ea decidat oportet. Sed nullus in virtutibus ordo, prudentia remota (§. XCVIII). Ergo sine prudentia ne intelligi quidem vera virtus potest. Tantum igitur necessaria est homini prudentia, quantum illi necessariae sunt ceterae virtutes, ut recte vivat, ut perfici queat, ut finem ultimum consequatur.

CAPUT QUINTUM.

DE FORTITUDINE.

§. CII.

Nihil aliud est Fortitudo, inquit D. Augustinus lib. Quaestionum 83. de diversis Quaest. 31., quam *considerata periculorum susceptio, et laborum perpessio.* Fusius autem, et clarius haec a Theologis communiter definitur virtus moralis, quae tum ad obeunda pericula, tum ad mala perferenda juxta rectam rationem, divinamque Legem animum inclinat. Ex hac definitione luculenter patet, duplicem esse fortitudinis actum: alterum, videlicet, quo quid aggredimur, alterum, quo patimur. Prior certe splendidior est, praestantior vero secundus; in hoc enim virtutis amor plus eminet, quam gloriae, cum sit homini facilius aggredi, quam pati. Veritatem hanc triplici ratione demonstrat Angelicus Doctor 2. 2. Quaest. 123. art. 6. ad 1. dicens: = Sustinere difficilius est, quam aggredi..... Primo quidem, quia sustinere videtur aliquis ab aliquo fortiore invadente: qui autem aggreditur invadit per modum fortioris. Difficilius autem est pugnare cum fortiori, quam cum debiliori. Secundo, quia ille qui sustinet jam sentit pericula imminentia: ille autem qui aggreditur habet ea ut futura. Difficilius

autem est non moveri a praesentibus, quam a futuris. Tertio, quia sustinere importat diuturnitatem temporis; sed aggredi potest aliquis ex subito motu. Difficilius autem est diu manere immobilem, quam subito motu moveri ad aliquod arduum = (1).

§. CIII.

Metus, audacia, et moeror tria sunt, quae fortitudini adversantur. Triplex ergo fortitudinis officium est hos animi motus continere. Virtus haec in primis metum coercet, ne quis mala, quamvis ingentia, perhorrescat, eorumque aspectu adeo turbetur, ut a virtute abducatur (2). Haec virtus audaciam reprimit, ne quis contra rectam rationem ac legem divinam temere se discrimini tradat (3). Haec quoque, si malum jam evenerit, nec averti, aut leniri possit, moerorem temperat, ne quis nimia tristitia conficiatur, ne quid agat indecorum, ne inter pericula et aerumnas a recto tramite desciscat.

(1) Idipsum tradit de' hisce fortitudinis actibus D. Ambrosius lib. 1. Officiorum cap. 45.

(2) Hujusmodi officium a Tullio fortitudini tribuitur lib. 4. Quaest. Tusculanarum, ubi vocatur haec virtus — affectio animi in patiendo et perferendo summae legi parens sine timore —. Idem officium agnovit et Seneca ep. 88. ad Lucilium, ubi ait: — Fortitudo contemptrix timendorum est; terribilia, et sub jugum libertatem nostram mittentia despicit, provocat, frangit —.

(3) Inde apparet, quam rite ab Aristotele Ethicorum lib. 3. cap. 9. fortitudo dicatur — mediocritas inter metum et audaciam constituta —.

§. CIV.

Quatuor sunt fortitudinis partes *integrantes*: *Fidentia*, et *Strenuitas*, quae ad hanc virtutem attinent quatenus aggreditur: *Patientia*, et *Constantia*, quae illi sunt adnexae quatenus sustinet. *Fidentia* est spes boni assequendi, vel mali vitandi, quae necessaria omnino est, ut animus ad ardua moveatur. *Strenuitas* est promptitudo, qua futuris malis occurritur, eique junguntur *Magnanimitas*, quae animum erigit ad heroica in omni virtutum genere praestanda, et *Magnificentia*, quae suadet externa opera praeclara maximis sumptibus perficienda. *Patientia* instruit animum adversus mala praesentia. *Constantia* impedit, ne quis malorum diuturnitate frangatur: siquidem haec animum firmat, et ad finem usque ita perseverantem reddit, ut eum vel ab aggrediendo vel a sustinendo neque pauperies, neque mors, neque vincula deterreant (1).

(1) De virtute fortitudinis agentes disputandi sumunt occasionem plures Ethicae Sacrae Scriptores tum de voluntaria sui occisione, tum de martyrio, ac demonstrant, illam fortitudini penitus opponi, hoc vero ejusdem actum virtutis esse maxime gloriosum. Nos vero utrumque argumentum praeterire cogimur; nam in libro II. Institutionum de primo jam satis verba facimus; de altero sermo erit in libro IV., ubi de Sacramentis. Interim si fusius explanata desiderentur quae concise hic tradidimus de fortitudine, consulantur D. Thomas 2. 2. a Quaest. 123. ad 137., Lessius de justitia lib. 3., et Card. de Aguirre Philos. Mor. parte 1. lib. 3. a cap. 6. ad 10.

PARS SECUNDA

DE VITIIS.

§. CV.

Illud generice vitium nuncupatur, quod regulis opponitur, cum quibus consentire debet (1). Hoc autem triplex. Aliud enim est vitium naturae, quo fit, ut subjecto desit naturalis aliqua sibi debita perfectio: hujusce generis vitium erit oculorum defectus in homine, cui naturaliter convenit videndi facultas. Aliud est vitium artis consistens in privatione perfectionis debitae secundum artis principia: ejusmodi vitium in imagine reperitur, quae fuerit absque proportione partium depicta. Item aliud est vitium animi, quo nomine intelligitur quidquid vel in uno deflectit a norma, cui penitus conformari debet actus humanus, ut moraliter sit bonus. Vitio animi, de quo tantum in praesens agimus, duplex tribuitur significatio: nam vel denotat habitum vitiosum animo inhaerentem, eumque ad actus inordinatos inclinantem, vel etiam sumitur pro ipso actu vitioso, quem ideo pec-

(1) Tullius de vitio disserens lib. 3. de finibus N. 12. etymon hujusce vocis perquirit, suamque ita profert sententiam: — Quod vituperabile est per seipsum, id eo ipso vitium nominatum puto, vel etiam a vitio dictum vituperari —.

catum appellant, quia in legem peccare dicitur qui ab ipsa in aliquo declinat. Actus porro vitiosi tum in genere, tum in praecipuis eorum speciebus ab Ethicae Sacrae scriptoribus considerantur. Idipsum et nos praestabimus. Hinc posteriori hac parte bifariam distincta, sit

SECTIO PRIMA

DE PECCATIS GENERATIM.

§. CVI.

Dum peccata in genere conspicimus, plurima nobis occurrunt investiganda, quae ad sex capita potissimum referuntur.

Inquiritur enim 1. In quo consistat peccati natura, quaeque sint potiores ipsius divisiones?

2. An detur in peccatis inaequalitas, et connexio?

3. Quomodo tum specifice, tum numerice peccata inter se distinguantur?

4. Quid peccati sit occasio, quid consuetudo?

5. Quibus e causis deducenda sit peccatorum origo?

6. Demum quot sint peccatorum effectus?

De singulis ordinatim disputabitur: sic autem in omnibus optatae brevitati consu-

lendum erit, ut brevitas necessariam perspicuitatem vel minime offendat.

CAPUT PRIMUM

DE PECCATI NATURA ET DIVISIONIBUS.

§. CVII.

Nonnunquam in Scripturis Sacris peccati vox improprie usurpatur: modo namque materiam peccati significat, modo pro victima sumitur expiationis, modo etiam effectum indicat, vel causam peccati. In priori sensu Moyses peccatum appellat vitulum aureum a populo Israel conflatum: ait enim Deuteronomii cap. 9. v. 21. *peccatum vestrum quod feceratis*, hoc est, vitulum, *arripiens igne combussi, et in frusta comminuens, omninoque in pulverem redigens projeci in torrentem, qui de monte descendit:* in altero Servator Christus Ep. 2. ad Corinthios cap. 5. v. 21. factus dicitur pro nobis peccatum: in postremo D. Paulus ad Romanos cap. 7. concupiscentiam peccatum vocat, non quod revera peccatum ea sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat (1). Fere tamen ubique in utroque foedere peccati nomen proprie tantum, juxtaque com-

(1) Vide Synodum Tridentinam Sess. 5. in decr. de peccato originali N. 5.

munem loquendi rationem acceptum legimus, quatenus actionem exprimit, vel actionis omissionem regulis morum adversantem.

§. CVIII.

Peccatum proprie sumptum a D. Augustino lib. 22. contra Faustum cap. 27. definitur *factum vel dictum vel concupitum aliquid contra legem aeternam* (1). Huic definitioni, quam velut omnium accuratissimam generatim Theologi recipiunt cum D. Thoma (2), nonnullae animadversiones accedant.

Animadversio 1. Duabus partibus constat allata definitio, quarum una materiale designat, altera formale peccati. Materiale indicatur per verba *factum vel dictum vel concupitum,* quae locum generis tenent, cum ad actus sive bonos sive malos indiscriminatim valeant referri. Cetera porro verba formale denotant peccati, videlicet, oppositionem inter actum humanum et legem, ac differentiam constituunt, per quam ab actu moraliter bono distinguitur peccatum.

(1) Strictius adhuc ab eodem Augustino lib. 2. de consensu Evangelistarum Cap. 4. N. 13. Peccatum dicitur legis transgressio. Qua cum definitione penitus ea congruit, quam lib. de Paradiso Cap. 8. profert D. Ambrosius ita scribens: — Quid est peccatum, nisi praevaricatio legis divinae, et coelestium inobedientiae praeceptorum — ?

(2) Consulatur Angelicus Doctor 1. 2. Quaest. 71. art. 6.

2. Haec definitio culpam non modo personalem, sed etiam originalem complectitur. Nam culpa originis jure vocari potest dictum vel factum, vel concupitum voluntate, non quidem propria, sed aliena, hoc est, protoparentis, in quo, ut ait Apostolus ad Romanos cap. 5. v. 12., omnes peccaverunt.

3. Non tantum actionis, sed et omissionis peccatum in definitione tradita continetur. Etenim per dictum vel factum dicti quoque vel facti intelligenda est omissio, cum vulgo etiam qui bonum praeterit opus, quod praestare debet, male agere dicatur. Ita sentit 1. 2. quaest. 71. art. 6. Doctor Angelicus hoc pacto concludens: *affirmatio, et negatio reducuntur ad idem genus...... et ideo pro eodem est accipiendum dictum, et non dictum, factum, et non factum.*

4. Item nec ab ipsa definitione peccatum contra legem humanam excluditur. Lex enim aeterna, de qua ibidem tantummodo fit mentio, fons est, et origo, ex qua dimanant, vimque obligandi obtinent cunctae humanae leges rite constitutae juxta illud Apostoli ad Romanos cap. 13. v. 2. *Non est potestas nisi a Deo* (1). Unde patet, legem humanam violari non posse, quin violetur ipsamet lex aeterna, quae, cum jubeat

(1) Heic recolantur quae diximus Institutionum lib. 2. §. 7.

ordinis custodiam, inde etiam jubet, ut legitimae auctoritatis imperio, justisque legibus inferior subjiciatur.

5. Quamquam in sua definitione voluntarium liberum expresse non memoret Augustinus, in ea tamen hoc implicite subintelligi quisque plane dignoscit, quia lex proprie non datur, nisi libere agenti, neque violari potest, nisi per actum voluntarium.

§. CIX.

Tria sunt ad peccatum quodlibet constituendum prorsus necessaria; nempe legis existentia, ipsius transgressio legis, et libertas in transgressione.

Requiritur 1. existentia legis praecipientis, vel prohibentis, nam, ut inquit Paulus ad Romanos cap. 4. v. 15., *Ubi non est lex, nec praevaricatio.* Idipsum ostendit jam pluries citatus Augustinus in Ps. 118. serm. 25. dicens = *Si praevaricantes sunt omnes peccatores terrae, nullum est utique sine praevaricatione peccatum: nulla est autem praevaricatio sine lege. Nullum est igitur nisi in lege peccatum* =.

Requiritur 2. legis transgressio, actus, nimirum, contra praeceptum negativum, vel contra praeceptum positivum actionis omissio. Haec repugnantia legem inter et actum si desit, peccatum non erit.

Requiritur 3. in legis transgressione libertas. En ratio, cur bruta animantia, infantes, et amentes non peccent, cum peragant quod recte rationi ac legi adversatur. Ut autem libera sit in homine legis transgressio, cum cognitione ac potestate agendi et non agendi haec fiat oportet: alterutro deficiente, materiale quidem erit peccatum, non vero formale, ideoque nec agenti poterit ex defectu libertatis imputari (1).

§. CX.

Cum aeternae legis transgressio ad peccati essentiam pertineat (§. CVIII.), cumque lex aeterna sit incommutabilis divina voluntas conservationem ordinis in omnibus praecipiens (lib. II. §. IV.); liquet exinde, nullum fore peccatum, quo Deo non irrogetur offensa. Commentitium ergo est discrimen, quod inter peccatum theologicum et philosophicum nonnulli finxerunt, ac si

(1) Quoad essentiam peccati gravis intar scholasticos fervet contentio. Distinguunt prae primis in actu vitioso materiale, sau physicam entitatem actus, a formali, quod est ipsius actus repugnantia cum lege. Omnes interim concedunt materiale peccati fore quid positivum. Invicem quoque congruunt circa peccatum omissionis, cujus formale statuunt in privatione. Tota itaque controversia circa peccatum commissionis versatur, de quo duplex viget sententia. Prima eorum est, qui rationem hujusce peccati formalem ponunt in sola debitae rectitudinis privatione; altera docet hoc paccatum per aliquid positivum, non per simplicem justitiaa privationam, formaliter constitui.

culpa dari posset rectae quidem rationi, non tamen divinae legi contraria, nec Deo injuriosa. Fallacem hanc de peccato philosophico doctrinam proscripsit Alexander 8. in sequenti propositione contentam: = Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturae rationali, et rectae rationi: theologicum vero et mortale est transgressio libera legis divinae: philosophicum quantumvis grave in illo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque poena aeterna dignum = (1).

§. CXI.

Apud Ethicae Scriptores multiplex traditur peccatorum divisio.

Nam 1. ratione principii, a quo procedit

(1) Peccatum theologicum a philosophico D. Thomas distinguere videtur 1. 2. Quaest. 71. art. 6. ad 5. haec scribens: — A theologis consideratur peccatum secundum quod est offensa contra Deum: a philosopho autem morali secundum quod contrariatur rationi. Nam sub diverso respectu peccatum consideratur a theologo, et a philosopho; eodem pacto, quo idem Deus consideratur a Theologo ut auctor gratiae, et a philosopho ut auctor naturae —. Hisce tamen verbis reprobatae doctrinae nequaquam ille suffragatur: duplex namque hic non admittit peccatum, sed duplicem peccati considerationem: idcirco inter peccatum theologicum, et philosophicum, non realem, sed rationis tantummodo distinctionem ponit.

peccatum, aliud *originale* vocatur, aliud *personale*. Originale dicitur primum Adae peccatum, quod in posteros per generationem transfunditur, quodque voluntate aliena, non propria, nobis est voluntarium: personale est peccatum, quod quis propria voluntate committit.

2. Item pro variis modis, quibus peccari potest, invicem distinguuntur peccata *cordis*, *oris*, *et operis*. Corde tantum fit peccatum, si animi affectus inordinatus, e. c. odium Dei vel proximi, nullatenus manifestetur; fit peccatum ore, si interior actus inordinatus verbis patefiat, uti contingit in blasphemia, in detractione, in locutione contumeliosa: peccatum denique fit opere, si per exteriores actus legi contrarios perficiatur.

3. Altera partitio sumitur ab objectis, circa quae peccatum versatur. Ex hoc capite si peccatum in corporea voluptate consistat, *carnale* vocabitur, secus erit *spirituale*. Ad primum genus attinent gula et luxuria, ad postremum superbia, et invidia (1).

4. A natura legis, quam quis transgreditur, fluit quoque distinctio inter peccatum *commissionis*, quod cum lege vetante pugnat, et peccatum *omissionis*, quod legem praecipientem infringit.

(1) Hanc ipsam peccati divisionem indicat Apostolus Ep. 2. ad Corinthios Cap. 7. v. 1. dicens: — Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus —.

labente saeculo Ecclesiae quarto, Jovinianus, qui, ut verbis D. Hieronymi utamur, arbitrabatur, *convitium, et homicidium, raca, et adulterium, otiosum sermonem, et impietatem uno supplicio repensari* (1).

Verum et Stoicis et Joviniano prae primis opponuntur Sacrarum Scripturarum oracula, quibus inaequalitas peccatorum sic apertissime demonstratur. Si peccata darentur aequalia, haec profecto aequali poena punirentur; nec unum altero difficilius remitteretur; nec unum altero gravius esse posset. Atqui secus omnino contingit. Nam 1. Deus justus judex non eandem poenam pro qualibet culpa decernit: legimus enim Deuteronomii cap. 25. v. 2. *pro mensura peccati erit et plagarum modus*; et apud Matthaeum cap. 5. v. 22. *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio: qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit consilio: qui*

tit. 1. 2. Quaest. 73. art. 2., duplex est privationum genus. Alia est *pura* privatio, quae nihil relinquit de habitu opposito, qualis est mors, quae nec magis recipit, nec minus. Altera privatio *secundum quid* potest appellari, quae, cum de habitu contrario aliquid relinquat, magis vel minus admittit. Posterior haec privatio peccato convenit, quia magis et minus in ipsa datur, quatenus homo per culpam a rectitudine rationis magis, vel minus recedit.

(1) Id eruitur ex Hieronymo lib. 2. contra Jovinianum Cap. 17., et ex Augustino tum lib. de haeresibus Cap. 82; tum Ep. 167., ubi S. Doctor Hieronymum perlaudat, quia dilucidissime hujus adversarii argumenta resolvit.

autem dixerit, fatue, reus erit gehennae ignis. 2. Quaedam sunt peccata, de quibus venia difficilius conceditur juxta illud Matthaei cap. 12. v. 32. *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum non remittetur ei.* 3. Nonnulla tandem sunt peccata, quae ceteris graviora vocantur. De judaeis namque scribit Jeremias cap. 7. v. 26. *pejus operati sunt, quam patres eorum;* et in Evangelio Joannis cap. 10. v. 11. Christus Dominus Pilatum alloquens de crimine Judae ait: *qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* E divinis ergo Literis conspicuum est, eam non dari peccatorum aequalitatem, quam Stoici et Jovinianus excogitarunt.

Adjiciatur posteriori loco ratio naturalis, qua duce, hoc pacto concludimus. Virtutes alias aliis praestantiores esse, nemo ibit inficias. Theologicae siquidem virtutes moralibus longe sunt nobiliores: Charitas inter theologicas primatum tenet: inter morales prae cunctis eminet Religio: ceteris vero praeferendae sunt quae cardinales nuncupantur, cum sint veluti fontes, a quibus aliae procedunt. Sed virtutibus adversantur peccata, quia in privatione rectitudinis debitae consistunt. Ratione igitur oppositorum consequens est, ut peccata praecellentiori-

bus virtutibus repugnantia ceteris quoque sint deteriora peccatis (1).

§. CXIII.

Plura fore peccata inter se quodammodo connexa, indubitatum est, cum experientia doceamur, unum peccatum ad alterum persaepe disponere: hoc sensu intemperantiam cum luxuria, superbiam cum invidia, inanem gloriam cum jactantia copulari videmus. Cavendum porro, ne peccata sic dicantur insimul connexa, ut unius malitia ceterorum quoque malitiam includat. Pleraque sunt enim peccata, quae nullam invicem affinitatem habent; uti homicidium, furtum, perjurium. Quin immo peccata sunt plurima ita sibi mutuo adversantia, ut alterum nequaquam valeat cum altero componi: hac de causa praesumptio desperationem excludit, prodigalitas avaritiam, pusillanimitatem audacia (2). Nobis autem nul-

(1) Desumitur inaequalitas peccatorum ex iisdem principiis, e quibus deduci solet moralitas actionum; scilicet ex objecto, circa quod peccatum versatur; ex fine peccantis, et ex circumstantiis, quae vel peccatum antecedunt, vel comitantur, vel subsequuntur. De hisce omnibus opportunum erit ea recolere, quae tradidimus Institutionum lib. 1. de Actibus humanis Parte 2. Cap. 1. de moralitatis principiis. Art. 1. 2. et 3.

(2) Hanc peccatorum connexionem eliminat ipse D. Augustinus Ep. 167. ita scribens: - Aliquando vitium vitio tollitur, ut amore laudis amor pecuniae; aliquando unum cedit, ut plura succedant, veluti qui ebriosus fuerit, si modicum biberit, et tenacitatem et ambitionem didicerit —.

latenus officit auctoritas D. Jacobi cap. 2. v. 10. dicentis: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*. Haec quippe mens est Apostoli, quod, quamquam lex in ceteris fideliter servetur, sufficiat tamen ab ea vel in uno per lethalem culpam deficere, ut sempiternam damnationem quis mereatur, perinde ac esset universae legis transgressor (1).

CAPUT TERTIUM

DE SPECIFICA ET NUMERICA PECCATORUM DISTINCTIONE.

§. CXIV.

Peccata inter se distincta specifice dicuntur, si malitiam diversae naturae contineant. Unde porro deduci debeat haec specifica distinctio concise videamus.

1. Itaque certum est, e majori vel minori oppositione inter humanum actum et legem nequaquam desumi posse peccatorum specificam distinctionem. Si enim ad hanc distinctionem sufficeret, ut actus magis vel minus legi opponeretur, tum circumstantia quaelibet notabiliter aggravans peccatum

(1) Hujusce difficultatis resolutio videatur apud D. Thomam 1. 2. Quaest. 73. art. 1. ad 1.

speciem ipsius immutaret, quod est absurdum (1). Veritas tradita paritatis argumento sic firmatur. Quemadmodum in rebus physicis per majus et minus non variantur species, ita et in moralibus majus et minus efficiunt quidem gravius, aut levius peccatum intra eandem speciem, sed novam peccati speciem nón inducunt. In id quoque consentit Angelicus Doctor 1. 2. quaest. 18. art. 11. dicens: *tollere alienum in magna vel parva quantitate non diversificat speciem peccati.*

Certum est 2. neque peccata specifice distingui ex praeceptorum diversitate, si circa eandem materiam praecepta versentur, eodemque fine sint imposita. In hypothesi namque licet praecepta sint materialiter diversa, formaliter tamen unum constituunt morale praeceptum, quo rès ipsa uno eodemque fine jubetur, vel interdicitur. Quapropter si furtum quis admiserit, unius tantummodo peccati reus est, quamquam triplici jure, naturali, scilicet, divino, et humano hujusmodi crimen prohibeatur. Ita omnes cum D. Thoma, qui 1. 2. quaest. 72. art. 6. ad 2. inquit: *secundum praecepta diversa legis non diversificantur peccata secundum speciem.*

(1) Perlegant hic juniores theologi quae de circumstantiis a nobis referuntur Institutionum lib. 1. Parte 2. Cap. 1. art. 3. §. 48.

Certum est 3. peccata specie distingui ex oppositione specifice diversa inter actum et legem. En qua ratione comprobetur assertio. Peccatum in suo esse formaliter non constituitur nisi per oppositionem actum inter et legem. Verum haec oppositio est specifice diversa quando vel pluribus legibus specie diversis, vel eidem legi diversa ratione vetanti, aut praecipienti adversatur peccatum. Quoties igitur ejusmodi habeatur diversitas oppositionis, toties in peccatis erit specifica distinctio.

Ut autem ad praxim res deducatur, magisque dilucidetur exemplis, animadvertimus, per hanc oppositionem quatuor modis peccata specificam assequi posse diversitatem.

1. Id contingit si diversis virtutibus actio mala repugnet. Sic homicidium, si fiat in loco sacro, duo complectitur peccata specie distincta; duplicem enim habet malitiam specie diversam, cum adversetur et religioni, quae prohibet loci sacri violationem, et justitiae, quae vetat, ne bonum vitae proximo auferatur. Id 2. contingit, si diversis officiis ejusdem virtutis duae vel plures actiones opponantur. Hac ratione specifice distinguuntur odium Dei, et blasphemia: nam, licet haec peccata religionem dumtaxat offendant, specie nihilominus differunt eo quod

ejusdem virtutis diversa laedunt officia; duo siquidem jubet religio, nimirum, ut Deus corde diligatur, item ut ore laudetur: adversus primum officium pugnat odium Dei, adversus alterum blasphemia. 3. Id pariter contingit si eidem virtuti contrario modo peccata opponantur. Hoc evenit in praesumptione et desperatione, in quibus speciei diversitas reperitur, quia contrario modo ab eadem virtute spei utraque recedit; praesumptio, scilicet, per excessum, per defectum desperatio. 4. Id postremo contingit, si peccata, non contrario, sed diverso saltem modo eidem virtuti repugnent. Hinc detractio a rapina specifice differt, quia per utramque justitiae virtus diverso modo violatur; praecipit namque justitia, ut in bonis tum famae, tum fortunae jus alienum servetur; quae bona, ut cuique patet, sunt inter se moraliter diversa.

§. CXV.

Numerice tantum distinguuntur peccata cum eorum deformitas ejusdem sit naturae. Quoad numericam peccatorum distinctionem adnotamus, heic non disputari de peccatis specie diversis. Etenim, cum ex iis, quae specie differunt, unum alterum non sit, ubi vero unum alterum non est, ibi numerus multiplicetur; inde consequitur, distinctio-

tionem. Ratio est, quia cum prior voluntas fuerit libere dimissa, certe non est moraliter continuata; secus dimissa fuisset et non dimissa, quod contradictionem inducit. Duplicis ergo peccati numero distincti reus erit qui turpem concipit animi affectum, mox ad alia mentem distrahit, dehinc ad ipsum revertitur: cum enim prior actus per voluntariam interruptionem cessaverit, ab altero moraliter distinguatur oportet. 3. Demum haec distinctio fit per notabile temporis intervallum, quod actum ab actu non modo physice, sed moraliter etiam disjungat. Id autem evenire censetur, dum quis ob involuntariam inadvertentiam ad alia se se convertit, vel ab actu desistit ob causam aliquam naturalem, uti si vel brevi somno corripiatur, ac deinceps eundem repetit actum. Adnotamus interim peccata numero multiplicari tantum ob temporis moram in actibus, qui nec in effectu exteriori perseverant, nec ita invicem sunt connexi, ut moraliter pro unico actu sint habendi. At si sermo sit de actibus, qui habent in quo moraliter uniantur, quia vel natura sua, vel ex intentione agentis ordinantur ad aliquem actum principalem; tum vel propter naturalem actuum connexionem, vel propter unitatem finis, in quem omnes diriguntur, hujusmodi actus, licet physice interrupti,

moraliter non interrumpuntur per temporis moram, nec ideo numero multiplex peccatum efficiunt (1).

CAPUT QUARTUM

DE PECCATI OCCASIONE, ET CONSUETUDINE.

§. CXVI.

Circumstantia quaelibet extrinseca temporis, loci, muneris, personae, vel rei, quae periculum exhibet peccandi, occasio nuncupatur. Haec in *remotam* et *proximam* dividi solet. Occasio remota ea dicitur, in qua constitutus homo vel nunquam, vel raro peccat; proxima, quae ut plurimum ad lapsum inducit. Posterior occasio vel *per se*, vel *per accidens* proxima esse potest. Proxima *per se* et absolute est occasio, cum suapte natura ita ad culpam disponit, ut, perspecta communi hominum fragilitate, plures in ea constituti persaepe detrimentum animae patiantur. Hujusce generis occasionem praebent obscena spectacula, colloquia turpia, lectio librorum ad inhonesta

(1) Cum ex definitione Concilii Tridentini Sess. 14. de poenitentia Can. 7. et speciem et numerum peccatorum necesse sit in Sacramento Poenitentiae ad Confessionis integritatem aperire, noscant hinc juniores theologi quantum intersit accurate perpendere cuncta, quae in capite jam absoluto exarata fuere.

provocantium, aliaque similia, quae bonos mores corrumpunt. Proxima *per accidens* et respective est occasio, quae non quidem ratione sui ponit generatim homines in probabili peccandi periculo, sed tantum aliquem speciatim ob peculiarem ejus infirmitatem, et propensionem ad culpam; sic ludus honestus non est occasio proxima peccandi *per se*, fit autem proxima *per accidens* pro eo, qui quoties ludit, toties blasphemat. Rursus occasio sive *per se*, sive *per accidens* proxima esse potest *voluntaria* seu libera, et *involuntaria* seu necessaria. *Voluntaria* est, quam quis absque gravi discrimine aut incommodo deserere valet: *involuntaria* est quae vel *physice* vel *moraliter* nequit auferri. Necessaria *physice* vocatur occasio, quam non est in hominis arbitrio repellere aut devitare: in hac reperitur e. c. vir, qui una cum muliere in eodem carcere detineatur. Necessaria *moraliter* est occasio, quae absolute removeri quidem potest, sed non sine gravi nocumento, prouti esset famae, bonorum, aut vitae jactura.

§. CXVII.

In actuum frequentia, non modo propria, sed etiam aliena aequam normam habemus, qua proxima occasio a remota discernatur: non enim in proxima peccandi occasione

dicendus est aliquis tantummodo constitutus, cum in ea persaepe fuerit lapsus, sed cum in ipsa peccare soleant ceteri ejusdem conditionis, quamquam ille nunquam ceciderit. In id prorsus conveniunt Sacrae Theologiae Scriptores, licet simul non cohaereant, cum definiendum sit, quaenam ad occasionem proximam inducendam actuum frequentia requiratur. Sed garriant invicem hac de re pro lubitu theologi. Nos unice animadvertimus, nonnullas circumstantias prae oculis habendas esse, ut de proxima occasione peccandi rite ac prudenter in praxi judicetur. In primis ergo perspiciat moderator animarum, quoties intercesserit occasio, et quoties in illa quis peccarit. Nam si haec saepissime contingere soleat, si vero aliquando tantum lapsus evenerit, pluribusque interjectis temporum intervallis, tum proxima dicenda non erit occasio, quia probabile ac formale periculum peccandi, quod communiter e saepe contingentibus eruitur, in ea non reperitur. Inquirat insuper, utrum externi lapsus, occasione praesente, non evenerint ob causam aliquam impedientem; num interim prava fuerint desideria, vel morosae delectationes. Haec si ponantur, de occasione proxima ob maximum lapsus periculum dubitandum non est. Attendat quoque, an primis vicibus tantum, an posterio-

quens Sacramentorum usus, sedula veritatum Fidei meditatio; quaedam pro natura occasionis, in qua quis reperitur, sunt peculiaria, et in exercitio potissimum consistunt virtutis, cui specialiter adversatur occasio. Unde, si e. g. pro tuenda castitate pugnandum sit, mortificatio carnis requiritur, externorumque sensuum custodia: item familiare colloquium, consuetudinem, immo et aspectum personae ad culpam allicientis toto studio cavere necesse est. Cuncta haec si probe serventur inter necessarias occasiones, quantumvis proximas, quisque inoffenso pede super aspidem et basiliscum ambulare poterit, et conculcare leonem et draconem (1). Quod si tanta foret peccantis in malum proclivitas, tantaque vis occasionis, ut nec satis remedia proposita juvarent, nec amplius spes probabilis effulgeret emendationis; tunc deserere opus esset occasionem, licet moraliter necessariam. Ita cum sanioribus docet B. Alphonsus de Ligorio theol. mor. lib. 6. tract. 6. de Sacramento Poenitentiae cap. 1. dub. 2. §. 2. N. 467. En ipsius verba. = Cum nulla spes apparet emendationis, periculum fit formale, et a peccato sejungi non potest; et ideo

(1) Heic opportune recolantur quae de sexti et noni praecepti observantia tradidimus Institutionum lib. 2. Parte 1. Sectione 2. Cap. 1. art. 6. §. 102.

omnino est vitandum cum quocumque damno temporali etiam vitae. Hinc c. Falsas 6. de Poenitentia dist. 5. et c. Fratres 8. ib. dicitur dimittere debere sua officia milites, negotiatores, curiales etc., qui norint illa non posse exercere sine peccato. Sic enim loquitur S. Gregorius VII. in cit. c. Falsas. *Quicumque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non possit,..... si culpis gravioribus irretitus ad poenitentiam venerit... recognoscat se veram poenitentiam non posse peragere, per quam ad aeternam vitam valeat pervenire, nisi negotium derelinquat, vel officium deserat.* Idem clarius confirmat Innocentius II. in c. Fratres, dicens: *Falsa fit poenitentia cum poenitens ab officio vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione praevalet* = (1).

3. Si tandem occasio proxima sit penitus voluntaria, hanc semper devitandam esse Theologi omnes communi calculo fatentur. Ejusmodi veritatem divina oracula praesertim ostendunt. Nam Christus Matthaei cap. 5.

(1) Idipsum tenent Viva in prop. 41. ab Alexandro VII. proscripta N. 17., La-croix Theol. mor. lib. 5. Cap. 2. dub. 3. Quaest. 45. §. 9., Antoine Theol. mor. tom. 3. parte 1. Tract. de Poenitentia Cap. 3. art. 3. Quaest. 6. Respons. 4., Continuator Tournelii tom. 2. Tract. de peccatis parte 1. Cap. 2. art. 2. in append. Reg. 3., aliique plures, quorum B. de Ligorio loco sup. cit. profert auctoritatem.

v. 29. et 30. ait: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te..... et si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam, et projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus eat in gehennam:* item Lucae cap. 9. v. 25. *Quid proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui faciat?* Eandem veritatem confirmat decretum Innocentii XI. editum an. 1679., in quo sub N. 62. sequens damnatur propositio: *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.* Postremo accedit ratio naturalis, qua sic argumentamur. Occasio, de qua disserimus, ita proxime connexa est peccato, ut, ea posita, velut ejusdem effectus peccatum consequatur. *Nunquid* enim *potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non ardeant; aut ambulabit super prunas, ut non comburantur plantae ejus?* (1). Jam vero praeceptum quodlibet vetans peccatum vetat etiam quidquid proxime peccato jungitur, ejusque est causa. Quemadmodum ergo vitandum est peccatum, declinanda pariter est occasio peccati proxima, et voluntaria.

(1) Proverbiorum Cap. 6. v. 27. 28.

§. CXIX.

Occasionem peccati generatim appellavimus (§. CXVI.) circumstantiam extrinsecam praebentem homini lapsus periculum. Ab hac ergo summopere differt prava consuetudo, quae ab intrinseco procedit, quaeque definiri potest quaedam in malum aliquod animi propensio exorta et firmata e saepe repetitis actibus vitiosis. In sanando pravae consuetudinis morbo difficultas maxima occurrit; nam, ut inquit D. Basilius in regulis fusius disputatis Quaest. 6. *consuetudo vetustate firmata naturae vim solet nancisci.* Quantumvis porro sit arduum consuetudinem pravam abrumpere; nihilo secius desperandum non est de peccantis emendatione, sed illi adjumenta congruit afferre, quibus, ope coelesti juvante, valeat a consuetudinis vinculo dissolvi. Haec adjumenta, quae plura sunt, numerantur a P. La-croix lib. 6. Theologiae moralis Parte 2. Tractatu 4. cap. 2. dub. 6. Quaest. 264. consuetudinarium sic monente: = 1. Praecipuum, et universale remedium ad omnia vitia extirpanda, et inserendas virtutes est, ut humiliter et frequenter cum fiducia ores Deum pro gratia et auxilio, ac crebro per pias aspirationes ad eum recurras. 2. Mane propone cavere tale vitium, et vespere de illo

examen institue. 3. Frequenter confitere, et quidem statim, si in peccatum fueris relapsus. 4. Frequenter sume Eucharistiam. 5. Fuge improborum, et sectare proborum societatem. 6. Lege pios libros, et praesertim Scripturam. 7. Considera vitam Christi et Sanctorum. 8. Cogita praesentem tibi semper Deum et Angelos. 9. Poenas peccatorum perpende, et e contra gaudium ac felicitatem justorum. 10. In poenam relapsus afflige quandoque corpus per jejunium, cilicium, flagellum, injunge tibi eleemosynam, exerce aliquod opus charitatis, misericordiae, humilitatis. 11. Necessaria est tibi magnitudo animi ad ineunda haec certamina, certumque victoriae signum est victoriam magnanimiter sperare. 12. Etiam perseverantia necessaria est; quare nunquam desponde animum. Licet millies cadas, surge statim, et innova pugnam: ille solum est victus, qui, armis et voluntate pugnandi abjectis, se adversario turpiter dedit. 13. Quamvis non statim advertas profectum, non ideo nihil profecisti: nam ut horologii umbram progressam videmus, progredientem non avertimus, ut segetes crevisse apparet, non apparet crescere, ita virtutem crescentem, quoniam minutis constat auctionibus non facile videas, sed tandem longiore intervallo crevisse videbis: labor ipse pugnandi

est continuus profectus in humilitate, et patientia, quae etiam conferent ad vitii victoriam =. Hactenus praecitatus auctor. Nec praeterire decet, opus esse, ut consuetudinarius eodem constanter utatur prudenti Confessario, ejusque consilia sectetur. Interim confessarii munus erit e remediis jam recensitis opportuniora seligere, magisque accomodata circumstantiis et conditioni poenitentis. Horum usum hortando magis, quam jubendo, ipsi persuadeat, eumque non aspere, sed benigne semper excipiat. Animadvertimus denique mitius agendum fore cum poenitente vitiosis habitibus irretito, quam cum eo, qui voluntaria detinetur occasione; siquidem facilius est homini liberam occasionem dimittere, quam pravum habitum superare. (1).

CAPUT QUINTUM

DE CAUSA PECCATI EFFICIENTE.

§. CXX.

Creatura quaelibet rationalis, et libera in optione boni vel mali, causa dicitur ef-

(1) Haec satis dicta sint in capite jam absoluto de occasione et consuetudine peccati. Reliqua plurima, quae de utraque reperiuntur apud Ethicae Sacrae scriptores congruenti loco videbimus Institutionum lib. 4., ubi de absolutione Sacramentali disputabitur.

ficiens *proxima*, et *immediata* peccati, dum legem transgreditur. Causa vero efficiens *mediata* et *remota* ea est, quae licet per se peccatum non operetur, in illud tamen interius vel exterius efficaciter influit. Hoc autem duplici posito influxu, patet, modo interiorem esse posse mediatam causam peccati, modo etiam exteriorem. De utroque causarum genere cum in praesens disseratur, inquirendum a nobis est, an causae interiores peccati sint, ignorantia, concupiscentia, et malitia? an daemones, homines, ac ipse Deus inter exteriores peccati causas debeant referri? Ut ordinatim in hisce omnibus investigandis progrediamur, argumentum integrum capitis bifariam dividimus, ejusque partitionem sequentes articuli exhibebunt.

ARTICULUS PRIMUS

De interioribus causis peccatorum.

§. CXXI.

Ut liquido constet, num et quando ignorantia sit causa peccati, distinctio, quam alibi tradidimus, inter ignorantiam antecedentem, et consequentem rursus in medium proferatur (1). Si antecedens fingatur igno-

(1) Heic revocentur quae de ignorantia diximus Instit. lib. 2. §. 24. et 25.

rantia, causa quidem haec erit operis materialiter vitiosi, non enim illud poneretur, ignorantia remota: cum vero eadem sit invincibilis, peccatum necessario reddit penitus involuntarium. Sed quod peccatum efficit omnino involuntarium, causa nequit esse peccati formaliter accepti. Causa igitur peccati formalis nullatenus est ignorantia antecedens. Aliter de ignorantia consequente dicendum: haec siquidem non modo est causa peccati materialiter sumpti, quatenus impedit scientiam, quae si non deesset, peccatum non admitteretur; sed ulterius est causa, cur ponatur actus formaliter malus, quia, cum sit vincibilis, non aufert voluntarium. Huic veritati suffragantur Scripturae Sacrae, quibus innixi argumentum ita conficimus. E prophetarum oraculis, e signis plurimis, quae fecerat Christus, tam luculenter ipsius divinitas prodibat, ut Messiae adventus latere non poterat judaeos, nisi caecutire voluissent. Hunc ergo vincibiliter ignorarunt, eorumque ignorantia causa fuit horrendi facinoris ab iisdem in Auctorem vitae patrati; nam, ut inquit Apostolus 1. ad Corinthios cap. 2. v. 8., *si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* Sed in hoc procul dubio judaei formaliter peccarunt, adeoque peccarunt, ut in tanti sceleris poenam tota eorum gens a Deo

meruerit in perpetuum reprobari. Ergo causa peccati formalis est ignorantia consequens ac vincibilis.

§. CXXII.

Concupiscentia sive antecedens, sive consequens alia est interior peccati causa: persaepe namque inordinatis ac vehementibus appetitus sensitivi motibus ita concutitur homo, ut contra rectae rationis normam operetur. Concupiscentiam fore causam peccati eruitur in primis ex Daniele seniorem judicem Israel sic alloquente cap. 13. v. 56. *concupiscentia subvertit cor tuum.* Idipsum quoque testatur D. Jacobus cap. 1. v. 14. dicens: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus: deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum* (1).

§. CXXIII.

Ad malitiam postremo deveniamus, quae tum gignere culpam dicitur, cum lapsus non ex defectu debitae cognitionis, non e passionis aestu procedit, sed a plena voluntatis deliberatione. Quod a malitia, velut ab interiori causa, peccatum exoriatur sic concludendo probamus. Experientiam si consu-

(1) Ne dicta repetantur, vide quae diximus Instit. lib. sup. cit. §. 36. et 37.

lere libeat, perspicuum erit, plurima fieri peccata, quorum causa non est ignorantia, non impetus inordinatus appetitus sensitivi, sed animi perfecta deliberatio. Atqui malitiae peccata haec nuncupantur. Malitia igitur altera est interna causa peccati. Exemplum id generis habemus in lapsu Angelorum, et Adae; nam ratione status, in quo naturaliter a Supremo rerum Opifice conditi fuere, tum ab ignorantia, tum a concupiscentia prorsus erant immunes.

ARTICULUS SECUNDUS

De causis peccatorum externis.

§. CXXIV.

Cum hoc loco perpendendae sint exteriores causae peccati, sermo nobis primum de daemone occurrit, qui, *sicut de Proteo dictum est, formas se vertit in omnes, hostiliter insequens, fallaciter subveniens, utrobique nocens* (1). Tria potissimum circa formidolosum hunc tenebrarum principem resolvenda Theologi proponunt. Quaerunt, scilicet, num reapse daemon causa peccati dici possit? Item quomodo in peccatum hominis ille concurrat? Demum an valeat homines

(1) Ita D. Augustinus lib. 10. de Civitate Dei Cap. 10.

ad culpam necessario pertrahere? Singula ut explanentur, sit

Resolutio 1. Divinae Literae semel iterumque testantur, innumeris prope modis daemonem hominibus insidiari, ut eos ad aeternam perditionem deducat. Nam, ut ibidem refertur, Satan jam exordio mundi Hevam tentavit in Eden sub specie serpentis (1): tentavit diris calamitatibus, plagisque patientissimum Idumaeum, ut ejus frangeret virtutem (2): tentavit Ananiam, et Saphiram (3): tentavit Judam Iscariotem, ceterosque Apostolos, (4) ac ipsum Servatorem Christum in deserto (5). Praeterea describitur a D. Petro Ep. 1. cap. 5. v. 8. veterator hic adversarius *tamquam Leo rugiens*, qui *circuit quaerens, quem devoret*. Postremo in Evangelio Lucae cap. 11. v. 24. diabolus immundi spiritus nomine vocatur, qui, cum exierit ab homine veluti e mansionis loco, alios spiritus advocat nequiores se, domumque rursus ingreditur, *et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus*. Quibus positis auctoritatibus, hac ratione concludimus. Ille profecto dicendus est peccati

(1) Geneseos Cap. 3.
(2) In libro Job Cap. 1. et 2.
(3) In Actibus Apostolorum Cap. 5. v. 3.
(4) In Evangelio Lucae Cap. 22. v. 3. et 31.
(5) Apud Matthaeum Cap. 4. v. 1.

causa, qui homines incitat ad peccandum, eosque ad spiritualem interitum impellere conatur. Atqui diabolus e superius exaratis id praestat. Ergo est causa peccati (1).

Resolutio 2. Juxta D. Thomae doctrinam, quam ceteri universim amplectuntur, diabolus fit causa peccati visibiliter aut invisibiliter hominem ad malum incitando. Visibiliter id contingit, cum speciem aliquam assumens homini sensibiliter daemon apparet, eumque verbis aliisve signis ad culpam sollicitat. Idipsum invisibiliter etiam fieri potest duplici modo, persuadendo, videlicet, ac disponendo. Priori modo in culpam diabolus influit, cum interius malum intellectui sub specie boni repraesentat, illudque voluntati sectandum proponit. Influit altero quoque modo per commotionem spirituum et humorum disponens aliquem ad irascendum, vel ad concupiscendum: etenim, sensibus corporeis ita dispositis, cum homo propensior sit ad iram, vel concupiscentiam, insurgentibus appetitus sensitivi motibus, hic facilius perducitur ad consensum. En, quo pacto diabolus aut visibiliter sollicitando, aut invisibiliter suadendo ac disponendo inducere valeat hominem ad peccandum (2).

(1) Consulatur D. Thomas Quaest. 3. de malo art. 3.

(2) Hac de re fusius agit ibidem Angelicus Doctor art. 4., et 1. 2. Quaest. 80. art. 1. et 2.

Resolutio 3. Cavendum porro, ne dicatur, humanam voluntatem a daemone physice ad culpam impelli. Id enim haud unquam fieri posse, triplici pacto demonstratur.

A Sacris Literis ordiamur. D. Petrus loco superius citato fideles admonet, ut vaferrimo animarum hosti resistant *fortes in Fide.* Item D. Jacobus inquit cap. 4. v. 7. *resistite diabolo, et fugiet a vobis.* Pariter D. Paulus ad Ephesios cap. 6. v. 11. et 16. ita scribit: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli...... in omnibus sumentes scutum Fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Jam vero, si daemon voluntatem hominis cogere posset, eique necessitatem afferre peccandi, nemo certe huic adversario resistere, nemo hunc ad fugam adigere, nemo hujus tela extinguere valeret. Sed contra, Dei gratia juvante, id praestare quisque potest, secus perperam ad pugnandum in Sacris Literis cohortaremur. Nequit igitur daemon inducere in homine peccandi necessitatem.

Sanctorum quoque Patrum suffragio haec ipsa veritas roboratur. Nam Chrysostomus Hom. 2. de Lazaro N. 2. ait: *Perspicuum est in nobis situm esse, ut vel obtemperemus vel non obtemperemus* diaboli *consiliis, nec nos ullam necessitatem, neque tyrannidem pati*

ab illo. Accedit Hieronymus in cap. 5. Matthaei dicens: *diabolus adjutor et incensor malarum cogitationum potest esse, auctor esse non potest.* Idipsum docet Augustinus serm. 3. in Psal. 143. cap. 8. N. 11. ita scribens: *Etsi diabolus aliquando aliquid suggerit, consentientem tenet, non cogit invitum.* Tandem Ven. Beda in cap. 4. Matthaei haec habet: *diabolus, qui omnes cadere vult, persuadere potest, praecipitare non potest.*

Postremum denique locum obtineat ratio naturalis, qua cum Angelico Doctore sic argumentamur. Vel daemon ita mentem perturbat, et commovet appetitum sensitivum, ut liberum rationis exercitium prorsus impediatur, vel non. In prima hypothesi cogere quidem potest hominem ad actum extrinsecum materialiter peccaminosum, ut in energumenis quandoque contingit, non vero ad culpam formalem: tum quippe, ratione penitus alligata, non imputatur homini peccatum, cum ei desit libertas arbitrii, sine qua nullus actus esse potest voluntarius, ideoque nec formaliter malus. In altera hypothesi, cum ratio non omnino afficiatur impedimento, sufficiens libertas homini superest ad agendum. Ergo diabolus malum utique suadere valet, directe tamen movere nequit hominis voluntatem, eique necessitatem inferre. Voluntas enim in actibus

elicitis necessitatem non patitur (1); idcirco resistere potest peccato, pravamque inimici depellere suggestionem (2).

§. CXXV.

Inter exteriores peccatorum causas recensentur et homines. A protoparente exordiamur, de quo scribens Apostolus ad Romanos cap. 5. v. 12. ait: *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit.*

Profecto *per unum hominem*, scilicet, per Adam *intravit in mundum* originale *peccatum.* Ex quo enim hic divinum transgressus est mandatum, justitiam, in qua conditus fuerat, illico amisit: cumque in se gereret omnium personam dum peccavit, inde factum est, ut ejus quoque posteri eandem justitiam perdiderint. Consistit autem in hac justitiae privatione originale peccatum. Hoc igitur ob primum lapsum in universum hominum genus per carnalem generationem pertransiit. Unde patet, Adam veram causam fuisse noxae originalis, quae in ejus dimanavit progeniem, humanamque naturam infecit (3).

(1) Hujusmodi veritas jam satis probata fuit Instit. lib. 1. §. 29.

(2) Consule D. Thomam ibidem art. 3.

(3) Catholica doctrina, quam obiter hic attigimus, miro modo adversus novatores explicatur, atque defenditur a Concilio Tridentino Sess. 5. in decreto de peccato originali.

Rursus *per unum hominem* actuale *peccatum in mundum intravit.* Siquidem non modo suae propagini transmisit Adam vitium originis, sed eam ulterius multiplici vulnere sauciavit. Intellectui vulnus intulit in primis Adae peccatum menti offundens tenebras erroris ac ignorantiae tum circa finem ultimum hominis, tum circa media congruentia ad finis consecutionem (1). Vulnus intulit infirmitatis, et concupiscentiae in appetitu sensitivo: deperdita namque justitia originali, factum est, ut facultas irascibilis in rationem, cui subesse debet, plerumque teneat imperium, et caro adversus spiritum identidem insolescat, et pugnet. Malitiae vulnus intulit quoque voluntati: processit enim ex Adae praevaricatione proclivitas in malum, ob quam tum in vitiis superandis, tum in virtutibus excolendis tantam experimur difficultatem. Haec porro vulnera totidem sunt veluti radices, e quibus germinant cuncta crimina, quae in mundo perpetrantur (§. CXXI. CXXII. CXXIII). Ergo causa peccati actualis, quod mundum undique pervadit, primo homini tribuenda est.

(1) Lacrymabilis hominum ignorantia circa finem ultimum, qui Deus est, apparet e veteribus philosophis, qui tot inania et absurda de Summo Bono disputantes excogitarunt. Horum deliramenta in lucam profert D. Augustinus lib. 19. de Civit. Dei Cap. 1. et seq.

Praeter Adam ceteri etiam homines exrinsecae fieri possunt peccatorum causae, quoties pollicitationibus, hortationibus, vel minis aliquem ad culpam alliciant, provocent, aut impellant. Exemplum de hisce peccatorum causis habemus in lib. Numerorum ubi cap. 31. v. 16. Moyses de mulieribus Madianitis inquit: *Nonne istae sunt, quae deceperunt filios Israel in suggestione Balaam et praevaricari vos fecerunt in Domino super peccato Phogor?*

§. CXXVI.

Quamquàm per se manifesto pateat, causam peccati nec esse nec fingi posse Deum Optimum Maximum, quem Scripturae Sacrae magnificum in sanctitate, sanctum in omnibus operibus suis disertissime pronuntiant (1); nihilo tamen secius homines perditissimi non defuerunt, quos non puduit ore blasphemo in orthodoxam hanc veritatem consurgere. Primus e veteribus, qui Deum peccati auctorem fecisse videtur, fuit Simon magus, cum juxta Lirinensem docuerit hominem a Deo recepisse naturam, cui peccandi necessitas inhaeret (2). Impudentius adhuc eundem tradidit errorem Flori-

(1) Exodi Cap. 15. v. 11. et Psalmo 144. v. 13.

(2) Ita ex Vincentio Lirinensi in Commonitorio adversus profanas vocum novitates.

nus Montani discipulus, quem scriptis D. Irenaeus invicte refutavit (1). Hisce adjiciantur Cerdoniani (2), Marcionitae (3), Manichaei (4), Priscillianistae (5), et Albigenses, qui, duplex rerum principium cum ponerent, homines a Deo malo ad culpam impelli dixerunt (6). E recentioribus hac in re dogmati catholico adversati sunt Libertini (7), et Protestantium antesignani. Docuit siquidem Lutherus, Deum omnia bona, et mala in nobis operari (8). Docuit Melanchton opus Dei proprium fuisse crimen Davidis perinde ac ejus opus fuit Pauli vocatio (9). Docuit Zuinglius hominem a Deo cogi ad peccandum: adulterium et homicidium Dei opus esse auctoris, motoris, et impulsoris (10). Docuit Calvinus, Deum non

(1) Hac de re testem habemus Eusebium lib. 5. Hist. Eccl. Cap. 20.

(2) Ex Tertulliano lib. de Praescriptione adversus haereticos.

(3) Ex Irenaeo lib. 1. adversus haereses Cap. 29.

(4) Ex Augustino lib. de haeresibus Cap. 49.

(5) Ex D. Leone Magno Ep. ad Turbium 93. Cap. 6.

(6) Ex D. Antonino Summae Theologicae parte 4. tit. 11. Cap. 7. §. 5.

(7) Ortum libertinorum sectae dederunt sutores Flandri Coppinus, et Quintinus, quorum historiam, tum in instructione contra Libertinos, tum in Epistola ad Rotomagenses, exhibet Joannes Calvinus.

(8) Lib. de servo arbitrio tom. 2.

(9) Annotat. in Epistolam ad Romanos Cap. 8.

(10) Sermone de Providentia ad Philippum Cattorum principem Cap. 6.

modo permittere, sed velle, decernere, praecipere peccatum; ac proinde quidquid Satan in Job, quidquid Semei contra David, quidquid contra Christum Judaei moliti sunt, non solum permissu, sed decreto, jussu, et imperio Dei facta fuisse (1). En praeclara morum principia, quae tantos decebant Ecclesiae reformatores.

§. CXXVII.

Ut adversarii de Deo tam prave sentientes profligentur, summam totius disputationis in hoc argumento concludimus.

Absurdum, et impium est de Deo praedicare quod Scripturarum oraculis, quod Sanctorum Patrum auctoritati, quod Ecclesiae Catholicae sanctionibus, quod rationi demum repugnat. Verum quatuor hisce veritatis fontibus directe opponitur novatorum doctrina, quae Deum facit motorem, impulsorem, et auctorem peccati. Haec igitur absurda simul et impia dicenda est.

Pars prior minoris proposit. demonstratur.

Motor, impulsor, auctor nequit esse peccati, qui culpam nec admittere nec velle potest, eamque odit et vetat. Sed juxta Sacrarum Literarum testimonia 1. Deus peccare nequit: legitur enim in Ep. ad Romanos

(1) Lib. 1. Institut. Cap. 18. §. 4., et lib. 2. Cap. 4. §. 2.

cap. 9. v. 14. *Nunquid iniquitas apud Deum? Absit:* et in Ep. 1. Joannis cap. 3. v. 5. *Peccatum in eo non est.* 2. Deus non vult peccatum: David siquidem Ps. 5. v. 5. ait: *Non Deus volens iniquitatem tu es.* 3. Deus peccatum abhorret: nam scriptum est in libro Sapientiae cap. 14. v. 9. *Odio est Deo impius et impietas ejus*: item Ps. 44. v. 8. *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem.* 4. Deus tandem peccatum prohibet dicens Deuteronomii cap. 5. *Non occides, neque moechaberis, furtumque non facies, nec loqueris contra proximum tuum falsum testimonium* etc. Liquet ergo e Sacris Literis motorem, impulsorem, auctorem peccati Deum nullatenus esse posse. Pugnant igitur Scripturae Sacrae cum novatorum doctrina.

Pars altera demonstratur.

Eandem quoque doctrinam Sancti Ecclesiae Patres unanimi consensu repudiant.

Inter graecos hanc respuit in primis D. Justinus in dialogo cum Triphone ita scribens: *Illud etiam docui, Deum non esse causam, cur ii, quorum peccata ante cognita sunt, sive angeli, sive homines improbi efficiantur; sed sua quisque culpa tales sunt.* Item D. Irenaeus, Eusebio teste lib. 5. Hist. Eccl. cap. 20. sic Florinum culpam Deo tribuentem insectatur: *Haec dogmata, Florine, ut parcissime, ac levissime dicam,*

non sunt sanae doctrinae: haec dogmata dissentiunt ab Ecclesia, et in maximam impietatem eos conjiciunt, qui illis assentiuntur: haec dogmata nec ipsi quidem haeretici extra Ecclesiam positi proferre unquam ausi sunt. Accedit pariter D. Gregorius Nazianzenus, qui Orat. 1. in Julianum ait: *Deus nullo modo causa est mali, quippe natura bonus, vitiumque ejus est, qui eligit.* Cum Nazianzeno apprime concinit Homil. 23. in Acta Apostolorum hisce verbis D. Chrysostomus: *Nullus dicat, Deus nobis auctor malorum est.* Heic adjiciatur D. Epiphanius, qui Haeresi 66. *Absurdum est, inquit, malitiam Deo tribuere: Divinae et Ecclesiasticae Scripturae character hoc confitetur, Deum penitus alienum, et impermixtum a malo esse: Deus enim nihil mali fecit, sed omnia valde bona.*

Modo Latini Patres audiantur, e quibus D. Ambrosius haec habet lib. de Paradiso cap. 15. *Deus operatur quod bonum est, non quod malum:* et lib. 1. Hexaemeron cap. 8. *tu ipse tibi es causa improbitatis, tu ipse dux flagitiorum tuorum, atque incentor criminum. Quid alienam naturam arcessis ad excusationem tuorum lapsuum?* Idipsum semel iterumque tradit Hipponensis Episcopus. Ita namque ille scribit lib. 13. de Trinitate cap. 12. N. 16. *Modus quo*

traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tamquam hoc Deus fecerit, aut fieri jusserit, sed quod tantum permiserit: et lib. 2. de peccatorum meritis, et remissione cap. 17. N. 27. *Nullius culpae humanae in Deum referas causam*: et Epist. 194. ad Sixtum N. 30. *iniquitatem..... damnare novit ipse, non facere:* et lib. de praedestinatione Sanctorum cap. 10. *Praedestinatio sine praescientia esse non potest: potest autem esse sine praedestinatione praescientia. Praedestinatione quippe Deus ea praescivit, quae fuerat ipse facturus...... praescire autem potens est etiam, quae ipse non facit, sicut quaecumque peccata.* Magistri sui Augustini vestigia fidissime sectatur D. Prosper ad Capitula Gallorum cap. 12. ita respondens: *Voluntas Dei nunquam vult, nisi bona: praescientia autem et bona noscit et mala: sed bona, quae aut ipse facit, aut etiam ut nos faciamus imperat: mala autem, quae omnino ipse non facit, nec fieri suasit, aut impulit.* Postremo, ut ceteros mittamus, D. Fulgentius hic locum obtineat, qui lib. 2. ad Monimum sic eum alloquitur: *Congruit fidelibus credere et fateri Deum praescivisse quidem peccaturos homines, quia nihil eum latere potuit futurorum: non tamen praedestinasse quemlibet hominem ad pec-*

catum, quia si ad peccatum aliquod hominem Deus praedestinaret, pro peccatis hominem non puniret.

Pars tertia demonstratur.

Novatorum doctrinae auctoritas Ecclesiae Catholicae penitus contradicit. Luculenter id patet ex Concilio Arausicano II., ubi sic veritas definitur cap. 23. *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet*: et cap. 25. *Aliquos ad malum divina potestate praedestinatos non solum non credimus, sed etiam, si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Haec eadem verba in Can. 3. Concilii Valentini III. usurpata videmus (1). Idipsum tandem Oecumenica Synodus Tridentina Sess. 6. Can. 6. hoc pacto decernit: *Si quis dixerit..... mala opera ita ut bona Deum operari non permissive solum, sed etiam proprie, et per se, adeo ut sit ejus proprium opus non minus proditio Judae, quam vocatio Pauli, anathema sit.*

Posterior pars demonstratur.

Ratio quoque naturalis doctrinam novatorum evertit: quod ut patescat, hoc unum argumentum ab Entis necessarii notione de-

(1) Acta utriusque Concilii conspici poterunt in collectione Labbei ad annum 529. et 855, tom. 15. Venetae editionis.

promptum seligamus. Si Deus induceret, praeordinaret, impelleret homines ad culpam, profecto eam vellet. Sed peccatum velle malum est. Mala igitur esset in hac hypothesi divina voluntas. At ubi mala voluntas ibi defectus bonitatis: ubi vero bonitatis defectus, ibi nec summa bonitas. Ergo, posita novatorum doctrina, sponte consequeretur, in Deo nec summam bonitatem admitti posse, nec infinitam perfectionem. Sed huic consectario ratio naturalis opponitur: nam certo metaphysice constat, Deum fore in omnibus infinite perfectum; est enim Ens necessarium. Haec igitur aeque repugnat adversariorum principiis, e quibus tam absurdum consectarium legitime descendit (1).

§. CXXVIII.

Adversus catholicam veritatem, quam nuper ostendimus, insurgunt haeretici, nobisque tum Scripturae Sacrae auctoritatem, tum doctrinam D. Augustini, tum argumenta rationis objiciunt. Horum difficultates ut

(1) Deum nullatenus esse posse causam peccati aliis pluribus momentis rationum ostendunt Ambrosius lib. 1. Hexaemeron Cap. 8., Augustinus lib. 83. Quaestionum Quaest. 3., Anselmus de libero arbitrio Cap. 8., et Fulgentius lib. 1. ad Monimum Cap. 21. 22. 23. Quae cuncta videantur apud Bellarminum loc. sup. cit. Cap. 10.

rite in lucem proferantur, Calvinianum hominem ita disserentem fingamus.

Deum peccati auctorem undique fere Sacrae Literae pronuntiant.

Nam 1. ex iis apparet, Deum velle peccatum. Id potissimum constat e libro Genesis, ubi cap. 45. v. 8., et cap. 50. v. 19. Joseph scelus fratrum hisce verbis excusat: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.... Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati?*

2. Patet insuper, Deum inter homines ac per homines velut per totidem instrumenta peccatum operari. Hac de re Deum ipsum testem habemus, qui 2. Regum cap. 12. v. 11. et 12. sic David affatur: *Ego suscitabo super te malum de domo tua, et tollam uxores tuas in oculis tuis, et dabo proximo tuo... tu enim fecisti abscondite; ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis.* Item apud Isaiam cap. 45. v. 5. et 7. ait: *Ego Dominus... faciens pacem, et creans malum.*

3. Deus quandoque seducit ac decipit homines, ut peccent. Inquit enim Jeremias cap. 20. v. 7. *Seduxisti me, Domine, et seductus sum.* Fertur autem 3. Regum cap. 22. Deum misisse spiritum nequam, ut deciperet Achab, eique dixisse: *decipies, et praevalebis: egredere, et fac ita....... igitur*

dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum.

4. Persaepe Deus etiam hominem inclinat et incitat ad peccandum. Res comprobatur exemplis. *Tentavit Deus Abraham:* Geneseos cap. 22. v. 1. *Convertit cor inimicorum, ut odirent populum ejus, et dolum facerent in servos ejus:* Psalm. 104. v. 25. *Addidit irasci furor Domini contra Israel, commovitque David in eis dicentem: vade: numera Israel, et Judam:* 2. Regum cap. 24. v. 1. In hac porro numeratione David valde peccavit, ut ibidem v. 10. ipse fatetur. Quapropter Matthaei cap. 6. v. 13. nos admonet Christus, ut Deum Patrem apprecemur, *ne nos in tentationem inducat.* Sic profecto Regius Psaltes Dominum exorabat Ps. 140. v. 4. dicens: *Non declines cor meum in verba malitiae.*

5. Deus interdum excaecat mentes hominum, eorumque corda obdurat in malo, ut bonum operari nec velint nec possint. Disertis verbis hoc testatur Apostolus ad Romanos ita scribens cap. 9. v. 18. *Deus cujus vult miseretur, et quem vult indurat.* Id autem de Pharaone, ac Sehon contigisse traditur Exodi cap. 10. v. 20. et Deuteronomii cap. 2. v. 30. De judaeis idipsum factum esse docet Joannes cap. 12. v. 39. et 40: ait siquidem: *Propterea non poterant*

credere, quia iterum dixit Isaias: excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur. De ethnicis tandem Paulus ibidem cap. 1. v. 24. 26. 28. haec habet: *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam.... in passiones ignominiae... in reprobum sensum, ut faciant ea, quae non conveniunt.*

6. Quid plura? Nonne Deus in Sacris Literis jubere dicitur, ac decernere culpam? Ita sane. Legitur namque 2. Regum cap. 16. v. 10. 11. de Semei conviciis persequente David: *dimitte eum, ut maledicat juxta praeceptum Domini.* Item in Actibus Apostolorum cap. 2. v. 23. D. Petrus judaeos alloquens de Christo ab ipsis interfecto inquit: *Hunc definito consilio, et praescientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis.* Clarius adhuc veritatem hanc ibi sic fatentur Apostoli cap. 4. v. 27. 28. *Convenerunt vere in civitate ista adversus Sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, et Pontius Pilatus cum gentibus, et populis Israel facere, quae manus tua, et consilium tuum fieri decreverunt.*

At non modo Calvino favent Scripturae Sacrae; verum etiam inter Patres ejus doctrinam tenet D. Augustinus de gratia et libero arbitrio cap. 21; cum plane asserat,

Deum positive inclinare hominem ad culpam. En ipsius verba: *Operatur Deus in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis earum, judicio utique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper tamen justo.*

Alterum Calvini praesidium est ratio naturalis, qua duce, haec potissimum catholicis opponuntur.

1. Deus potest velle ac decernere peccatum, quin ipse culpa maculetur. Ergo divinae sanctitati vel minime detrahunt novatores, cum Deum peccati faciunt auctorem.

Probatur antecedens. Deus quidem absque culpa vult, ac decernit poenam, quae peccatis debetur. Sed unum peccatum saepissime alterius est poena. Ergo Deus potest velle ac decernere peccatum in poenam alterius, quin peccet. Quo in casu, praecise loquendo, Deus vult ac decernit peccatum, non prouti peccatum est, sed quatenus est poena peccati.

2. Nec alienum est a Dei bonitate velle qualecumque peccatum, licet hoc ad poenam alterius ab eo non ordinetur. Tota namque peccati malitia in prava consistit voluntate hominis, qui, dum operatur ut suis indulgeat cupiditatibus, malum finem

sibi proponit. At Deus, qui modo parcendo, modo etiam puniendo gloriae suae magnificentiam ostendit, optimo sane consilio vult in suis creaturis peccatum, ut erga eas misericordiam et justitiam sapienter exerceat. Quin immo peccatum necesse est ut velit; secus deesset, quem vel clementer a suppliciis eriperet, vel juste damnaret.

3. Peccatum vere ac proprie transgressio legis definitur. Legis transgressio fieri nequit ab eo, qui legi non subjacet. Nulli autem legi subjicitur Deus, aliter non esset a se. Potest igitur Deus pro lubitu velle peccatum in creaturis, easque ad lapsum compellere, quin ulla peccati labe inquinetur.

4. Cum Servator dixerit Joannis cap. 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere;* inde concludunt catholici scriptores, Deum influere in omnes hominum actus sive bonos, sive malos, eisque peccantibus auxilium praebere. Id vero satis: nam, hocce semel ab iis posito concursu, velint, nolint, Deum, ut causam peccati effectricem, agnoscant oportet.

§. CXXIX.

Haec sunt praecipua, quae per auctoritatis, et rationis abusum objectant novatores: quae singula ut pro viribus dirimamus, nulla mora sic adversarios aggredimur.

Refelluntur difficultates ex utroque Foedere depromptae. Ad errorem suum propugnandum Calvinus divina oracula hic in pravum sensum detorquet. Ejusmodi Sacrarum Scripturarum abusus adeo novatoribus familiaris ut probe innotescat, operae pretium erit loca nobis opposita vel e contextu explicare, vel cum locis parallelis conferre. Hac quidem ratione fiet, ut, eorum vera significatione perspecta, planeque cognita, nullo labore inimica tela confringantur.

Peculiariter itaque ad 1. reponimus ex historia Joseph, quae in libro Genesis refertur, nullatenus comprobari Deum velle peccatum. Res patet ex cap. 50. v. 20., ubi Joseph ita fratres alloquitur: *Vos cogitastis de me malum.* En actio mala tantummodo a voluntate humana, uti a causa efficiente, procedens, quam Deus neque vult neque praedefinit, sed praescit atque permittit, ne libero vim inferat hominis arbitrio. Subdit autem: *Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me sicut in praesentiarum cernitis, et salvos faceret multos populos.* En bona operatio Dei, qui, scelere filiorum Jacob praeviso ac permisso, illud in optimum finem ordinavit. Nec nobis officiunt verba: *non vestro consilio, sed Dei voluntate missus sum huc.* Sic enim dixit

Joseph, ut fratres nimio timore dejectos consolaretur, eisque ostenderet, se crimen, quo Madianitis traditus fuerat, mente non revolvere; sed divinam potius Providentiam admirari, quae iisdem usa est mediis, quibus ille perdendus erat, ut ingrederetur in Aegyptum, atque ad summum gloriae fastigium pro salute multorum, ipsiusque familiae Jacob eveheretur (1). Alia porro verba *nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati?* minime denotant, fratres Joseph divinitus fuisse compulsos ad malum; verum ad Joseph tantum referuntur, qui non poterat absque culpa Deo resistere volenti, ut fratribus ignosceret. Hujusmodi sensus apprime concordat cum textu hebraico in hoc a vulgata discrepante: ibi namque legimus: *al tirau chi atachat Eloim ani:* quae voces latine redduntur *ne timeatis, quia sub Deo ego sum;* videlicet, ut exponit Chrysostomus, quia Deum pertimesco, eique injuriarum praecipienti oblivionem toto animo subjicior et pareo (2).

Ad 2. Cum in Sacris Literis Deus dicitur malum operari, de malo agitur poenae; quod sapientissime a Deo ipso vel ad virtutem perficiendam ordinatur, vel ad cul-

(1) Ita hunc locum interpretentur D. Chrysostomus Homil. 64. in Genesim, et D. Ambrosius lib. de Joseph Cap. 12.

(2) Ex Homilia in Genesim posteriori.

pam vindicandam. Hoc praenotato ad Isaiae locum ita respondemus. Malum, quod juxta Prophetam a Domino creatur, malum est poenae; Deus enim justus est: culpae vero malum esse nequit; hoc quippe, cum aeternae legi adversetur, nequaquam a Deo fieri potest, quia sanctus est (1). Non absimili ratione difficultatem solvit Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 14. de haereticis aevi sui eadem Isaiae verba illi opponentibus haec scribens: = Amplexi communionem vocabuli duas malorum species in ambiguitate turbantem, quia mala dicuntur et delicta et supplicia, passim volunt Deum conditorem intelligi malorum, ut malitiae auctor injuste renuntietur. Nos autem, adhibita distinctione utriusque formae, separatis malis delicti, et malis supplicii, malis culpae, et malis poenae, suum cuique parti definimus auctorem: malorum quidem peccati et culpae diabolum: malorum vero supplicii et poenae Deum creatorem; ut illa pars malitiae deputetur, ista justitiae mala condentis judicia adversus mala delicta. De his ergo creator profitetur malis, quae congruunt judici: quae quidem illis mala sunt, quibus rependuntur; ceterum suo nomine bona, qua justa, et bonorum defensoria, et

(1) Haec habet in ipsum Isaiae caput D. Hieronymus.

delictorum inimica, atque in hoc ordine Deo digna =. Nec obstat Regum historia, dum incestus Absalom auctorem Deum facere videtur. Nam, ut apposite inquit Joannes Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa cap. 20., = Scire illud attinet, in Scripturae more positum esse, ut Dei permissionem ipsius actionem appellet =. Quare cum ibidem referatur, Deum suscitasse malum super David, immo et malum perpetrasse, id, eo tantum permittente, dicendum est evenisse, cum Deus non potuerit Absalom incitare ad peccandum ex demonstratis (§. CXXVII); sed peccatum ejus, quod futurum praesciverat, ad crimen David puniendum noluerit impedire.

Ad 3. Deus neminem seducit, neminem decipit, quia veritas est. Conqueritur quidem Jeremias de errore, in quem deductus fuerat, dicens: *seduxisti me, Domine:* at hujus erroris causa fuit divinorum verborum obscuritas, quae in vaticiniis quandoque reperitur, non eorum fallacia. Cum enim hic a Deo propheta constitutus esset in gentibus, arbitrabatur, se nihil adversus judaeos esse dicturum (1). Jussu autem Domini factum est, ut perpetuo contra gentem suam, ejusque reges prophetare cogeretur. Praete-

(1) Jeremiae Cap. 1 v. 5. et 10.

rea cum praenuntiaret captivitatem Jerusalem, statim putabat futurum quod Dominus minabatur: populus vero nequaquam ultra venturum censebat quod statim non contigerat. Hinc spernabatur Jeremias ut somniator et mendax, atque opprobriis afficiebatur. Cuncta haec moleste ferens propheta seductum se dixit ex ambiguitate, non ex fallacia sermonis Domini, cum conspiceret rem aliter fieri, quam existimaret (1).

Si porro sermo sit de loco e libro 2. Regum nobis objecto, animadvertimus Deum utique permisisse deceptionem Achab, eum vero minime decepisse. Verba namque *decipies, egredere, et fac* eodem sensu intelligenda sunt, quo Christus in Evangelio Joannis cap. 13. v. 27. dixit ad Judam per modum non praecepti, sed permissionis: *Quod facis, fac cito.* Item dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum, non suggerendo, sed permittendo mendacium, ut puniretur Achab, quia falsis vatibus is praebuerat aures, posthabito Michaea. Deum autem hunc regem Israel reapse decipi noluisse certum omnino est, cum ipsum jam admonuerit per Michaeam deceptionis pseudo-prophetarum, eique de futuro exitu belli contra Syros vera nuntiaverit (2).

(1) Ex D. Hieronymo lib. 4. Comment. in Jeremiae Cap. 20.

(2) Vide Angelici Doctoris Quaestionem 3. de Malo art. 1. ad 17.

Ad 4. Neque sane contra nos faciunt exempla, quae ostendere videntur homines ad malum divinitus incitari. Prae primis enim de Abraham Patriarcha lib. 1. cap. 8. haec scribit Ambrosius: *aliter Deus tentat, aliter diabolus: diabolus tentat, ut subruat, Deus tentat, ut coronet.* In idem concurrit Augustinus de consensu Evangelistarum lib. 2. duplicem distinguens tentationem, quarum *altera est ad probandum, altera ad decipiendum.* Deus itaque tentavit Abraham, ut ejus virtutem probaret, nec certe hoc tentationis genus divinam dedecet sanctitatem. Secus dicendum de tentatione, quae non ad probationem, sed ad deceptionem hominis ordinatur: de hac siquidem agens Apostolus Jacobus cap. 1. v. 13. inquit: *Nemo cum tentatur dicat, quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est; ipse autem neminem tentat.* Quoad porro Davidica verba, quibus traditur Psal. 104. Deum convertisse corda Aegyptiornm, ut odio prosequerentur, ac dolo caperent filios Israel, dicimus a Deo id factum esse, non malam voluntatem in illis inserendo, sed Israelitis tribuendo beneficia: Aegyptii namque ad malum jam dispositi occasionem exinde sumpserunt Judaici populi persequendi. Hoc responsum a D. Augustino deducimus, qui Enar. in citatum Psalmum N. 17.,

eadem sibi proposita difficultate, ait:=Numquidnam intelligendum est, vel credendum, quod Deus cor hominis ad facienda peccata convertat? An peccatum non est, vel parvum peccatum est odisse populum Dei, et dolum facere in servos ejus? Quis hoc dixerit? Numquid ergo istorum tam gravium peccatorum auctor est Deus, qui nullius vel levissimi peccati auctor credendus est? Quis sapiens, et intelliget haec? Nam ipsa est illa mirabilis Dei bonitas, qua bene utitur etiam malis vel angelis vel hominibus. Cum enim ipsi vitio suo mali sint, ille de malo eorum bene facit. Non enim antequam odissent populum ejus boni erant; sed maligni et impii tales erant, qui facile incolis suis felicibus inviderent. In eo ergo, quod populum suum multiplicavit, hoc beneficio suo malos ad invidendum convertit. Invidia est enim odium felicitatis alienae. Sic ergo convertit cor eorum, ut per invidentiam odissent populum ejus, et dolum facerent in servos ejus. Non itaque cor illorum malum faciendo, sed populo suo benefaciendo cor illorum sponte malum convertit ad odium=(1). Nos demum vel minime tangit quod lib. 2. Regum de David populum numerante perhibetur. Eum quippe a daemone, non a Deo, commotum ad hoc peccatum

(1) Idipsum docet in Psalmorum Commentario Theodoretus.

fuisse liber 1. Paralipomenon cap. 21. v. 1. sic apertissime decernit: *Consurrexit Satan contra Israel, et concitavit David, ut numeraret Israel.* Animadvertimus interim cum D. Hieronymo nullam inter utrumque Scripturae locum antilogiam haberi, quamvis in uno *furor Domini*, in altero *satan* commovisse David ad peccandum dicatur: nam per furorem Domini nonnisi daemon ibidem significatur, qui minister divini furoris est, sicuti quandoque sunt et homines juxta cap. 10. Isaiae, in quo virga furoris Dei vocantur Assyrii (1).

At si Deus non incitat homines ad peccatum, cur illum exorare jubemur, *ne nos in tentationem inducat?* Cur ipse David clamat ad Dominum *non declines cor meum in verba malitiae?* Binam hanc oppositionem propulsat D. Augustinus, ac primo circa orationem dominicam ita reponit Ep. 130. ad Probam cap. 11. = Cum dicimus *ne nos inferas in tentationem*, nos admonemus hoc petere, ne deserti ejus adjutorio alicui tentationi vel consentiamus decepti vel cedamus afflicti =. Item Ep. ad Hilarium cap. 2. ait, hujusmodi voces hunc sensum praeferre: *ne nos in tentationem inferri deserendo permittas.* Quoad vero precationem Da-

(1) Hujusce Patris consulatur liber Commentariorum in Cap. 2. Ep. ad Ephesios.

vid *non declines cor meum in verba malitiae,* idem S. Pater Enarrat. in Psalmum 140. N. 3. haec habet: = Manifestissime iste est sensus: custodi Domine os meum janua quadam et ostio praecepti tui, ut in verba maligna non declinetur cor meum = (1).

Ad 5. Apostoli verba ad Romanos, aliaque plura loca Sacrarum Scripturarum, quae testantur, Deum excaecare et obdurare homines in malo, cum distinctione sunt intelligenda. Deus enim excaecat quidem et obdurat *improprie* ac *negative* juste deserendo cum prius ab homine deseratur: idque fit, dum in poenam peccati quis meretur, ut Deus gratiam illi deneget, mentisque caecitatem in eo permittat, et cordis duritiem. *Proprie* autem ac *positive* Deus non excaecat, non obdurat homines malitiam iis tribuendo; secus de Judaeis in malo jam ob-

(1) Mira perspicuitate hano ipsam diffioultatem explanat Angelicus Doctor in exposit. Cap. 9. Ep. ad Romanos lect. 3. ostendens Deum diversa prorsus ratione tum ad bona tum ad male hominem inclinare. Nam Deus, inquit, — ad bona inclinet hominum voluntates directe et per se tamquem actor bonorum: ad malum autem dicitur inclinara vel suscitare homines occasionalitar, in quantum, scilicat, Deus homini aliquid proponit vel interius vel exterius, quod, quantum est de se, est inductivum ad bonum, sed homo propter suam melitiem utitur od malum —; item paullo inferius: — Deus, quentum est de se, interius instigat hominam ad bonum, puta, regem ad defendendum jura regni sui, val ad puniendum rebelles; sed hoc instinctu bono malus homo abutitur secundum melitiam cordis sui —.

duratis Christus non dixisset Joannis cap. 15. v. 22. *excusationem non habent de peccato suo.* Ita rem explicant SS. Patres (1), ac praesertim D. Augustinus, qui Ep. 194. ad Sixtum ita scribit: = Non obdurat Deus impertiendo malitiam; sed non impertiendo misericordiam = : et Tract. 58. in Joannem: = Sic Deus excaecat, sic obdurat deserendo, non adjuvando; quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest =. Hisce generatim positis, facile patet responsio ad ea, quae peculiariter nobis objiciunt adversarii tum de obduratione Pharaonis, et Sehon regis Hesebon, cujus in Exodo et in Deuteronomio fit mentio; tum de Judaeorum excaecatione, de qua fit sermo in Evangelio Joannis; tum de reprobo sensu, in quem Deus tradiderat ethnicos juxta D. Paulum ad Romanos (2).

Ad 6. E superius demonstratis (§. CXXVII). manifestum est, Deum non jubere, non decernere peccatum. Interim quoad Semei animadvertimus, Deum illi tantum permisisse non praecepisse, ut malediceret David; nam Deus, inquit auctor Ecclesiastici cap. 15.

(1) Vide Chrysostomum Homil. 3. in Ep. ad Romanos, Gregorium M. lib. 25. moralium Cap. 12. et 13., Damascenum lib. 4. de Fide orthodoxa Cap. 20., et Isidorum lib. 2. de Summo Bono Cap. 19.

(2) Consulatur D. Thomas 1. 2. Quaest. 79. art. 3; et Quaest. 3. de malo art. 1. ad 1.

v. 21., *nemini mandavit impie agere.* Nec obstat vox *praecepit,* quae in Sacro textu adhibetur. Etenim quandoque in Divinis Literis voces *praecipere* ac *permittere* ad idem significandum indiscriminatim usurpantur. Hac de re in Evangelio Marci exemplum habemus, ubi cap. 10. v. 4. et 5. ajunt Pharisaei: *Moyses permisit libellum repudii scribere:* quibus Christus reponit: *ad duritiem cordis vestri scripsit vobis praeceptum istud.* Ita de Semei nobiscum sentit Hipponensis Pater de gratia, et libero arbitrio cap. 20. N. 41. haec scribens: = Quomodo dixerit Dominus huic homini maledicere David, quis sapiens et intelliget? Non enim jubendo dixit, ubi obedientia laudaretur.... Nam si jubenti obtemperasset Deo, laudandus potius, quam puniendus esset, sicuti ex hoc peccato postea novimus esse punitum =. Quoad porro Christi Domini interfectores idem valet responsum: Deus quippe sivit hoc immane facinus, non decrevit. Res tamen ut clarius eluceat, duo in Dominica passione considerentur; malitia, nempe, judaeorum, et immensa bonitas divina, quae voluit, ut lapsus Adae fieret per Christi necem reparatio. Malitiam Judaeorum Deus nec velle nec decernere potuit: hanc vero praenovit, eorumque crimen, *definito consilio,* permisit, hoc est, decrevit non impedire.

Sic autem praevisa judaeorum iniquitate, simulque permissa, positive atque absolute decrevit Omnipotens magnum pietatis opus, quo per Unigeniti sui cruciatus, et mortem ab aeternae mortis vinculo genus humanum solveretur. En qua ratione Christi passio divinitus fuerit decreta. Huic doctrinae suffragatur D. Leo M. ita praeclare disserens de Passione Domini serm. 16. = Multum diversum, multumque contrarium est id, quod in malignitate judaeorum est praecognitum, et quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendi; nec de uno extitit spiritu atrocitas sceleris, et tolerantia Redemptoris. Non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit; nec praesciendo quod faciendum esset coegit, ut fieret, cum tamen ad hoc carnem suscepisset, ut fieret = .

Refellitur difficultas ab auctoritate D. Augustini deducta. Non uti placet Calvino et Bezae, sed in sensu catholico accipienda sunt Patris Hipponensis verba: haec quippe significant, Deum voluntates hominum *positive* in bonum inclinare, in malum *negative* tantum. Id autem praestat Deus non tribuendo malitiam, nec voluntatem in bonum inclinatam pervertendo, sed non impediendo ut voluntas vitio proprio ad malum

propensa in illud feratur, semperque miro providentiae ordine dirigendo malum ipsum in bonum. Hanc fore mentem Augustini luculentissime ostendunt libri tres de libero arbitrio, liber de Spiritu et litera cap. 31; Epistola ad Sixtum 194., liber 5. de Civitate Dei cap. 8. et 9., liber 1. de ordine cap. 1., liber 2. de peccatorum meritis et remissione cap. 17. et 18., aliaque sexcenta loca, in quibus hic Pater Deum nullatenus esse causam peccati fatetur, et adversantem errorem totis viribus oppugnat.

Refelluntur postremo difficultates a ratione desumptae. Ad 1. argumentum respondentes absolute rejicimus antecedens et consequens. Quemadmodum enim impossibile est, Deum velle ac decernere quod aeterna lege prohibetur, cum haec ipsa sit immutabilis divina ratio, ac voluntas (1); ita nec fieri potest, ut Deus velit atque decernat malum morale, quod semper eidem legi adversatur (2).

Quoad probationem vero antecedentis majorem sic distinguimus propositionem. Deus vult ac decernit poenam peccatis debitam: si agatur de poena, quae non sit peccatum, id concedimus lubenter: si poena pro peccato accipiatur, id aperte negamus. Item cum

(1) Vide Institutionum lib. 2. §. IV.
(2) Haec oppositio constat ex definitis §. CVIII.

distinctione quoque minor excipitur propositio. Nam peccatum si *per se* ac *proprie* consideretur, cum ab hominis voluntate procedat, alterius esse nequit poena peccati; pertinet enim ad rationem poenae, quod sit contra voluntatem. *Improprie* tamen, ac *per accidens* peccatum quandoque dici poterit peccati antecedentis poena, quatenus gratia, quae nemini debetur, interdum subtrahitur peccatori: hac autem posita gratiae privatione, quam Deus potest velle positive ut nocentem puniat, inde consequitur, ut peccatum non impediatur, suisque viribus in poenam culpae relictus homo, non ex divina voluntate, sed ex propria malitia in alterum decidat peccatum (1). Distincta sic utraque praemissa, jam penitus evertitur consectarium, quo decernitur, Deum posse velle peccatum in poenam alterius.

Ad 2. dicimus horrenda prorsus ac blasphema verba proferre Theodorum Bezam, dum in responsione ad Sebastianum Castilionem asserit, Deum compellere homines ad culpam, ut sibi viam aperiat, qua ipsis misericordiam et justitiam manifestet. Nam si Deus hominem impium faceret, ut eum deinceps vel a nequitia liberaret, vel suppliciis traderet, justitia ejus omnino foret

(1) Haec animadvertit Angelicus Doctor 1. 2. Quaest. 87. art. 2.

injusta (1), crudelis misericordia (2). Ibidem porro nonnisi per maximum absurdum peccati necessitatem docet adversarius, ut divina misericordiae et justitiae attributa pateant in orbe terrarum. Etsi namque nullum inter homines peccatum fingatur, modi profecto non desunt, quibus Dei gloria per haec attributa mirifice possit ostendi. Nunquid enim misericordiam Deus non exercet, dum hominibus continenter providet, eosque in ordine tum naturae tum gratiae cumulat beneficiis? Nunquid justitiam distributivam non exercet, dum promeritam bonis hominum operibus retribuit coronam?

Ad 3. Zuinglius, quem hic nobis adversantem habemus, Deum nulli subesse legi fatetur serm. de Providentia cap. 6. Hactenus recte quidem, cum immutabilis Dei ratio et voluntas, quae lex aeterna vocatur, principium sit, a quo cunctae leges dimanant. Falso tamen ex hac veritate concludit ille, Deum posse velle in creaturis peccatum, illudque operari, quin suae dero-

(1) — Justitia justa non erit, si puniendum reum non invenisse, sed fecisse dicatur; quin potius major erit injustitia si lapso Deus tribuat poenam; quem stantem praedestinasse dicitur ad ruinam —: Ita scribit lib. 1. ad Monimum D. Fulgentius Cap. 22.

(2) — Si est malevola benevolentia, quod fieri non potest, potest et ille, qui veraciter, sinceriterque miseretur, cupere esse miseros ut misereatur —: Haec habet D. Augustinus lib. 3. Confessionum Cap. 2. N. 3.

get sanctitati. Fallacia hujusce conclusionis apparet, si consideremus, Deum non posse malum morale operari, aut velle in creaturis, non quia lege aliqua constringatur sicut homo, sed ex necessitate naturae suae, cum sibi repugnare nequeat Ens in omnibus infinite perfectum.

Ad 4. Tradunt scriptores orthodoxi Deum ad actum quemlibet rationalis creaturae sive bonum sive malum concurrere; sic tamen ad actus mali entitatem concurrere, ut nunquam dici possit auctor et causa peccati. Cum autem velint in sensu catholico hunc divinum explicare concursum, non omnes in idem consentiunt. Nonnulli siquidem cum Durando negant *immediatum* Dei concursum ad causarum secundarum effectus; idcirco tenent, Deum in genere causae physicae *mediate* tantum ad peccatum concurrere, quatenus confert homini liberum arbitrium, hoc est, peccandi potentiam (1). Aliter censent Societatis Jesu theologi plures, juxta quos Deus, non uti causa particularis et determinata, sed tamquam causa universalis et physice indifferens ad unam vel alteram actionem immediate cum

(1) Ita Durandus in 2. sententiarum dist. 1. Quaest. 5. et distinct. 37. Quaest. 1: quae santentia pluribus non arridet. Hanc prae ceteris oppugnat Bellarminus lib. 4. de gratia et libero arbitrio Cap. 4.

homine ad actum concurrit. Ex quo inferunt, Deum in entitatem actionis influere quidem ut causam, non vero in malitiam peccati. Hujusmodi porro generalis ac indifferens Dei concursus, quo quisque pro libero arbitrio uti posset in bonum, ab homine determinatur ad malum, adeo ut actio mala suum esse specificum recipiat ab humana voluntate, et ab ea veluti a causa particulari procedat (1). Ulterius Thomistae progrediuntur docentes Deum ut primum moventem non modo ad actus creaturae physice concurrere, sed etiam causam liberam ad omnes ejus actus sive bonos, sive malos physice praedeterminare. Ne tamen ex hac praedeterminatione Deum auctorem peccati cum novatoribus facere videantur, animadvertunt voluntatem creatam a Deo praedeterminari tantum ad *materiale*, nempe ad solam physicam entitatem actus mali, non vero ad *formale*, quo nomine moralem ipsius deformitatem, atque malitiam intelligunt (2). Interim sive divinum concursum generalem et physice indifferentem vel mediatum vel immediatum catholici ad-

(1) Haec doctrina fusius exponitur tum a Bellarmino Disputationum tom. 4. Controv. 2. Generali lib. 2. Cap. 5. et 18. tum a Nicolao Muszka dissert. Theologicarum lib. 2. dissert. 1. §. 3. Assert. 2.

(2) Pro Thomistis praesertim pugnat clar. Gotti tom. 8. De vitiis et peccatis Quaest. 6. dub. 3. et 4.

mittant, sive motionem physice praedeterminantem ad *materiale* tantum peccati; profecto ex hisce principiis non consequitur, Deum ut causam particularem influere in peccatum, aut illud velle, et imperare, aut homines impellere ad peccandum, aut per homines velut per instrumenta peccatum efficere. Unde patet catholicorum doctrinam toto caelo ab errore novatorum distare.

CAPUT SEXTUM

DE EFFECTIBUS PECCATI.

§. CXXX.

Plures a theologis numerantur peccatorum effectus. Prior est *reatus culpae*, seu macula, quae animam inquinat, et adhuc in ea superest, licet jam praeterierit actus peccati. Hujusmodi macula juxta D. Thomam non est aliquid positivum, sed consistit in privatione quadam nitoris animae in ordine ad suam causam, quae est peccatum; et ideo fit, ut diversa peccata diversas maculas inducant (1). Reatum culpae contrahi

(1) Quamqnam, nemine dissentiente, admittant culpae reatnm catholici scriptores, inter se taman circa naturam ipsius raatus minima conveniunt. Scotus enim in ordinatione passiva ad poenam reponit maculam peccati: Vesquez docet eam nihil aliud asse, quam solam denominationam extrinsacam procedentem a peccato praaterito non ratractato, ac moraliter perseve-

per peccatum eruitur e libro Josue, ubi cap. 22. v. 17. legitur: *an parum vobis est, quod peccastis in Beelphegor, et usque in praesentem diem macula hujus sceleris in vobis permanet?* Firmatur eadem veritas Ecclesiae auctoritate: damnata siquidem fuit a Romanis Pontificibus Pio V; Gregorio XIII; et Urbano VIII. haec bajana propositio: *in peccato duo sunt, actus, et reatus: transeunte autem actu, nihil remanet, nisi reatus, sive obligatio ad poenam.* Alter peccati effectus est *poenae reatus,* obligatio, nempe, satisfaciendi justitiae divinae, quae perseverat in peccatore quamdiu voluntas in Deo manet exigendae satisfactionis. De hoc reatu ambigendum non est; nam Christus ait Matthaei cap. 5. v. 22. *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit, concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennae ignis.* Effectus tandem peccati est *poena* ipsa, cujus homo fit reus ob legis transgressionem. Poena autem alia est praesen-

rante: alii hanc maculam sitam esse contandunt in habitu, quo voluntas convarsa manat ad bonum commutabile tamquam ad ultimum finam. At nobis praa cetaris arridet superius tradita opinio, quam tenet Angslicus Doctor 1. 2. Quaest. 86. art. 1. et 2. Hac de re consulantur Laurantius Barti da Thaologicis disciplinis lib. 21. Cap. 6; et Card. Gotti Theologiae schol. Dogm. tom. 8. Tract. da vitiis at peccatis Quaast. 7. dub. 1. §. 2. at 3.

tis vitae, alia futurae: rursus haec vel temporanea esse potest, vel sempiterna. De singulis hisce poenis ut particulatim disseratur, sit

ARTICULUS PRIMUS

De poenis, quibus peccatores in praesenti vita puniuntur.

§. CXXXI.

Post lapsum protoparentum cunctam Deus naturam obarmavit adversus hominem peccantem, ut offensae divinitatis jura vindicaret. Quapropter, semel amisso immortalitatis dono, quo in originali justitia constitutus fruebatur Adam, tum primum in mundum intravit mors, quae ab Apostolo *peccati stipendium* appellatur (1). Hinc morbi, fames, et bella: hinc prope immensa colluvies malorum, quae terrarum orbem divexare coeperunt. Hujusmodi mala totidem sunt velut instrumenta, quibus Deus ultionem de peccatis hominum reposcit. Res patet e Sacris Literis, quae testantur, mala corporea Deum in poenam scelerum peccatoribus minari. Vix namque priori noxa patrata, dixit Deus mulieri Geneseos

(1) Ep. ad Romanos Cap. 5. v. 12. Cap. 6. v. 23; et Ep. 1. ad Corinthios Cap. 15. v. 56.

cap. 3. *multiplicabo aerumnas tuas, et conceptus tuos; in dolore paries filios..... Adae vero dixit...... in sudore vultus tui vesceris pane.* Dum porro electum populum Deus alloquitur, sic ait Levitici cap. 26. a v. 15. ad 38. *Si spreveritis leges meas..... visitabo vos velociter in egestate et ardore, qui conficiat oculos vestros.... corruetis coram hostibus vestris.... dabo vobis caelum desuper sicut ferrum, et terram aeneam.... non proferet terra germen, nec arbores poma praebebunt.... immittam bestias agri, quae consumant vos, et pecora vestra..... percutiam vos septies propter peccata vestra.... inducam super vos gladium ultorem foederis mei... mittam pestilentiam in medio vestri... urbes vestras redigam in solitudinem..... evaginabo post vos gladium, eritque terra vestra deserta, et civitates vestrae dirutae.... peribitis inter gentes, et hostilis vos terra consumet.* Tremendis autem hisce minis facta penitus respondent. Effectus enim, et poena peccati fuit universalis aquarum exundatio, quae tempore Noe mortales omnes a facie terrae delevit, (1) Sodomorum succensio, (2) primogenitorum caedes in Aegypto, (3) demersio Pharaonis in mari rubro (4).

(1) Genesis Cap. 6. et 7.
(2) Genesis Cap. 19.
(3) Exodi Cap. 12.
(4) Ibidem Cap. 14.

Eadem ex causa interfectos noscimus viginti duo millia hominum ex filiis Israel vitulo profanum cultum tribuentibus in deserto (1), murmurantem populum ignitis serpentibus afflictum (2), viginti quatuor millia de plebe fornicante cum Madianitis ore gladii percussos (3). Item propter idololatriae crimen cernimus electum populum Philistaeis traditum et Ammonitis (4), lue peremptos septuaginta millia virorum ob imperatam a Davide populi numerationem (5), judaeos a rege Babylonis in captivitatem ob Manassis crimina deductos (6). Demum Chaldaeorum excidium (7), ruina Moabitarum (8), onus Tyri ac Idumaeae (9), contritio exercitus Sennacherib (10), Jerosolymorum eversio (11), universaeque gentis judaicae per totum orbem dispersio, ac desolatio, haec totidem sunt exempla poenarum, queis in hoc saeculo iniquorum scelera puniuntur.

(1) Ibid. Cap. 32.
(2) Numerorum Cap. 21.
(3) Ibidem Cap. 25.
(4) Judicum Cap. 10.
(5) Lib. 2. Regum Cap. 24.
(6) Lib. 4. Regum Cap. 21. 24.
(7) Isaiae Cap. 13.
(8) Ibidem Cap. 15.
(9) Ibidem Cap. 23. et 34.
(10) Ibid. Cap. 37.
(11) Lib. 4. Regum Cap. 25. Lucae Cap. 19.

§. CXXXII.

Sed longe sunt deteriores corporeis poenae spirituales, quae culpam in hac vita consequuntur. In primis enim adeo torquetur conscientiae morsibus peccator, ut inter cunctas saeculi delicias justorum pacem is nequeat experiri juxta illud Isaiae cap. 48. v. 22. *Non est pax impiis, dicit Dominus.* Altera poena est mentis caecitas, ex qua peccantis intellectus quandoque sic tenebris obumbratur, ut nec animae deformitatem, quae procedit e jactura gratiae sanctificantis, nec vitii turpitudinem amplius agnoscat. Poena quoque peccati est obduratio cordis in malo, propter quam ita vitiorum coeno firmiter adhaeret voluntas, ut ab ipsis neque spes remunerationis, neque supplicii metus eam valeant removere. Tandem in scelerum poenam interdum homo supernaturalibus privatur auxiliis, quibus deficientibus, hic e statu culpae nec emergere potest, nec relapsus devitare. De hujusmodi gratiae privatione horrendum nobis perhibet exemplum liber primus Machabaeorum cap. 9. v. 13. in Antiocho rege, qui mortis imminentis terrore perculsus *orabat.... Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.*

ARTICULUS SECUNDUS

De poena temporanea vitae futurae pro peccato solvenda.

§. CXXXIII.

Status, in quo justorum animae, quibus aliquid luendum superest, vix e corpore solutae detinentur, poenisque satisfactoriis cruciantur, donec ab omni labe mundatae coelestis gloriae participes fiant, *Purgatorium* vocatur. Dogmaticam veritatem de purgatorii existentia nemo sane catholicorum audet in dubium revocare. At non idem omnium consensus circa plures ipsius circumstantias, de quibus judicium non protulit Ecclesia: de iis namque inter se variis dissident sententiis rerum theologicarum scriptores. Ac primo quoad locum nonnulli docent in hoc mundo animas retineri defunctorum (1), ibique solvere poenas, ubi deliquerunt olim cum corpore viventes (2): in aere caliginoso purgatorium alii constituunt (3), alii cum damnatis in inferno (4).

(1) Haec fuit quorumdam opinio, quam rejectam conspicimus a D. Irenaeo lib. 2. contra haereses Cap. 31.

(2) Id eruitur e lib. 4. Dialogorum D. Gregorii M. Cap. 44. et 55; tum etiam ex opusculo 34. D. Petri Damiani de variis miraculosis narrationibus Cap. 6.

(3) Ita sensisse videntur in dialogo de anima et resurrectione Gregorius Nyssenus et Chrysostomus Homilia de praemiis beatorum.

(4) Vide Theophilactum in Caput 16. D. Lucae.

Ceteris tamen praevalet, ac generatim recipitur veluti probabilior scholasticorum sententia, quae tenet purgatorium fore subterraneum, penitusque a reproborum loco sejunctum. Disputatur etiam de poenarum natura. Eas esse damni simul et sensus cuncti fatentur: verum cum decernendum sit, in quo poena sensus consistat, grave hic oritur dissidium. Latini siquidem purgatorii poenam in igne, non metaphorice, sed proprie sumpto reponunt: contra Graeci moerorem quidem admittunt, non vero cruciatum per ignem; idque professi sunt etiam quo tempore orientalis Ecclesia cum occidentali pacem inierat in Florentino Concilio. Item inquiritur, num daemones in purgatorio sint justitiae divinae ministri, ac tortores animarum? Stant pro parte affirmante revelationes, quae tum apud Bedam (1), et Carthusianum (2), tum in vita Clarae-vallensis Abbatis referuntur (3). Partem negativam theologi cum D. Thoma communiter defendunt (4). Quaestio denique movetur circa poenarum durationem; qua de re prorsus incerti sunt omnes. In hoc tantummodo conveniunt doctores, ut asserant, eas duraturas

(1) Lib. 3. Historiae Ecclesiasticae Cap. 19.

(2) Liber de quatuor novissimis.

(3) Lib. 1. Cap. 10. de vita et rebus gestis D. Bernardi a Guillelmo abbate conscriptis.

(4) Ita Angelicus in 4. sententiarum distinct. 20. art. 5.

esse pro ratione culparum, quae ab obitu singulis animabus remanent expiandae, nec tamen ultra extremum judicii diem protrahi posse, cum scriptum sit in Evangelio Matthaei Cap. 25. v. 46; quod, superni Judicis vix prolata sententia, *ibunt impii in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam* (1).

§. CXXXIV.

Oppugnarunt catholicam doctrinam de purgatorio eteredoxi quamplures. Tradidit Aerius Ecclesiae saeculo quarto pro defunctis orandum non esse, cum iisdem nihil prosint viventium suffragia (2): unde merito hic habendus est velut antesignanus eorum, qui deinceps purgatorium diserte negarunt. Inter hujusmodi adversarios connumerandi sunt Apostolici (3), Waldenses (4), et Petrobrusiani (5), qui duodecimo saeculo prodiere. Iis adhaeserunt et Albigenses aevo

(1) In hisce controversiis, quas obiter indicavimus, non est cur immoremur, quia et Fidem eae non tangunt, et parum utilitatis afferunt morum disciplinae. Qui tamen plura de iisdem cupit, Bellarminum consulat disp. tom. 2. contr. 3. lib. 2.

(2) Hac de re testes habemus Epiphanium haeresi 75., et Augustinum de haeresibus Cap. 53.

(3) Ex D. Bernardo sermone 66. in Cantica.

(4) Ex Claudio Seysello Taurin. Archip. lib. adversus errores, et sectam Waldensium.

(5) Petrum de Bruis ejusque gregales insectantur D. Bernardus Ep. 240., et Petrus Cluniacensis Ep. ad Archiepiscopos Arelatensem, et Ebredunensem.

proxime subsequenti (1). Demum aggressi sunt dogma de purgatorio sextidecimi saeculi novatores. Prae caeteris id praestiterunt Lutherus lib. de abroganda missa privata, et Calvinus, qui lib. 3. Institutionum Cap. 5. turpiter blasphemando purgatorium appellavit *exitiale commentum, quod Christi Crucem evacuat, quod contumeliam Dei misericordiae non ferendam irrogat, quod Fidem nostrum labefacit, et evertit.*

§. CXXXV.

Sed quantum a recta Fide in hoc articulo distet acatholicorum doctrina multiplici ex capite demonstratur.

Nam 1. purgatorium existere Sacrarum Scripturarum loca manifestissime ostendunt. A Testamento veteri ut exordiamur, legimus in lib. 2. Machabaeorum Cap. 12. v. 43. 45. 46. *Fortissimus Judas.., facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans... et quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.*

(1) De Albigensibus vide Natalem ab Alexandro Hist. Eccl. saec. 13. Cap. 3. art. 1. §. 2.

Quo posito, sic argumentum concludimus. Purgatorium si non adesset, oratio pro defunctis omnino foret inanis, hac enim eorum animae vel non egerent, quia beatae, vel juvari non possent, quia damnatae. Verum in Sacris Literis uti salutaris commendatur oratio, quatenus piorum animas a culparum vinculo dissolvit. Ergo, ne divinae auctoritati derogetur, purgatorium admittere necesse est. Idipsum eruitur ex novo Foedere, ubi Christus ait in Evangelio Matthaei cap. 12. v. 32. *Qui dixerit verbum contra Spiritum S., non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro.* Hanc porro sententiam cum expendant Sancti Ecclesiae Patres, tuto exinde colligunt, quaedam fore peccata, quae in altero saeculo dimittuntur (1). Jam vero apud inferos culpae non relaxantur, cum ibi nulla sit redemptio, non in regno caelorum, ubi nihil est inquinatum. Medius ergo status ab utroque diversus existit, in quo piae defunctorum animae constitutae purgantur a maculis, quas in hoc saeculo contraxerunt (2).

(1) Ita docent Augustinus lib. 21. de Civitate Dei Cap. 24. N. 2., Gregorius M. lib. 4. dialogorum Cap. 39., Isidorus Hispalensis lib. 1. de divinis Officiis Cap. 18., et Bernardus serm. 66. in Cantica N. 11.

(2) Ex hisce perspicuum est, a Leone X. jure damnatam fuisse hanc Lutheri propositionem — Purgatorium non potest probari ex S. Scriptura, quae sit in canone —.

2. Hanc ipsam fidem Sancti Patres unanimi consensione professi sunt, docentes in loco purgationis animas post obitum detineri, ut a culpis mundentur, ibique precationibus viventium solari. Si ad Graecos convertamur, primus nobis occurrit M. Athanasius, qui ad Antiochum Quaest. 34. respondet, animas defunctorum *ex incruento sacrificio, et beneficentia pro ipsis facta* utilitatem experiri. Non secus tradit Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 5. mystagogica N. 9. dicens: *Pro omnibus generatim oramus, qui inter nos vita functi sunt*; *maximum hoc esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius, et tremendi, quod in altari positum est, sacrificii*. Pariter Epiphanius Haeresi 75. N. 7. testatur mortuis orationem prodesse, idque negantem Aerium ut haereticum habet. Accedit Basilius ita scribens in Caput 9. Isaiae: *Si per confessionem detexerimus peccatum, jam succrescens gramen arefecimus dignum plane, quod depascatur, ac devoret purgatorius ignis*. Nyssenus item in oratione pro mortuis inquit: *Non poterit a corpore egressus divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas purgatorius ignis abstulerit*. Prodeant nunc Latinorum Patrum testimonia. Ex iis Augustinus haec pronuntiat lib. 21. de Civitate Dei cap. 13.

Temporarias poenas alii in hac vita tantum, alii post mortem, alii et nunc, et tunc ante judicium severissimum, novissimumque patiuntur. Rursus ibidem cap. 24. de fidelibus, qui cum levibus decedunt peccatis: *tales constat ante judicii diem per poenas temporales, quas eorum spiritus patiuntur, purgatos aeterni ignis suppliciis non tradendos.* Idipsum ita fatetur M. Gregorius lib. 4. dialogorum cap. 39. *de quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est*; et in Psalmum 3. poenitentialem: *scio futurum esse, ut post hujus vitae exitum alii flammis expientur purgatoriis, alii sententiam aeternae subeant damnationis.* Audiatur quoque Isidorus Hispalensis lib. 1. de divinis officiis cap. 18., cujus haec sunt verba: *Cum Dominus dicit: qui peccaverit in Spiritum S., non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro, demonstrat, quibusdam illic dimittenda esse peccata, et quodam purgatorio igne purganda.* Hisce tandem Bernardus adjiciatur, qui sermone de obitu Humberti ait: *Scitote, fratres, quia post hanc vitam in purgatoriis locis centupliciter quae fuerint hic neglecta redduntur usque ad novissimum quadrantem.*

3. Veritas de purgatorii existentia e vetustissima, constanti, et universali utriusque

Ecclesiae praxi ulterius roboratur. Morem piissimum fundendi preces pro defunctis ab Apostolis recepit catholica Ecclesia; tradunt enim Chrysostomus Homilia 3. in cap. 1. Epistolae ad Philippenses, et Isidorus Hispalensis lib. 1. de divinis officiis cap. 18., eos constituisse, ut in sacrosanctis Mysteriis ageretur fidelium decedentium commemoratio. Hanc porro consuetudinem ab aevo apostolico deductam suis jam temporibus totum per orbem invaluisse testatur praeter Isidorum loco super citato Augustinus lib. de cura pro mortuis gerenda cap. 1. Ejusdem consuetudinis perpetuae, ac universalis amplissimum etiam desumimus argumentum e pluribus antiquitatis monumentis; nimirum e lib. 8. Constitutionum Apostolicarum cap. 41., ex orientalibus Liturgiis Jacobi (1), Chrysostomi (2), et Basilii (3), e Liturgiis occidentalibus Romana (4), Medio-

(1) Hanc liturgiam, qua usa est Ecclesia Jerosolymitana, teste Cyrillo, genuinum opus esse Apostoli Jacobi cum pluribus tenet Card. Joan. Bona de rebus liturgicis tom. 1. lib. 1. parte 1. Cap. 8. §. 3. Secus docent alii, ac praesertim Natalis Alexander Hist. Eccles. saec. 1. Cap. 12. art. 3.

(2) De liturgia, quam D. Chrysostomus pro Ecclesia Constantinopolitana reformavit, vide Bona loc. cit. Cap. 9. §. 3., et Jacobum Goarium in Graecorum Euchologio.

(3) De liturgia pro Ecclesiis Cappadociae a D. Basilio confecta disserit ibidem Card. Bona Cap. 9. §. 1. et 2; eamque refert in Euchologio Goarius.

(4) Quoad Romanam liturgiam, cujus auctor a nonnullis

lanensi (1), et Hispanica (2), in quibus omnibus indicta reperitur pro defunctis oratio. Verum si Christi Ecclesia semper et ubique, pro venia et pace mortuorum exorare consuevit, hanc praxim ideo custodivit, quia semper, et ubique credidit, in altero saeculo statum adesse, in quo nec damnatae, nec adhuc beatae defunctorum animae venia et pace indigerent. In hoc autem Ecclesiam Dei errasse dici nequit, cum ea sit, Paulo teste, *columna et firmamentum veritatis* (3). Errarunt ergo acatholici, dum a recta fide, quam semper tenuit ac tenet Ecclesia, circa doctrinam quoque de purgatorio defecerunt.

4. Tandem catholica veritas Conciliorum Oecumenicorum sanctionibus confirmatur. Id constat prae primis e Synodo Florentina: ibi namque Sessione postrema Eugenius IV. in definitione Fidei docet, *si vere poenitentes in Dei charitate decesserunt antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis*

traditur Princeps Apostolorum, consulatur Natalis Alexander loco superius citato.

(1) Divum Ambrosium institutorem habuit Liturgia Mediolanensis: hic enim, uti constat e Wallafrido Strabone lib. de rebus Ecclesiasticis Cap. 22. — tam Missae, quam ceterorum dispositionem officiorum suae Ecclesiae, et aliis liguribus ordinavit —.

(2) Liturgia hispanica, quae et Mozarabica nuncupatur, a D. Isidoro Hispalense condita, vel saltem illustrata communiter censetur. Vide Martene de antiq. Eccl. rit. tom. 1. lib. 1. Cap. 3.

(3) Ep. ad Timotheum Cap. 3. v. 15.

satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatoriis post mortem purgari, et ut a poenis hujusmodi releventur prodesse iis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta. Idipsum Tridentini Patres in decreto de purgatorio Sessione 25. hisce verbis definiunt. *Cum catholica Ecclesia Spiritu S. edocta e S. Literis, et antiqua Patrum traditione in sacris Conciliis, et novissime in hac Oecumenica Synodo docuerit purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris sacrificio, juvari, praecipit S. Synodus Episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam a sanctis Patribus, et sacris Conciliis traditam a Christi fidelibus credi, teneri, doceri, et ubique praedicari diligenter studeant.*

§. CXXXVI.

Orthodoxae veritati, quam probavimus, ut adversentur novatores, ipsius fundamenta petunt, ac pro viribus labefactare conantur. En qualia sint praecipua eorum argumenta.

1. Loca Scripturarum, e quibus inferunt catholici purgatorium existere, decretoria

non sunt. E priori siquidem loco nihil omnino concluditur; nam libri Machabaeorum in sacro judaeorum canone recepti nunquam fuere. Cur autem? quia divina carent auctoritate. Item quamquam Christus decernat apud Matthaeum quaedam peccata neque in praesenti saeculo remitti, neque in futuro, exinde minime sequitur, culpas aliquas in altero saeculo dimitti: secus dicendum foret, e praemissis negativis affirmationem legitime posse deduci, quod notioribus dialecticae regulis plane repugnat. Unde perspicuum est catholicos perperam ad Sacros Libros confugere, ut purgatorii existentiam ostendant.

2. Id eo magis patet, si consideretur, in utroque Foedere de purgatorio nullibi mentionem fieri, cum etiam ferret occasio, ut de illo ageretur. Profecto ne verbum quidem de piacularibus hisce poenis reperitur in Genesi, dum Abrahae, Isaac, Jacob, Sarae, Rachelis mors, et funera describuntur (1): non in Levitico, licet plura ibidem legis veteris constituantur sacrificia: non in Epistola ad Thessalonicenses, ubi Apostolus de mortuis disserit, eorumque futuram resurrectionem testatur (2). Tantum porro Scripturarum silentium in re tam gravi neu-

(1) Geneseos Cap. 23. 25. 35. 49. 50.

(2) Vide Ep. 1. ad Thessalonicenses integro Cap. 4.

tiquam explicari potest, nisi dicatur, purgatorium non esse.

3. Quin immo si e Divinis Literis directe quis cupiat argumentari, aperte constabit, non modo ex iis purgatorium non demonstrari, sed absolute potius excludi. Scripturae namque duplicem tantum animarum statum post mortem agnoscunt; coelum, nempe, in quo justi, et infernum, in quo damnati recipiuntur. Id eruitur ex libro Ecclesiastis, ubi cap. 11. v. 3. legimus: *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Idipsum clarius tradit Christus apud Matthaeum cap. 25. v. 41. dicens: *ibunt* impii *in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam.* Pariter Scripturae docent, post exitum vitae beatitudinem electis non differri. Inquit enim auctor Sapientiae cap. 4. v. 7. *justus si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit*: item David Ps. 126. v. 3. *Cum dederit dilectis suis somnum; ecce haereditas Domini*: et Apostolus Joannes in Apocalypsi cap. 14. v. 13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis.* Verum doctrina de purgatorio cum duobus hisce divinitus revelatis principiis consistere nequit; illud quippe si adesset, certe medium statum praeter coelum et inferos, moramque

inter justorum obitum et consecutionem beatitudinis necessario requireret. Ergo Scripturae Sacrae disertis verbis purgatorium excludunt.

4. Juxta criticae regulas tum tantum e Sanctis Patribus jure concludi potest, cum omnes, vel saltem fere omnes in idem placitum conseutiant. Hic vero consensus deest circa purgatorium; licet enim pro ejus existentia stent plerique, non pauci tamen hanc penitus rejiciunt. Ait siquidem prae primis Cyprianus tract. contra Demetrianum: *Quando isthinc excessum fuerit, nullus jam poenitentiae locus est, nullus satisfactionis effectus.* Idem tenet Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 18. dicens: *Poenitentiae, et remissionis peccatorum in hac vita dumtaxat praescriptum tempus habemus.* Audiatur et Chrysostomus, qui Homilia 2. de Lazaro haec habet: *Cum hinc discesserimus non est nobis situm poenitere, neque commissa diluere:* et in Psalmum 50. *Ubi misericordia est, poenae non expetuntur.* Hisce adjiciatur etiam Augustinus ita scribens tract. 49. in Joannem: *requiem, quae continuo post mortem datur, si ea dignus est, tum accipit quisque cum moritur.* Quae cum ita se habeant, neminem latet, quanta sit infirmitas argumenti, quod, ut eorum causam tueantur, e Sanctorum Patrum auctoritate catholici depromunt.

5. Doctrina de purgatorio, si ad Fidem pertineret, semper et ubique apud christianos recepta fuisset. Jam vero nec semper nec ubique recepta haec fuit; nam Graeci in Synodo Florentina quoad purgatorium animose latinis restitere. Non est igitur doctrina de purgatorio inter articulos Fidei recensenda.

6. Neque contra novatores facit mos orandi, et sacrificandi pro defunctis, quem semper et ubique tenuit Ecclesia. Purgatorio siquidem non admisso, inanes certe dicendae non erunt hujusmodi precationes, et sacrificia, cum caelicolis prodesse possint vel ad incrementum gloriae, vel ad beatitudinis perfectionem.

7. Ratio theologica postremo accedit, qua sic facile ostenditur, doctrinam de purgatorio everti per eadem catholicorum principia. Orthodoxi tradunt, justorum animas post exitum in loco detineri purgationis, ut satisfactionem Deo exhibeant pro duplici reatu et culpae venialis, et poenae temporalis in praesenti vita non solutae. Agentes autem de satisfactione docent opus meritorium ad satisfaciendum requiri; meritum vero non dari nisi in homine viatore ac libere operante. Inde sponte consequitur, pro nullo reatu in purgatorio satisfieri posse, cum ibidem justi nec sint amplius in via,

nec libere sed necessario patiantur. Qua posita manifestissima principiorum colluctatione, opus est, ut catholici vel eorum doctrinam de merito et satisfactione deserant, vel purgatorium rejiciant.

§. CXXXVII.

Speciosae quidem sunt, non tamen graves, quae nobis hic objiciuntur, difficultates. Ut singulae particulatim enodentur, sit

Responsio ad 1. Irrito prorsus conatu eludere student novatores bina Scripturarnm testimonia, quae superius attulimus, quaeque pro defensa veritate sunt omnino demonstrativa. Si namque de libris Machabaeorum sit sermo, divinam eorum auctoritatem in dubium nefas est revocare. Hanc siquidem agnoverunt Origenes (1), Cyprianus (2), Ambrosius (3), Hieronymus (4), Augustinus (5), et Isidorus Hispalensis (6). Hanc agnoverunt Romani Pontifices Innocentius I. in Epistola ad Exuperium Tolosanum Antistitem prope finem, et Gelasius in decreto de libris canonicis (7). Hanc pa-

(1) Lib. 2. Periarchon Cap. 1.

(2) Ep. 55. ad Cornelium Pontificem.

(3) Lib. 3. de officiis Cap. 29.

(4) Lib. 5. Commentariorum in Cap. 23. Isaiae.

(5) Lib. 2. de Doctr. Christiana Cap. 8., et lib. 1. contra Gaudentium Cap. 31.

(6) Lib. 6. Ethimologiarum Cap. 1.

(7) Editum fuit an. 494. Gelasii decretum in Synodo Romana, cui Episcopi 70. interfuere.

riter agnovit Africana Ecclesia in Concilio Carthaginense III., ubi Can. 47. sacros libros tum primi tum secundi ordinis legimus recensitos (1). Hanc denique agnovit universa Ecclesia, quae ad reprimendam novatorum audaciam, traditione diligentius explorata, in Synodo Tridentina Sess. 4. peculiari decreto in divinarum Scripturarum albo libros Machabaeorum una cum ceteris libris Deutero-canonicis retulit, eosque cunctis fidelibus pro sacris tenendos esse sub anathematis poena constituit. Verum quidem est hosce libros in hebraeorum catalogo non reperiri: at exinde inferri nequit, eosdem rejectos fuisse tamquam divinitus non inspiratos, cum aliud omnino sit aliquid praeterire tantum, aliud aliquid repudiare. Profecto non omnes libri sacri continebantur in canone judaeorum, sed ii dumtaxat, quorum lectio palam in synagogis fieri solebat. Ceteri, quorum nullus erat in synagogis usus, licet in canonem cooptati non forent, apud judaeos tamen habebantur ut sacri, et religiose custodiebantur (2).

(1) Hujusmodi Concilio praefuit Aurelius Episcopus Carthaginensis an. 397. sub pontificatu Syricii. Vide Labbei collectionem Conciliorum tom. 3.

(2) Hac de re consuli poterunt Melchior Canus de locis theologicis lib. 2. Cap. 9. 10. 11., Card. Bellarminus disputationum tom. 1. Controv. 1. De verbo Dei lib. 1. Cap. 15., Natalis Alexander Historiae Ecclesiasticae Veteris Testamenti

Quod si ponatur etiam, libros Machabaicos non esse divinos, his detrahi certe non poterit ea saltem historica fides, quae operibus Thucydidis, Xenophontis, Caesaris debetur. Id autem satis est contra adversarios. Auctor enim utriusque libri Machabaeorum ad minimum receptus ut alius quisque probatus historicus enarrat, populum Israel hortatu Judae pecuniam sponte contulisse, ut piaculare sacrificium offerretur pro iis, qui in praelio ceciderant. Hoc autem factum, de quo non est ambigendum, ostendit persuasum fuisse judaeis, justorum animas post obitum in statu quodam detineri, in quo viventium precibus juvari possint, atque a vinculis culparum dissolvi; ostendit per ea tempora jam obtinuisse morem sacrificandi, et orandi pro defunctis; ostendit Ecclesiam judaicam hanc praxim velut piam et salutarem absque controversia probasse. At vero si purgatorium non existeret, certe Christus Dominus, qui futiles pravasque Pharisaeorum traditiones non semel in Evangelio redarguit, hanc quoque judaeorum fidem, et consuetudinem tamquam inanem ac superstitiosam reprehendisset. Nullibi tamen haec

art. 6. dissert. 7. art. 8. prop. 2., ac demum praeclarus olim in hoc Mutinensi Archigymnasio Sacrarum Literarum et linguarum Orientalium institutor P. Hyacintus Arizzarra ordinis Praedicatorum in suis Elementis Hermeneuticae Sacrae Cap. 3.

fides et consuetudo ab eo reprehensa fuit. Necesse ergo est, ut inde concludamus, purgatorium existere. Quod attinet porro ad verba Matthaei, circa quae nugatur pseudomartyr Petrus Vermilius, ita paucis reponimus cum Bellarmino dicente, *non sequi secundum regulas dialecticorum id, quod inferimus ex verbis Domini, sed tamen sequi secundum regulas prudentiae, quia alioquin faceremus Dominum ineptissime loquutum. Inepte enim diceret: hoc peccatum* non remittetur neque in hoc saeculo, neque in futuro, *si in futuro nullum remittitur* (1). Ex dictis plane colligitur, falso contendere novatores, e Sacrarum Scripturarum locis, quae superius tradidimus, purgatorium non posse demonstrari.

Ad 2. Quoniam hic de rebus, non de vocibus, disputatur, hinc parum refert inquirere, num purgatorii nomen in utroque foedere usurpetur, dum constat aliunde tum e libro 2. Machabaeorum, tum ex Evangelio Matthaei, medium existere locum, ubi post obitum, ut solvantur a peccatis, justorum animae detinentur (2). Peculiariter autem adnotamus, nullius esse ponderis argu-

(1) Hactenus Card. Bellarminus disputationum tom. 2. Controversia 3. lib. 1. de Purgatorio Cap. 4.

(2) Consulantur quae supra vidimus §. 136. argum. 1., et hic in respons. ad 1.

mentum a silentio deductum, quod alicubi servant Scripturae Sacrae. Profecto si de Genesi loquamur, ex ea nil contra nos concludi posse fidenter asserimus. In hoc enim libro non proponitur doctrina Fidei, sed patriarcharum gesta referuntur; ideo manifestum est, integritatem historiae non requirere, ut ibi de purgatorio disseratur. Item nihil concluditur ex Levitico, quamvis in eo speciatim pro mortuis institutum non reperiatur sacrificium. Ibidem quippe constat, sacrificia generatim indicta fuisse pro peccatorum expiatione (1). Ergo indiscriminatim haec non modo pro vivis offerebantur, sed etiam pro defunctis, quorum culpae delendae superessent. Nihil tandem infertur ex Apostolo, qui totus est in objecta Epistola, ut moneat fideles, ne plus aequo ad instar ethnicorum defleant, qui decesserunt. Cum itaque scopus D. Pauli sit commovere non ad luctum, sed ad consolationem Thessalonicenses; inde patet, cur ille ante oculos eorum ponat futuram resurrectionem, ac beatitatem sempiternam, neque poenas commemoret purgatorii.

Ad 3. In arbore ad austrum vel ad aquilonem semper, quo semel ceciderit, mansura Ecclesiastes allegorice quidem animam de-

(1) Levitici Cap. 4. 5. 6. 7.

signat, quae, resoluta corporis compage, ad alterutrum statum flectit salutis vel damnationis aeternae. Verum duplex hic status permanens atque perpetuus alterum temporaneum non excludit. Ad statum enim aeternae salutis omnes pertinent electi, sive coeleste regnum statim post mortem consequantur, sive aliquandiu hoc ipsis differatur, donec a sordibus mundanis penitus emaculentur. Quoad porro verba, quae habentur Matthaei cap. 25. dicimus, haec novissimum diem respicere, in quo Christus judex adveniet, ut justos in gloriam recipiat, gehennae tradat peccatores. Id vero doctrinae de purgatorio non officit, quia tum finem illud habiturum catholica semper docuit Ecclesia. Hisce dilucidatis auctoritatibus, conspicuum est, veritati, quam propugnamus, divina oracula minime adversari, dum in futuro saeculo duplicem statum agnoscunt.

Sed neque refragantur huic veritati loca Scripturarum, quibus abutuntur novatores, ut ostendant, justis in altera vita nullatenus differri coelestem retributionem. Res ut pateat, animadvertimus prae primis, verba Sapientiae, in quibus agitur de justo, cui refrigerium ilicet conceditur *si morte praeoccupatus fuerit,* cum purgatorio minime pugnare. Animae siquidem justorum etsi

detineantur in statu expiationis, non leve tamen gaudium et solatium ob futurae gloriae certitudinem experiuntur. Sin autem haec ipsa verba de refrigerio intelligere velimus, quod parit non exspectata, sed praesens beatitudo, tum non ad quemlibet justum Sapientiae locus referendus erit, sed ad justos tantum omnino perfectos, quibus nihil post mortem superest luendum. Animadvertimus pariter, verba deducta e Psalmo 126. dupliciter sumi posse, hoc est, literaliter, et anagogice. In sensu priori per somnum designatur pax, et felicitas, quam Deus in hoc mundo justis concedit, quaeque in fecunditate, ac prolis multitudine sub lege veteri potissimum reponebatur (1). In altero sensu per somnum, cui mors justorum comparatur, status intelligitur, in quo ad extremum usque judicii diem corpora eorum quasi somno correpta jacebunt. Quae postquam dormierint, *ecce haereditas Domini;* videlicet, qua die consurget universa caro, electi omnes, qui sunt Christi haereditas, ejusque filii per adoptionem cum propriis corporibus apparebunt gloriosi (2).

(1) Vide commentaria Maldonati, Malvendae, Tirini, Bossueti, Calmeti, aliorumque sacrorum interpretum apud Lucam Brugensem.

(2) Ita sentiunt Hieronymus Breviario in Psalterium, Hilarius tractatu in Psalmum 126. N. 15. 16., et Augustinus enarratione in eundem Psalmum N. 7.

Quavis porro significatione accipiantur praefata verba, haec nullatenus tangunt dogma de purgatorio. Postremo animadvertimus in Apocalypsi fieri sermonem de requie a laboribus terrenis, a calamitatibus vitae praesentis, a quibus per mortem justi liberantur, sive quia confestim ad beatitudinem perducuntur, sive quia, licet in purgatorio detineantur, vere tamen requiescunt, cum de ultimo fine adquirendo non haereant amplius incerti.

Ad 4. Ut infirment communem Patrum consensum circa purgatorii existentiam, immerito prorsus novatores Cyprianum, Cyrillum, Chrysostomum, et Augustinum catholicis opponunt. Ubi namque Cyprianus ait, in saeculo futuro nullum esse locum poenitentiae, nullum satisfactionis effectum, certe purgatorium non denegat: agit enim de poenitentia, quae justificationem praecedit, quaeque in altera vita peccatori non conceditur. E contextu id aperte liquet: ibi siquidem hic S. Pater Demetrianum ethnicum et infensissimum Christianae Religionis hostem alloquitur, eumque adhortatur, *dum aliquid de hoc saeculo superest, Deo satisfacere, et ad verae religionis candidam lucem de profundo tenebrosae superstitionis emergere.* Item Cyrillum Jerosolymitanum recte cum Ecclesia catholica de purgatorio

sentire manifestum est e Catechesi 5. jam superius citata (§. CXXXV.), in qua ipse tradit, preces et sacrificia maximum juvamen defunctorum animabus afferre. Hinc ubi decernit Catechesi 18. tempus ad remissionem peccatorum in hac vita fore praescriptum, nonnisi de culpis lethalibus agit, quae profecto nequeunt in purgatorio deleri. Chrysostomus quoque loco nobis objecto de reatu loquitur culpae lethalis, qui, salutari poenitentia si non deleatur in hoc saeculo, non remittetur in alio. Res patet exemplo, quod ibidem ille profert epulonis, qui poenis cruciabatur aeternis, docens poenitentiam post mortem non esse differendam. Quod autem Chrysostomus doctrinam de purgatorio admiserit, satis ostenditur ex Homil. 3. in cap. 1. Epistolae ad Philippenses, ubi haec verba traduntur: *Non frustra ab Apostolis sancitum est, ut in venerandis misteriis memoria eorum fiat, qui decesserunt: noverant hinc multum illis lucrum accedere, multum utilitatis*. Neque porro doctrinae catholicae adversatur iste Pater cum dicat in Psalmum 50. *ubi misericordia est, poenae non expetuntur*. Haec sententia quippe vera quidem est, si de poenis aeternis agatur, quae non expetuntur nisi ad perditionem peccatoris. At, ipsa posita, aeque indubitatum est, quod, ubi est

misericordia, tum ad satisfaciendum justitiae divinae, tum ad animas justorum ab omni labe expurgandas expeti etiam possunt poenae temporaneae. Demum Augustinus, qui non semel absque ambagibus tradit existere purgatorium, sibi non contradicit, dum tract. 49. in Joannem ait, requiem ilicet consequi post mortem, qui ea digni reperiuntur. Justis quippe decedentibus requies continuo datur, vel sine doloris admixtione si mox in coelestem patriam recipiantur, vel etiam cum admixtione poenae temporalis in piacularibus flammis perferendae.

Ad 5. Si graeci Patres consulantur, ex iis plane constabit, orientales de purgatorio non dubitasse, quamvis tenerent, non igne materiali, sed obscuritate tantum ac moerore justorum animas in loco purgationis torqueri. Idipsum colligitur ex actibus Concilii Florentini, cum in prima et posteriori Sessione decernatur, unam semper fuisse graecorum et latinorum fidem circa purgatorii existentiam. Hac ergo de re nulla unquam inter catholicos extitit in dogmate dissensio, totaque controversia fuit de poenarum genere, de qua nihil adhuc definivit Ecclesia. Hinc mendacissimus apparet Vermilius, dum audet asserere, doctrinam de purgatorio ab Ecclesia Christi non semper et ubique fuisse receptam.

Ad 6. Ecclesia universa, uti e libris cunctis liturgicis perspicuum est, orare semper consuevit et sacrificium offerre pro defunctis, ut solvantur a culpis, ut refrigerium consequantur. Haec autem consuetudo inter fideles constanter et ubique recepta novatorum errori penitus repugnat. Nam, dogmate sublato de purgatorio, ad quid valerent hujusmodi precationes, et sacrificia? Damnatis non quidem prodesse possent, cum apud inferos nulla sit redemptio: at neque beatis, qui aeternam felicitatem cum adepti fuerint, precibus non egent nostris ad veniam peccatorum, non ad incrementum gloriae, non ad beatitudinis perfectionem.

Ad 7. Juxta catholicos doctores tam meritum de condigno, quam satisfactio statum gratiae habitualis requirunt: sed quamvis meritum, et satisfactio in hoc aliquid habeant commune, unicuique tamen plura sunt propria. Nam satisfactio, quae dicitur compensatio poenae, seu debiti solutio, debet esse laboriosa, et poenalis, quae conditio ad meritum non est necessaria. Item non datur meritum nisi in homine viatore ac libere operante: in satisfactione vero deesse potest haec duplex conditio: certum est enim vere ac proprie satisfacere qui debitum solvit etiam invitus et coactus; neque post mortem status repugnat, in quo divinae ju-

stitiae sive pro levis culpae reatu, sive pro reatu poenae temporalis exhibeatur compensatio. Unde conspicuum est, meritum absque satisfactione consistere posse, ac vicissim absque merito satisfactionem. Id autem congruit apprime cum doctrina de purgatorio, quam dogmatici tradunt. Hi quippe fatentur, meritum in purgatorio non dari, cum animae justorum eo loci detentae non sint amplius in via, et necessario patiantur. At aeque tenent, satisfactionem, seu satispassionem ibi admittendam esse, quia non adhuc illae sunt in termino; ideoque possunt aliquid agere, vel perpeti, ex quo fiat peccati venialis, ac poenae temporaneae condonatio. Quae cum ita sint, jam plane constat, nullam reperiri pugnam inter catholicorum principia, in quibus de merito, de satisfactione, de purgatorio disputatur.

ARTICULUS TERTIUS

De sempiternis inferorum poenis, quae peccato debentur.

§. CXXXVIII.

Alter peccati effectus est poena duplex tum damni tum sensus, quam daemones, et homines impii indesinenter in futuro saeculo patientur. Poena damni consistit in

privatione visionis Dei, ceterorumque bonorum omnium, quae coelestem beatitatem constituunt; haec autem ideo poena damni vocatur, quia maximum est reprobis detrimentum a Summo Bono, quod est unicum verae felicitatis objectum, et ultimus finis hominis, perpetuo repelli. Tanta privatione puniendos esse post obitum peccatores, dogma catholicum est. Liquet praesertim haec veritas ex verbis Apostoli, qui Ep. ad Galatas cap. 5. v. 19. ait: *manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, sectae, invidiae, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia...... qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Idipsum constat ex Apocalypsi, ubi Joannes gloriam, et sanctitatem coelestis Jerusalem describens inquit cap. 22. v. 15. *foris canes, et venefici, et impudici, et homicidae, et idolis servientes, et omnis, qui amat et facit mendacium* (1). Poena sensus ea est, qua per ignem aeternum, aliosque sensibiles cruciatus in infer-

(1) De poena damni disserens Enchiridion Cap. 112. D. Augustinus haec habat: — Perire a ragno Dei, exsultare a Civitate Dai, carere tam magna multitudina dulcedinis Dei, quam abscondit timantibus sa, perfacit autem sparantibus in se, tam grandis est poena, ut nulla ei possint tormenta, quae novimus, comparare —.

no torquebuntur animae, simulque corpora, damnatorum. Hanc quoque poenam reprobis paratam fore, Sacrae Literae disertissime testantur. Sic enim clamat Isaias cap. 33. v. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Item apud Matthaeum legitur cap. 13. v. 49. et 50. *Exibunt Angeli et separabunt malos de medio justorum; et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus et stridor dentium.* Hujusmodi porro damnatorum cruciatus inaequales erunt pro numero et natura culparum juxta illud Deuteronomii cap. 25. v. 2. *pro mensura peccati erit et plagarum modus.* Id eruitur etiam e cap. 18. Apocalypsis, in quo de muliere fornicaria dicitur v. 7. *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum.* Idipsum tandem confirmat Synodus Florentina sess. 25. in decreto unionis definiens, *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas* (1).

(1) Angelicus Doctor lib. 3. contra gentes Cap. 145. congruentiam poenae sensus ad reprobos torquendos hoc brevi rationis argumento demonstrat: — Poena debet proportionaliter culpae respondere. In culpa autem non solum avertitur mens ab ultimo fine, sed etiam indebite convertitur in alia, quasi in fines. Non solum ergo puniendus est qui peccat per hoc quod

§. CXXXIX.

At ubinam sedes inferorum ponenda? Calvinus, Beza, Bucerus, ac Brentius praesertim ubiquistarum parens docuerunt, nullum extare locum peculiarem ad poenam reproborum designatum (1). Recessit quidem ab hoc errore Swindenius Britannus aevo proxime elapso, sed novum delirium excogitando infernum in sole defixit (2). Hisce praenotatis, en bina conclusio.

Dicimus 1. contra ubiquistas locum peculiarem ad improborum punitionem divinitus fore constitutum. Perspicua sunt hac de re novi Foederis testimonia plurima, quibus veritas effulget. Ibi namque infernus passim appellatur *locus tormentorum* (3), *lacus irae Dei magnus* (4), *stagnum ignis et sulphuris* (5), *tartarus* (6), *gehenna* (7). Quae verba profecto locum aliquem praefinitum existe-

excludatur a fine, sed etiam per hoc, quod ex aliis rebus sentiat nocumentum —.

(1) Consule Bellarminum disputat. tom. 1. Controversia 2. de Christo lib. 4. Cap. 8.

(2) Swindenianum hunc libellum solidissime refutavit P. Vincentius Patutius in erudito opere, quod inscripsit *De sede inferni in terris quaerenda.*

(3) Lucae Cap. 16. v. 28.

(4) Apocalypsi Cap. 14. v. 19.

(5) Ibidem Cap. 20. v. 9.

(6) Ep. 2. D. Petri Cap. 2. v. 4.

(7) Matthaei Cap. 10. v. 27.

re ostendunt, in quo reprobi terrifico divinae ultionis gladio in futuro saeculo plectentur.

Dicimus 2. contra Swindenium sedem inferni non in sole sitam esse, cum certe de tam absurdo commento nec vola nec vestigium in Sacris Libris reperiatur; sed in poenitioribus terrae partibus eam potius esse perquirendam. Ita universim tenent orthodoxi. Et quamvis hic de dogmate Fidei non agatur, jure tamen recipitur haec doctrina utpote Scripturis Sacris, et Patrum traditioni consentanea. Sententiae nostrae favent in primis Divinae Literae; nam damnatorum carcerem vel *profundum laci* (1), vel *infernum inferiorem* (2), vel *abyssum* (3) vocare solent; iccirco in locis subterraneis eum collocare videntur. Eidem sententiae suffragantur et Ecclesiae Patres. Nam si consulamus inter orientales Athanasium (4), Epiphanium (5), Basilium (6), utrumque Cyrillum Jerosolymitanum (7), et Alexandrinum (8); item ex occidentalibus Cyprianum (9), Hi-

(1) Isaiae Cap. 14. v. 15.
(2) Psalmo 85. v. 13.
(3) Lucae Cap. 8. v. 31.
(4) Expositione in Psalmum 62. v. 12.
(5) In Ancorato N. 101.
(6) In Caput 5. Isaiae.
(7) Catechesi 6. N. 15.
(8) Comment. in Isaiae Cap. 14.
(9) Ep. 55. ad Cornelium.

larium (1), Hieronymum (2), Augustinum (3), et M. Gregorium (4): plane compertum erit, eos omnes uno ore tradidisse, in imis terrae penetralibus locum damnatorum consistere (5).

§. CXL.

Cuncta, quae in utroque Foedere perhibentur de futuris improborum poenis ad tropos, ad allegorias convertit Origenes Adamantius, et inferorum ignem metaphorice

(1) Commentar. in Psalmum 2.

(2) Commentar. in Cap. 2. Isaiae, in Cap. 1. Jonae, et in Cap. 4. Ep. ad Ephesios.

(3) Lib. 4. Quaestionum in Heptateuchum Quaest. 29. in Numeros.

(4) Lib. 4. dialogorum Cap. 42.

(5) Legimus in Apocalypsi Cap. 12. v. 12. — Vae terrae, et mari, quia descendit diabolus ad vos —: noscimus pariter ex Evang. Lucae Cap. 8. v. 31. daemones rogasse Christum, — ne imperaret illis, ut in abyssum irent —. Hisce, aliisque auctoritatibus innixi veteres plures docuerunt, cacodaemones in aere tenebricoso versari. Ita existimarunt prae ceteris Tertullianus in Apologetico Cap. 22; D. Augustinus lib. 8. de Civit. Dei Cap. 22., et D. Hieronymus in Cap. 32. Ezechielis. Verum huic opinioni minime consonant verba D. Petri dicentis Ep. 2. Cap. 2. v. 4. — Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos —. Interim, ut haec Scripturarum loca invicem componantur, censendum est, angelos, qui pactum non servaverunt, post lapsum mox quidem dejectos fuisse in infernum, sed eorum plures, Deo sic permittente ad mortalium probationem, inde egressos in aere, vel in terra morari, poenamque tum sensus tum damni ad supremum usque diem judicii etiam extra tartarum perferre; quo tempore denuo in abyssum omnes trudentur forte graviori supplicio torquendi.

sumendum esse pro conscientiae morsibus autumavit lib. 2. Periarchon Cap. 11. Hac de re testis nobis est D. Hieronymus, qui Ep. 124. ad Avitum N. 7. ita de Origene scribit: *ignem gehennae, et tormenta, quae Scriptura Sancta peccatoribus comminatur, non ponit in suppliciis, sed in conscientia peccatorum, quando Dei virtute, et potentia omnis memoria delictorum ante oculos nostros ponitur... et quidquid feceramus in vita vel turpe, vel impium, omnis eorum in conspectu nostro pictura describitur, ac praeteritas voluptates mens intuens conscientiae punitur ardore, et poenitudinis stimulis confoditur* (1). Ab Origene vel minime dissentit Joannes Calvinus: ait siquidem in Cap. 3. Matthaei: *de igne aeterno scio argute a multis fuisse disputatum: at colligere licet metaphoricam esse locutionem:* item in Cap. 10. Ep. ad Hebraeos ille contendit *ignem, quem reprobis Scriptura minatur, esse malae conscientiae reatum.* Adhaeret huic articulo calvinianae doctrinae Theodorus Beza

(1) Originem ab hoc naevo defendere studeut nonnulli proferentes ejus commeutarios in Proverbia, in Psalmos, et in Matthaeum, aliaque loca plurima, in quibus ille de inferorum igne recte sentire visus est. Inter ipsius petronos emiuet S. Pamphilus martyr, Sed, etiamsi ex hoc capite hic Pater culpandus non foret, certum est, e libro Periarchou ansam sumpsisse Origenianos, ut errorem de igne metephorico traderent: idque testatur in commonitorio ad D. Augustinum Orosius.

in sua Fidei confessione. Pariter inter catholicos Ambrosius Catharinus in lib. de bonorum praemio, et supplicio malorum a proprio verborum Scripturae sensu et ipse recedens vocem *ignis* allegorice intelligit. Sane circa naturam ignis gehennalis non adhuc ab Ecclesia decretum fuit, quid de Fide tenendum. At nihilo secius tanta est quoad hujusmodi poenam Scripturae Sacrae perspicuitas, ut orthodoxi de igne metaphorico sententiam, alii haereticam, alii haeresi proximam dixerint, omnes vero saltem ut temerariam et erroneam penitus repudiarint.

§. CXLI.

Ad origenistarum doctrinam explodendam oracula perpendantur Scripturarum, in quibus de inferorum igne fit sermo. Scriptum est in libro Ecclesiastici cap. 21. v. 10. *Stuppa collecta synagoga peccantium, et consummatio illorum flamma ignis.* In Apocalypsi Joannes Apostolus inquit cap. 14. v. 10. *Si quis adoraverit bestiam... cruciabitur igne, et sulphure*: rursus cap. 21. v. 8. agens de *timidis, et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus,* concludit, *pars illorum erit in stagno ardenti igne.* In Evangelio Lucae dives, quem cap. 16. de-

scribit Christus in inferno delapsum, clamabat: *crucior in hac flamma.* Tandem apud Matthaeum Christus ipse ait cap. 5. v. 22. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennae ignis:* et cap. 13. v. 41. *Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno Dei omnia scandala, et eos, qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis.* Haec porro, et alia Scripturae Sacrae loca sexcenta, quae mittimus, non aliter quam sensu literali et obvio sumi posse ad ignem verum atque corporeum designandum, tria potissimum demonstrant.

Nam. 1. Sancti Ecclesiae Patres, qui jure primatum obtinent in Scripturarum interpretatione, cuncta haec loca in propria significatione accipiunt, ignemque materialem in ipsis denotari fatentur. Ita docent Polycarpus (1), Irenaeus (2), Chrysostomus (3), Ephraem (4), Cyprianus (5), Hilarius (6), Hieronymus (7), Augustinus (8), Gre-

(1) Vide hujusce Patris Epistolam apud Eusebium Hist. Eccl. lib. 4. Cap. 16.

(2) Lib. 2. contra haereses Cap. 28.

(3) Sermona ad Theodorum lapsum N. 8.

(4) Sermone axegetico in illud Thren. Cap. 5. v. 16. vaa nobis, qui peccavimus.

(5) Lib. ad Demetrianum, sermone de Ascensione Domini, et lib. de laude martyrii Cap. 12.

(6) Lib. 10. de Trinitate N. 34. et in Psalm. 57. N. 4.

(7) Ep. superius citata ad Avitum.

(8) Lib. 21. de Civitate Dei Cap. 10.

gorius M. (1), et Isidorus Hispalensis (2), quos prae ceteris indicasse sufficiat. Graecis, Latinisque Patribus accedunt catholici doctores omnes, qui apertis ulnis eorum sententiam amplectuntur. Jam vero, tantae auctoritatis argumento posito, quis absque intolerabilis audaciae nota poterit a suffragio universae antiquitatis recedere, ut ignem inferni metaphoricum defendat.

2. Hermeneuticae principia si probe recolantur, quisque sibi facile suadebit, non in omni orationis genere metaphoras usurpari. Eae namque conveniunt quidem poeticae vel propheticae locutioni; at sermo familiaris et historicus ab iisdem omnino abstinet, nisi tamen in hoc vel ob idiomatis inopiam, vel ob consuetudinem metaphorae sint adhibendae. Itaque si daretur etiam, in sacris Prophetarum libris vocem *flammae* et *ignis* ad sensum figuratum transferri posse; id tamen aeque concedendum non erit de libris, qui stylo historico et familiari traduntur, prouti sunt Evangelia, et Epistolae Apostolorum. Numquid enim in his metaphoram requirit idiomatis inopia? Minime gentium: hebraeorum siquidem, graecorumque lingua satis adeo vocibus redundat, ut sensus figuratos, et improprios in subsidium

(1) Lib. 4. Dialogorum Cap. 29.
(2) Lib. 2. Sententiarum Cap. 31.

advocare necesse nequaquam sit ad poenas inferorum describendas. Numquid metaphoram consuetudo loquentium patiebatur? Id neque fingi potest: vox etenim *esc* apud Judaeos, vox *pir* apud Graecos ex usu communi ad exprimendas animi angustias, aliosve cruciatus exteriores praeter ignem adhibita non reperitur.

3. Ceteris quoque praetermissis auctoritatibus, vel unicum sufficit perpendere caput 25. Matthaei, ut verus ac materialis inferorum ignis certo comprobetur. De extremo die ibidem agitur, ac de judice Christo, qui *dicet his, qui a sinistris erunt: discedite a me maledicti in ignem aeternum.* Haec porro verba, non proprie, sed figurate Christum protulisse, absurdissimum est excogitare. Quis namque judex sententiam adversus nocentem verbis metaphoricis pronuntiavit? Nemo sane audivit unquam, decrevisse judicem igne cremari, quem vellet, aut gladio percuti, aut laqueo suspendi (1).

§. CXLII.

De gehennalis poenae duratione jam saeculo Ecclesiae tertio disseruit Origenes plus aequo scholae platonicorum addictus: cumque existimasset post longos temporum an-

(1) Prae cunctis consule Dionysium Petavium Theologicorum Dogmatum tom. 3. lib. 3. de Angelis Cap. 5.

fractus futuram plenam omnium apocatastasim, inde etiam docuit lib. 1. Periarchon Cap. 6. finem aliquando habitura daemonum, hominumque damnatorum supplicia, eosque tandem vitiis omnino purgatos coelestem beatitatem assecuturos. Hujusmodi errorem ei tribuunt Epiphanius (1), Hieronymus (2), Augustinus (3), Theophilus Alexandrinus (4), et Concilium Constantinopolitanum secundum (5). Tantum Origenis paradoxum eodem aevo et sequenti amplexati sunt plures, quos meminit Orosius in commonitorio, quosque D. Augustinus *misericordes, et in perversum misericordes* appellat. Lib. 21. de Civitate Dei Cap. 17. Origenianae apocatastaseos jamdudum oblitae inter sexti decimi saeculi novatores patrocinium suscepit lutheranus theologus Joannes Petersenius; hanc aperto marte propugnavit, aliosque ad redivivum errorem pertraxit. Poenae inferorum aeternitatem denegarunt etiam Anabaptistae, sicuti patet ex augustanae confessionis articulo septimo. Eidem dogmati bellum indixerunt Faustus Socinus, Crellius,

(1) Ep. ad Joannem Jerosolymitanum.
(2) Apologia 1. adversus Rufinum.
(3) Lib. de haeresibus Cap. 43.
(4) Epistola 2. Paschali.
(5) Ex actibus hujusce Concilii refert Nicephorus lib. 7. Historiae Cap. 27. et 28. inter plures Origenis errores hunc pariter a Constantinopolitanis Patribus reprobatum fuisse.

Volzogenius, ceterique sociniani gregales, quibus adhaesit et Lockius (1); cum arbitrarentur aequum non esse creaturas addicere ob unum vel cogitationis lethale peccatum suppliciis in perpetuum duraturis. Pseudo-philosophi quoque, ac praesertim deistae in catholicam hanc veritatem impetum et ipsi faciunt: nova tamen rationis momenta proferre non solent, sed quae jam plurimis ante saeculis a Hieronymo, et Augustino invictissime contrita fuere.

§. CXLIII.

Si divina Scripturarum eloquia, si Patrum doctrinam, si Ecclesiae universae auctoritatem, si rationem naturalem consulamus, quadruplex emergit argumentum quo catholica veritas de sempiterna reproborum damnatione adversus origenianos, socinianos, atque deistas validissime firmatur.

Primum argumentum depromitur e Sacris Literis, quae graviter peccantibus supplicia perpetuo duratura semel iterumque decernunt. Initium a veteri Testamento capiamus, in quo potissimum nobis occurrit illud Isaiae Cap. 66. v. 24. *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* In novo autem Foedere Christus inquit

(1) Id eruitur ex libro, quem Lockius inscripsit -- Christianismus rationi consentaneus --.

Marci Cap. 9. v. 44. *Bonum est tibi claudum introire in vitam aeternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis.* Rursus Matthaei Cap. 25. prope finem Servator ipse de extremo impiorum disserens judicio haec tremenda verba pronuntiat: *ibunt hi in supplicium aeternum.* Audiatur insuper Doctor gentium Ep. 2. ad Thessalonicenses Cap. 1. v. 9. dicens de *iis, qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio,... poenas dabunt in interitu aeternas.* Porro si juxta Scripturarum locutiones ignis inferorum non extinguetur, si aeterni erunt gehennales cruciatus; inde necessario consequitur, nunquam finem habitura damnatorum supplicia.

Amplissimum aliud argumentum, quo vel magis haec veritas roboratur, universalis exhibet Sanctorum Patrum consensus.

Graecorum agmen ducat Justinus Martyr, qui ait in Apologia ad M. Aurelium: *docemus.... unumquemque ad sempiternam vel poenam vel salutem pro factorum suorum meritis contendere.* Huic protinus accedit Irenaeus, a quo dicitur lib. 4. adversus haereses Cap. 47. *poena eorum, qui non credunt verbo Dei... non solum temporalis, sed aeterna facta.* Item Basilius in regulis compendio traditis interrogatione 267. inquit: *si aeterni supplicii quandoque finis est futurus,*

omnino habebit et vita aeterna finem. Hisce adjiciatur Gregorius Nyssenus, qui in oratione ad eos, qui durius et acerbius alios judicant, ait: *absurdum est,... eos, qui animae curam gerunt, incertum mortis diem non antevertere, et ardorem excruciantis illius ignis, qui aeternum comburit, et nullum unquam refrigerium admittit.* Idipsum tenet Cyrillus Jerosolymitanus ita scribens Catechesi 18. N. 19. *Resurgemus aeterna quidem omnes, non omnes vero similia habentes corpora. Verum si quis justus est, coeleste corpus accipiet, ut possit cum Angelis digne una versari. Si quis autem peccator est, corpus accipiet aeternum perpetiendae peccatorum poenae capax, ut in ignem aeternum combustus nunquam absumatur.* Pariter Cyrillus alter Alexandrinus oratione de exitu animae hoc pacto clamat: *Qualis est gehenna ignis inextincti, urentis, neque lucentis!.... Mihi amarulentam timeo gehennam, quippe interminatam.*

Ad latinos Patres modo convertamur, e quibus Cyprianus lib. ad Demetrianum haec scribit: *Credite illi, qui incredulis aeterna supplicia gehennae ardoribus irrogabit....... Cremabit addictos ardens semper gehenna, et vivacibus flammis vorax poena: nec erit, unde habere tormenta vel requiem possint aliquando vel finem.* Adde Hilarium Com-

ment. in Cap. 5. Matthaei dicentem: *Requies nulla gentibus, neque mortis, ut volunt, compendio quies dabitur, sed corporalis et ipsis aeternitas destinabitur; ut ignis aeterni sit in ipsis aeterna materies, et in universis sempiternis exerceatur ultio sempiterna.* Eandem fidem profitetur Ambrosius lib. de lapsu virginis Cap. 8. hisce verbis: *Scio graviora facinorosis servari tormenta, et sine fine impias animas cruciatus manere, non temporales utique, sed aeternos.* Hieronymus quoque in Caput 3. Jonae *dogma perversum, et propugnaculum diabolicum* vocat Origenis doctrinam: hac enim posita, concludit: *quae distant inter virginem, et postribulam?... Idem ne erit Gabriel, et diabolus? Idem Apostoli et daemones? Idem Prophetae, et pseudo-prophetae? Idem Martyres et persecutores?* Adversus hanc doctrinam strenue dimicat et Augustinus lib. contra priscillianistas et origenistas: ibi namque circa Isaiae verba superius citata haec habet Cap. 6. *Qualiscumque poena significata sit nomine vermis et ignis; certe, si non morietur, nec extinguetur, sine fine praedicta est: nec aliud agebat Propheta, cum hoc diceret, nisi ut eam sine fine praediceret.* Rursus cum perpendat ibidem Hipponensis Doctor Caput 25. Matthaei: *Si misericordia,* inquit, *nos provocat credere, non futurum*

impiorum sine fine supplicium; quid de praemio justorum credituri sumus, cum in utraque parte, eodem loco, eadem sententia, eodem verbo pronuntietur aeternitas? An iterum etiam justos ex illa sanctificatione, et vita aeterna in peccatorum immunditiam, atque in mortem relapsuros esse dicemus? Absit hoc a Christianae Fidei sanitate. Hic et locum obtineat Leo M., qui sermone 4. de collectis ait: *Quis istam sortem aeternorum cruciatuum non pavescat? Quis mala nunquam finienda non timeat?* Catholicam veritatem etiam Anselmus enarratione in Evangelium sequentibus fatetur verbis: *Quisquis semel aeternae damnationi traditus est, nunquam ulterius redemptionem consequi potest.* Demum Bernardus lib. 1. de anima ad Ugonem sic fatur: *Procul a beata Paradisi patria exulati cruciabuntur in gehenna perpetua, nunquam lucem visuri, nunquam refrigerium adepturi: sed per millia millium annorum in infernum cruciandi, nec inde unquam liberandi, ubi neque qui torquet aliquando fatigatur, nec qui torquetur aliquando moritur* (1).

(1) Has omnes, aliasque plurimas Sanctorum Patrum, quas, ne simus longiores, praeterire cogimur, auctoritates videat studiosus lector apud Petavium loco jam citato Cap. 8., tum apud Patutium de futuro impiorum statu lib. 3. Cap. 16. et 17., tum in Theologia Dogmatico-Polemica Caroli Sardagnae S. I. Tom. 4. artic. 2. Controv. 5. N. 210.

Deducitur tertium argumentum ab auctoritate Catolicae Ecclesiae, cujus Fides constans semper fuit quoad sempiternam improborum damnationem. Concilia si adeamus, res lucidissime patebit. Origenianam quippe doctrinam, saeculo quarto vix ineunte, sub Theophilo Patriarcha Synodus Alexandrina proscripsit. Deinde medio saeculo sexto doctrinam ipsam iterum profligavit quinta Synodus Oecumenica, ejusque auctorem atque patronos anathemati subjecit (1). Nova sanctione catholicum dogma roboravit saeculo tertio decimo Lateranense Concilium quartum Cap. *Firmiter* in quo plane decernitur, *Christum venturum ad judicandos tam reprobros, quam electos, ut recipiant secundum opera sua..... illi cum diabolo poenam perpetuam, et isti cum Christo gloriam sempiternam.* Huic tandem Fidei definitioni suffragatur Concilium Tridentinum, cum probat sessione 14. Can. 5. con-

(1) Hao de re praeter Nicephorum, quem supra citavimus, testes habemus Evagrium Historiae lib. 4. Cap. 37., et Photium lib. de septem Synodis. Ulterius id eruitur ex actione 18. Concilii 6. Oecumenici, quod est Constantinopolitanum 3. Idipsum pariter constat e Concilio 7. Oecumenico, quod est Nicaenum 2., in cujus actione 1. sic Nicaeni Patres loquuntur, -- Sanctae venerabilis quintae Synodi, quae Constantinopolim congregata est, communi, et universali submissi sunt anathemati Origenes, et Theodorus Mopsuestiae, et ea, quae ab Evagrio et Dydimo dicta sunt; de eo, videlicet,... quod de restitutione in statum pristinum fatebantur -- .

tritionem, quae oritur *ponderando peccatorum gravitatem,.... amissionem aeternae beatitudinis, et aeternae damnationis incursum.*

Postremo suum locum teneat ratio quoque naturalis contra deistas, quibus dogma de sempiternis damnatorum cruciatibus nequaquam arridet. Hujusmodi veritatem cum ratione omnino consentire facili negotio demonstramus, illudque prae primis argumentum seligimus, quod nobis exhibet D. Thomas in 2. Sent. dist. 42. Quaest. 1. art. 3. En summatim conclusio. Lethalis culpa cum avertat hominem ab ultimo fine, tollit principium ordinis, quo voluntas Deo subjici debet. Sed inordinatio, quae tollit principium ordinis de se irreparabilis est. Ergo inordinatio, quam parit culpa lethalis, est de se irreparabilis. Sed culpa, ex qua oritur inordinatio per se irreparabilis inducit reatum poenae irreparabilis, ac aeternae; quia, cnm reatus poenae sit effectus inordinationis, hac manente, debet manere quoque reatus. Ergo culpa lethalis de se inducit reatum poenae irreparabilis, ac aeternae. Alio etiam pacto rem ostendit Angelicus Doctor lib. 3. contra gentes Cap. 144. dicens: = Naturalis aequitas hoc habere videtur, quod unusquisque privetur bono, contra quod agit: Ex hoc enim reddit se tali bono indignum; et inde est, quod secundum

civilem justitiam qui contra rempublicam peccat, societate reipublicae privatur omnino vel per mortem vel per exilium perpetuum: nec attenditur, quanta fuerit mora temporis in peccando, sed quid sit, contra quod peccavit. Eadem autem est comparatio totius vitae praesentis ad rempublicam terrenam, et totius aeternitatis ad societatem beatorum, qui aeternaliter ultimo fine potiuntur. Qui ergo contra ultimum finem peccat, et contra charitatem, per quam est societas beatorum, et tendentium in beatitudinem, in aeternum debet puniri =.

§. CXLIV.

Fundamentis in lucem prolatis, quibus nititur dogma catholicum de perpetuis reproborum suppliciis, reliquum nunc est, ut graviora saltem, quae ab adversariis opponi solent, pro munere investigemus. Eorum difficultates ad haec praecipua capita referuntur.

Objectio 1. Scripturae Sacrae cum doctrina de poenarum aeternitate nequeunt componi. Haec propositio sic facile demonstratur. De impiis legimus Isaiae Cap. 24. v. 22. *congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur in carcere, et post multos dies visitabuntur.* Item legimus in Psalmo 76. v. 8. 9. 10. *Numquid in aeternum*

projiciet Deus, aut non apponet, ut complacitior sit adhuc? Aut in finem misericordiam suam abscindet a generatione in generationem? Aut obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas? et in Psalmo 102. v. 9. *Non in perpetuum irascetur, neque in aeternum comminabitur.* Denique legimus Ep. ad Romanos Cap. 11. v. 32. *Conclusit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.* Quibus praemissis ita paucis concluditur. Juxta Scripturarum oracula Deus in inferno peccatores visitabit post longissimos eorum cruciatus, misericordiam in ira non continebit, non irascetur in aeternum, omniumque miserebitur. Sed haec omnia nequaquam fieri possent, nisi tandem aliquando in pristinum restituerentur damnati, eorumque tormenta finem haberent. Ergo doctrinae de aeternis inferorum suppliciis divinae Literae adversantur.

Objectio 2. Vox *aeternitatis,* quae in utroque Foedere tam saepe reperitur, non semper ad perpetuitatem significandam proprie usurpatur, sed frequenter improprie tantum sumitur pro temporis diuturnitate. Hoc sensu Abrahae promissa fuit ejusque semini terra Chanaan *in possessionem aeternam* (1): hoc sensu pollicitus est Deus fir-

(1) Geneseos Cap. 17. v. 8.

mitatem solii Salomonis *usque in aeternum* (1): hoc sensu lex Mosis dicitur *pactum sempiternum* (2). Itaque si ea loca Scripturarum, in quibus agitur de aeternis inferorum cruciatibus, accurate pensentur, nullum exinde certum deduci poterit argumentum, quo probentur daemonum, ac impiorum hominum poenae sine fine duraturae.

Objectio 3. Sed ponatur etiam, vocem *aeternitatis*, quae passim in sacro textu adhibetur, sumendam fore juxta mentem catholicorum ad perpetuitatem denotandam: at neque ex hoc necessario consequeretur, tormentis nunquam finiendis multandos esse peccatores. Haec siquidem punitio, quae appellatur aeterna, nonne in destructione damnatorum consistere potest? De hoc sane dubitandum non est: nam si pro patratis criminibus in nihilum a Deo convertantur iniqui, vere ac proprie in aeternum puniri dicuntur ob aeternam summi Boni privationem. Huic opinioni, quae socinianorum est, apprime congruunt plura Scripturarum loca, in quibus nonnisi per vocem *interitus* et *mortis* damnatio reproborum exprimitur (3).

(1) Lib. 2. Paralipomenon Cap. 17. v. 12. et 14.
(2) Exodi Cap. 31. v. 16.
(3) Ezechielis Cap. 33. v. 11., Ep. ad Romanos Cap. 6. v. 21. Cap. 9. v. 22., Jacobi Cap. 1. v. 15., Apocalypsis Cap. 17. v. 8. et 11.

Objectio 4. In Sacrificii oblatione Deum precatur Ecclesia, ut animae defunctorum liberentur *de poenis inferni, et de profundo lacu.* Hanc autem impossibilia deposcere credendum non est. Ergo a gehennae ardoribus erui possunt damnati. Sed absurdum omnino foret hujusmodi consectarium, si nunquam inferorum poenae finem haberent. Igitur earum aeternitas non est admittenda.

Objectio 5. Tuto concludendum erit, redemptionem ab inferis posse concedi, si ostendatur aliquem ex hoc tormentorum loco ereptum quandoque fuisse. At quo pacto id probabitur? In subsidium nobis adveniat ea peculiaris historia, qua noscimus animam Trajani precationibus D. Gregorii M. a tartaro solutam. De tam insigni facto non est cur ambigatur; illud enim testantur Damascenus (1), Joannes diaconus (2), et Graecorum Euchologium (3). Hisce auctoritatibus accedit praecellentium Theologorum suffragium: nam Doctor Angelicus (4), Anto-

(1) Ita rafert Joannes Damascenus in oratione de defunctis.

(2) Joannes Diaconus hanc narrationem tradit lib. 2. de vita Gragorii M. Cap. 44.

(3) Euchologium Graecorum in orationa quadam pro defunctis Cap. 96. haec habat: -- Quamadmodum Trajanum par fervantam servi tui Gregorii intercessionem flagro solvisti, exandi atiam nos te orantes non pro idolorum cnltora, sed pro fidali servo tuo, qui ta propter imbecillitatem ad iracundiam provocavit —.

(4) In supplemento 3. partis Quaast. 71. art. 5.

ninus (1), Vincentius Bellovacensis (2), et Joannes Gersonius (3) de hac Trajani liberatione dubitare non audent.

Objectio 6. Etiamsi, duce sola ratione, dogma consideretur de aeternitate poenarum, queis post mortem deputari dicuntur peccatores, quis non videt illud cum divinis pugnare attributis? Hoc praesertim Dei clementiam offendit, quia delectari de extremis ac perpetuis miserorum calamitatibus maximam crudelitatem sapit: hoc divinae quoque justitiae adversatur; nam culpa hominis, utcumque gravis fingatur, semper est finita; idcirco ei minime respondet poena, quae saltem *extensive* infinita foret, si poneretur aeterna (4).

§. CXLV.

Cuncta haec, quae adversus perpetuam inferni durationem congerunt origeniani, sociniani, ac deistae, ad crisim vocentur; atque peculiariter sit

Responsio ad 1. Loca Scripturarum heic nobis objecta nullum origenistis afferunt praesidium. Res ut omnino pateat, singulae,

(1) Chronicon parte 1. tit. 7. Cap. 3. §. 2.

(2) In speculo historiali lib. 10. Cap. 68.

(3) Sermone ad Regem Francorum pro pace Consider. 4.

(4) Haec opponunt Baylius in responsione ad quaestiones provincialis, et Collinsius in sermone de libertate cogitandi.

quibus ipsi abutuntur, explanentur auctoritates. Itaque de verbis Isaiae disserentes, in antecessu adnotamus, nomen *visitare* in Sacris Libris duplicem obtinere significationem: alia siquidem est visitatio *gratiae* et *clementiae;* alia est visitatio *irae,* et *justitiae.* Porro si de damnatis intelligenda sunt verba Prophetae *post multos dies visitabuntur,* haec visitatio non erit *clementiae,* ut liberentur; sed erit *justitiae*, ut amplius torqueantur. Nam si juxta mentem Isaiae reprobi visitandi forent, ut gehennam evaderent, quomodo sequenti Cap. 33. v. 14. ardores inferni sempiternos ille appellasset? En igitur perspicuus verborum sensus. *Post multos dies visitabuntur* in gehenna peccatores; idest, postquam ibi conjecti fuerint, plurimis etiam saeculis elapsis, rursus affligentur, adeo ut nullus unquam adveniet poenarum finis: *post multos dies visitabuntur;* scilicet, postquam passi fuerint usque ad extremum judicii diem, tum denuo condemnabuntur, et cruciatus, quos antea spiritu pertulerunt, in corpore quoque per totam aeternitatem sustinebunt (1). Neque origenistis favent verba davidica, cum haec

(1) Ite sentiunt in eorum Commenteriis D. Hieronymus, D. Thomas, Estius, Lyrenus, Menochins, Cornelius a Lepide, Tirinns, aliique interpretes catholici. Hisce adjicientur e protestantibus Munsterus, et Aben-Ezra inter judaeos.

non futuram vitam respiciant, sed praesentem, in qua Deus punit homines, at simul clementiam exercet. Dum enim per virgam afflictionis nocentes mortificat, eos ad poenitendum invitat, ac poenitentia placatur. Haec eadem Psalmorum verba refert ad viatores tantum ipse D. Augustinus lib. 21. de Civitate Dei Cap. 24., ubi mentem regii Vatis explicans, ita scribit: *in ira non obliviscitur misereri Deus faciendo solem suum oriri super bonos, et malos, et pluendo super justos et injustos, et sic non continet in ira sua miserationes suas.* Falso tandem deducitur ex Epistola ad Romanos, neminem a Deo misericorde in aeternum derelinqui: nam de iis ibi agitur sive ethnicis sive judaeis, quorum omnium Deus misereri voluit Fidei lumen utrisque tribuendo. Sed ut res magis eluceat, Angelicum Doctorem audire praestat, qui lectione 4. in hunc locum ait: *Cum dicit* Apostolus, *conclusit Deus omnia in incredulitate, assignat rationem hujus similitudinis, quia, scilicet, Deus voluit, ut sua misericordia in omnibus locum haberet; et hoc est, quod subdit: conclusit Deus, idest, concludi permisit omnia, idest, omne hominum genus tam judaeos, quam gentiles in incredulitate sicut in quadam catena erroris.... ut omnium misereatur; idest, ut in omni genere hominum sua misericordia lo-*

cùm habeat... Quod quidem non est extendendum ad daemones secundum errorem Origenis, nec etiam quantum ad omnes homines singillatim, sed ad omnia genera hominum; fit enim hic distributio pro generibus singulorum, et non pro singulis generum. Hisce locis breviter dilucidatis, jam corruit prior difficultas: ex dictis enim liquet, cum Sacris Literis doctrinam de sempiternis inferorum poenis vel minime pugnare.

Ad 2. Quamquam in hebraico textu vox *holam,* quae latine vertitur *aeternum*, pro tempore longaevo quidem, sed finito quandoque minus proprie sumatur; haec tamen proprie accepta perpetuitatem significat, nec secus est intelligenda quoties adhibetur, ubi de poena reproborum fit sermo. Id enim ad antilogias devitandas necessario requirunt alia quamplura loca Scripturarum, quae per negationem finis absque ambagibus perpetuam testantur impiorum damnationem. Item si de textu graeco loquamur, animadvertimus cum D. Augustino, Christum Dominum in Evangeliis, et Apostolos in eorum Epistolis, cum disserunt de cruciatibus inferorum non vocem *aeona,* cui latine respondet *saeculum*, usurpare, sed vocem *aeonion*, quae illud proprie designat, quod finem haud unquam est habiturum (1). Unde patet, quam

(1) Hanc animadversionem illustrat citatus Pater lib. adversus Priscillianistas, et Origenistas Cap. 5. N. 5.

infirmum sit argumentum a voce *aeternitatis,* cui duplicem sensum tribuunt Sacrae Literae, ab adversariis deductum.

Ad 3. Nimium imperitos in Scripturarum interpretatione se se ostendunt sociniani, dum inferorum aeternitatem in futura damnatorum destructione consistere docent. Horum siquidem commentum nullatenus congruere potest cum divinis oraculis, quae damnationis aeternitatem non in perpetua existentiae privatione, sed in cruciatibus exquisitissimis, et nunquam desituris tam diserte reponunt. Neque suffragatur adversariis, quod in novo Foedere ad reproborum statum denotandum alicubi vox *mortis,* vox *interitus* usurpetur. Hujusmodi namque locutiones nihil aliud exprimunt, quam sempiternam punitionem: quemadmodum enim in Sacris Literis *viventes* nuncupantur justi, qui cum Christo consurgent in Coelis perpetuo regnaturi juxta illud Sapientiae Cap. 5. v. 16. *justi autem in perpetuum vivent;* ita *mortui* contra dicuntur qui spiritaliter obiere, quatenus a gratia per culpam exciderunt, quatenus per damnationem exciderunt a gloria.

Ad 4. Ultro admittimus praxim Ecclesiae catholicae pie Deum exorantis, ut animae defunctorum a poenis inferni, et a profundo lacu eripiantur, ac, distinctione adhibita,

difficultatem e sacra liturgia petitam sic paucis resolvimus. Pro poenis inferni, et lacu profundo intelligi potest vel ignis aeternus, et gehenna, in qua reprobi torquentur, vel purgationis locus, in quo detinentur ad tempus animae justorum, donec ab omni naevo mundatae regni coelestis participes fieri mereantur. Quo posito, certum est, precationem, de qua hic agitur, nequaquam ad ignem aeternum referri; nam, uti canit in officio defunctorum ipsamet Ecclesia, *in inferno nulla est redemptio*. Respicit ergo haec oratio temporarias purgatorii poenas, ibique constitutas animas justorum, quibus prodesse posse viventium preces jam demonstravimus (§. LXX. N. 3.).

Ad 5. Propositae difficultati nullam vim praebet historia, quae producitur de Trajano D. Gregorii precibus e suppliciis tartareis erepto, cum inter fabellas ea sit optimo jure amandanda. Opponitur quippe hujusmodi historia Evangelicae doctrinae, qua perpetuo repellendus dicitur a regno Dei, et condemnandus qui non crediderit, nec fuerit baptizatus (1). Haec insuper traditioni repugnat; Ecclesia namque catholica semper, firmiterque credidit, damnatos nunquam a gehenna liberari.

(1) Marci Cap. 16. v. 16., et Joannis Cap. 3. v. 5.

Sed peculiariter singulas auctoritates, quibus hoc factum nititur, expendamus.

Historiam de Trajani ab inferis liberatione meminit prae primis oratio de Fidelibus defunctis Joanni Damasceno tributa. Eam tamen genuinum opus non fore Damasceni ex hoc manifestum est, quod ejusdem scriptor, quisquis ille fuerit, principiis obstat, quae in lib. 2. de Fide orthodoxa reperiuntur. Ibi siquidem citatus Pater inquit Cap. 4. *Illud etiam scire non alienum fuerit, quod hominibus mors est, hoc angelis lapsum extitisse. Post lapsum enim praeclusa jam est illis omnis resipiscendi facultas, quemadmodum et hominibus, postquam ex hac vita migrarunt.* Asseritur autem hac ipsa oratione, preces, et sacrificia pro damnatis utiliter offerri posse; idque ad Ecclesiae Fidem pertinere: asseritur, neminem eorum, qui in Christum crediderint, periturum: asseritur, ethnicos philosophos, qui, virtutum officiis quomodocumque expletis, providentiam Dei etiam non sine labe erroris fuerant venerati, a Christo ad inferos descendente illinc eductos fuisse. Tanta porro absurda Damascenum pronuntiasse, nec fingi potest. Igitur haec oratio, quae causam agit adversariorum, huic Patri adjudicanda non est.

Eandem historiam commemorat quoddam Graecorum Euchologium. Verum, ut Billius

observat, e pseudo-damasceni oratione forsan hic error ibidem irrepsit vel ob ignorantiam nonnullorum ex catholicis, vel ob malitiam haereticorum. Id enimvero probabile censendum est: nam quod in hoc Euchologio de Trajano legitur tum a Fide universae Ecclesiae dissentit, tum a ceteris orientalibus Euchologiis, ac potissimum ab eo, quod Goarius edidit, ubi de officio funereo Sacerdotis haec habentur: *non est in inferis poenitentia, nulla ibi relaxatio.... nec ullus inferno eripitur... ibi dentium stridor, luctus a consolatione alienus, densa caligo, tenebrae exteriores, vigilans vermis, infructuosae lacrymae, et judicium absque misericordia.*

Haec historia refertur quoque in vita D. Gregorii, quam saeculo nono Joannes Diaconus conscripsit. Fontes autem, e quibus, ut ille fatetur, suam narrationem desumpsit, quaedam fuere monumenta in nonnullis anglicanis Ecclesiis ab ipso conquisita. Nulla tamen fides obscuris hisce monumentis, quorum quanta sit vanitas et fallacia, tria lucidissime ostendunt. Nam si vernm haec monumenta protulissent, cur in Romanis archivis, quae semper acta Pontificum diligentissime servare consueverunt, tantum portentum relatum non fuit? Si verum protulissent, cur ipse Gregorius tam celebre factum

posteritati non commendavit? Quamvis alia quamplurima levioris certe momenti in ejus operibus notata conspiciantur, de hoc ne verbum quidem reperitur. Quin imo doctrina in iisdem tradita factum ipsum evertit, inane quippe nefasque existimavit Gregorius lib. 34. moralium Cap. 16. pro angelis et hominibus aeterno supplicio deputatis orare (1). Tandem si verum protulissent, cur tot praeclarissimi viri, qui ejusdem Patris aetate floruere, cum ipsius gesta literis consignarent, tam praeclarum facinus praeterierunt? Hujusmodi silentium procul dubio nunquam explicabitur, nisi et anglicana haec monumenta, et ab iisdem excerpta Joannis historia velut mendacissima reputentur.

Demum hanc historiam inter catholicos theologi plures, et sane praestantes receperunt. Si peculiariter de Angelico Doctore sit sermo, qui satis luculenter ait in 4. sentent. dist. 45., *suffragia prodesse non posse damnatis*, dicimus, eum positive non tradere liberationem Trajani ab inferis prece D. Gregorii impetratam. Tantummodo, ne Damasceni auctoritati derogare videatur, facta velut hypothesi de re, cujus veritatem non expendit, aliqua ratione studet eam, si vera sit, cum Ecclesiae fide conciliare;

(1) Vide sis etiam hujusce Patris lib. 4. dialogorum Cap. 44.

ideoque conjiciendo respondet, quod non fuerit hic princeps in inferno finaliter deputatus, sed per singularem Providentiae ordinem ipsius judicium ad tempus fuerit suspensum, cum Deus Gregorii precibus eum ad vitam revocandum praesciret. Ex quo patet, sententiam D. Thomae perperam contra nos proferri. Quoad vero ceteros, qui praeter Aquinatem hic numerantur scriptores, non diffitemur, maximam iis habendam esse reverentiam, sed quantalibet sanctitate, doctrinaque isti praepolleant, ab ipsis discedendum est, dum eorum placita vel Scripturae Sacrae, vel Traditioni non conveniant (1). Hac in re nobiscum sentiunt Baronius (2), Canus (3), Bellarminus (4), Possevinus (5), Natalis Alexander (6), Drovuen (7), aliique omnes, qui communi calculo historiam, de qua verba fecimus, veluti certo fabulosam, et catholicae veritati adversantem irrident atque repudiant.

Ad 6. Dogma catholicum de poenarum aeternitate divinis clementiae ac justitiae

(1) Ita D. Augustinus Epistola 10. ad Hieronymum.
(2) Annalium tom. 8. ad an. 604.
(3) De locis theologicis Lib. 11. Cap. 2.
(4) Lib. 2. de purgatorio Cap. 8.
(5) In apparatu sacro.
(6) Historiae Ecclesiasticae saec. 2. dissert. 1.
(7) De re sacramentaria tom. 2. lib. 5. Quaest. 7. Cap. 1. §. 5.

attributis vel minime contradicit. Illud profecto clementiam non offendit. Nam poenas inferorum aeternas vult quidem Deus, ut pro mensura culparum, quamquam citra condignum, reprobi plectantur. Verum de extremis atque perpetuis damnatorum calamitatibus non delectatur, quatenus ipsae sunt malum creaturarum: delectatur tantum in ordine justitiae suae, cujus magnificentia refulget, sive in aeterna retributione meritis justorum conferenda, sive in aeterna poena impiorum criminibus tribuenda. Quis porro sanae mentis hanc miram agendi rationem, qua Deus justitiam distributivam exercet, crudelitatem sapere dixerit, ac ideo divinae clementiae et bonitati repugnare (1)? Item per hoc ipsum dogma nec divinae justitiae detrahi manifestum erit, si lethalis culpae natura investigetur. Peccatum, quod lethale a theologis nuncupatur, ex uno capite est aversio a Summo Bono aeterno et incommutabili, quod bonum Deus est: ex altero est conversio ad bonum mutabile, qualis est creatura. Postremo sub respectu si peccatum consideretur, certe malum est finitum quia finitum est bonum, ad quod homo per culpam convertitur, tum etiam quia nonnisi finita esse potest affectio, qua

(1) Ex D. Thoma 1. 2. Quaest. 87. art. 3. ad 3.

humanus animus ad illud convertitur. At vero sub primo respectu malum quodammodo infinitum est culpa lethalis, quia per hanc homo a Bono infinito recedit. Igitur cum aliquo sensu malitia peccati vere sit infinita; consequens inde est, ut huic poena respondeat infinita, quin divina justitia laedatur. Sed poenae infinitae quoad *intensionem* capax non est creatura utpote finita. Ergo malitiae peccati infinitae respondere nequit nisi poena *extensive* tantum infinita per aeternam durationem. Hoc eodem utitur argumento Angelicus Doctor Quaest. 7. de malo art. 10. sic optime dicens: *Ex eo, quod contra infinitum quis peccat, debetur sibi poena infinita. Non autem potest esse infinita acerbitate, quia in creatura finita non potest esse qualitas infinita: sed recompensatur per durationem infinitam, quia creatura rationalis capax est durationis in infinitum.*

SECTIO SECUNDA

DE PECCATIS IN SPECIE CONSIDERATIS.

§. CXLVI.

Cum de peccatis hactenus disputatum fuerit generatim, postulat rectus ordo, ut praecipuas eorum species modo singillatim expendamus. Animadvertimus interim ab exor-

dio, de culpa *originali* consulto hic a nobis peculiariter non agi: hoc enim, quod proprie dogmaticorum est, argumentum ab instituto nostro prorsus alienum arbitramur. Sermonem potius habebimus de culpa tantum *personali,* utpote quod nil magis, quam ipsius investigatio, ad morum disciplinam pertinere videatur. Ne porro forte contingat, nos iterum circa ea quandoque versari, quae sparsim alibi tradita fuere, sectionem hanc posteriorem sic limitibus circumscriptam volumus, ut quinque capitibus res tota absolvatur. Itaque de peccato *personali,* ejusque variis speciebus in praesens dicturi, 1. de peccato lethali et veniali disseremus; 2. de peccatis internis; 3. de peccatis oppositis virtutibus theologicis; 4. de peccatis, quibus laeditur virtus Religionis; 5. denique de peccatis, quae virtutibus cardinalibus adversantur. Initium a priori capite sumamus.

CAPUT PRIMUM

DE PECCATO LETHALI ET VENIALI.

§. CXLVII.

Docuerunt saeculo Ecclesiae quarto Jovinianus (1) et Pelagius (2), cuncta peccata

(1) Vide Hieronymum lib. 2. contra Jovinianum et Augustinum lib. de haeresibus Cap. 82.

(2) E praecitatis Patribus consule primum lib. 2. dialogorum contra Pelagium, et alterum de haeresibus Cap. 88.

per se mereri poenam aeternam; ideoque nullum fore peccatum natura sua veniale. Veterum hunc errorem deinceps e tenebris eduxit Joannes Wiclefus (1), eique adhaeserunt Protestantes. Ex iis autumavit Lutherus omnia opera justorum suapte natura lethalia fore peccata, fieri tamen venialia ex misericordia Dei, quia credentibus non imputantur (2). Eorum antesignani vestigia sectati sunt Melanchton (3), Kemnitius (4), et Magdeburgenses (5). A lutheranis parum dissentiens hac in re Calvinus existimavit, omnia peccata reprobis imputari ut lethalia, non vero praedestinatis, in quibus solis haec ideo venialia dici voluit, quia venia delentur. Irridens autem vesanus hic adversarius catholicos Doctores, quos nomine sophistarum appellare consueverat, de ipsis ita scribebat lib. 3. Institut. cap. 4. N. 28. *hic in asylum confugiunt ineptae distinctionis, peccata quaedam venialia esse, quaedam mortalia: nos autem peccati stipendium pronuntiamus esse mortem, et animam, quae*

(1) Ex Thoma Waldense tom. 2. de Sacr. Cap. 54.

(2) Hanc fuisse Lutheri doctrinam eruitur tum ex articulis a Leone X. proscriptis, tum e libro de captivitate babylonica: id ostendit Bellarminus disput. tom. 4. Controv. 2. de amissione gratiae lib. 1. Cap. 4.

(3) In locis communibus tit. de discrimine peccati mortalis, et venialis.

(4) Exam. Conc. Trid. parte 1.

(5) Centur. 1. lib. 2. Cap. 4.

peccaverit esse morte dignam. Idipsum tenuit Michael Bajus in propositione 20. ex damnatis dicens: *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.*

§. CXLVIII.

Absurdis novatorum principiis omnino repugnat Ecclesiae catholicae doctrina, cum ponat inter culpam lethalem et venialem non commentitium sed reale discrimen. In Divinis Literis praesertim hanc doctrinam fundari sic facile comprobatur. Legimus in libro Ecclesiastis cap. 7. v. 21. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet.* Legimus Jacobi cap. 3. v. 2. *In multis offendimus omnes;* et in Ep. 1. Joannis cap. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Legimus item in Evangelio Matthaei cap. 5. v. 22. *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio: qui dixerit fratri suo, raca, reus erit concilio: qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennae ignis.* Quo posito, en argumentum. Quaedam sunt culpae tum justis, tum peccatoribus communes, quae, prouti liquet e Sacris Literis, per se nec justitiam auferunt, nec aeternae poenae reatum inducunt. Quaedam ergo sunt culpae, quae hominem ab

ultimo fine per se non avertunt. Sed culpa lethalis consistit in legis transgressione, quae plane removet peccantem ab ultimo fine. Ergo quaedam sunt culpae, quae per se, ac natura sua differunt a culpa lethali, quaeque communiter leves aut veniales nuncupantur. Igitur non inepta, sed realis est et accurata distinctio, quam inter lethalem culpam et venialem catholici tradunt.

Adhuc etiam haec doctrina roboratur universae Ecclesiae auctoritate. Nam Synodus Tridentina sess. 14. cap. 5. docuit, cuncta peccata lethalia, quae menti occurrunt post diligentem conscientiae discussionem, necessario fore in sacramentali confessione recensenda: venialia vero recte atque utiliter aperiri, sed citra culpam reticeri quoque posse, aliisque remediis expiari. Cum itaque Tridentini Patres in peccato lethali tantum necessariam Confessionis materiam constituant, non in veniali; manifestum est, eos inter utramque culpam intrinsecum et essentiale discrimen profiteri. Confert quoque rei firmitatem irreformabile sedis Apostolicae judicium. Haec enim per summos Pontifices Pium V; Gregorium XIII; et Urbanum VIII. Bajanam propositionem, quam dudum enuntiavimus, tamquam fidei catholicae adversantem proscripsit.

§. CXLIX.

Cum decernendum sit, in quo culpa lethalis vere ac realiter a veniali distinguatur, invicem non consentiunt Ethicae Sacrae Scriptores. Nonnulli cum Scoto hanc discrepantiam in eo reponunt, quod praecepto lethale peccatum opponatur, consilio veniale. Jure tamen haec opinio ut falsa repudiatur. Etenim consilium vim legis habere nequit, secus consilium non esset, sed praeceptum: peccatum autem, cujuscumque naturae fingatur, in legis violatione semper ac necessario consistit juxta illud Apostoli ad Romanos cap. 4. v. 15: *ubi non est lex, nec praevaricatio.* Praeterea, si haec daretur hypothesis, dicendum esset, eum venialiter peccare, qui ducit uxorem, quia divinum consilium de servando caelibatu non sectatur. Quantum porro absurda sit, quantum ab Evangelica doctrina recedat hujusmodi conclusio, satis ostenditur ex Ep. 1. ad Corinthios, ubi D. Paulus cap. 7. v. 28. ait: *Si acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccavit.* Censent alii auctoritate freti D. Thomae, in hoc a lethali differre veniale peccatum, quod primum sit contra legem, alterum praeter legem. Verum haec sententia respuitur, quia veniale peccatum, utcumque levissimum, quale

foret e. c. verbum ociosum, est contra rationem, ac ideo legi aeternae adversatur. Ulterius ex definitis (§. CVIII.) peccatum generatim sumptum est legis transgressio. Nullum ergo praeter legem peccatum. Quid autem de Angelico sentiendum, cujus auctoritas ad tutamen hujusce opinionis profertur? Quamquam ille pronuntiet 1. 2. Quaest. 88. art. 1. ad 1., venialiter peccantem agere praeter legem, non ideo tamen putat venialem culpam non esse legis transgressionem, cum ibidem superius dicat mereri *peccatum veniale poenam temporalem:* unde culpa venialis ab eo vocatur actus praeter legem, quatenus haec non adeo legi opponitur, ut legem ipsam ejusque finem evertat, quemadmodum fit per culpam lethalem. Hanc fore S. Doctoris mentem patet e Quaestione 7. de malo art. 1. ad 1., ubi sic respondetur: *Convenienter dicitur, quod peccatum veniale non est contra legem; quia si in aliquo recedit ab ordine legis, non tamen ipsam corrumpit, quia non corrumpit dilectionem, quae est plenitudo legis.* Altera opinio eorum est, qui mortale peccatum a veniali distinguunt ex aeterna vel temporali poenarum duratione. Haec vero nec probanda videtur; nam poena, quae est effectus peccato extrinsecus, confundi nequit cum ratione intrinseca, et formali,

qua inter utrumque peccatum constituitur discrimen. Gersonius (1), et Almainus (2) tale discrimen a Dei voluntate petunt. Quam sententiam penitus reprobamus, tum quia haec nihil, vel parum discrepat a novatorum errore; tum quia, si a Dei voluntate penderet haec distinctio, profecto incerti semper essemus, an veniale foret peccatum, vel mortale; tum quia Scripturae Sacrae ubi de peccato loquuntur, illud non a divina voluntate, sed ab humana malitia deducunt. Communis tandem et vera doctrina, cui sponte subscribimur, tenet, essentiale discrimen inter utramque culpam in eo situm esse, quod culpa lethalis ordinem tollit circa ultimum finem, quatenus plane removet hominem a Deo, eumque ad creaturam ut in finem ultimum convertit: venialis autem culpa, licet aliquam inordinationem habeat circa ea, quae sunt ad finem, hunc tamen ordinem non aufert, cum hominem a fine ultimo non avertat, sed tantummodo efficiat, ut ille non ita ordinatim, uti deberet, in Deum dirigatur.

§. CL.

His explanatis, duo prae caeteris heic resolvenda nobis occurrunt, cum inquiratur

(1) Tractatu de vita spiritali.
(2) Tractatu 3. morali Cap. 20.

1. An culpae leves una invicem junctae lethalem culpam aliquando valeant constituere? 2. An saltem ad culpam lethalem disponant? Binae instantiae ut satisfiat, sit

Resolutio 1. Peccatorum venialium quantuscumque sit numerus, ex iis nunquam exurgere poterit lethale peccatum. Constat in primis haec veritas ex Tridentino Concilio definiente, justos in praesenti vita per culpas veniales etiam quotidianas atque frequentes gratia divina minime privari, easque posse citra culpam in confessione praeterire (1). Verum ex definitis primum falsum esset, nefas alterum, si plura levia peccata vel unum conficere possent lethale. Ergo juxta Tridentinum e venialibus qualitercumque multiplicatis lethale peccatum coalescere nequit. Accedit ratio naturalis, qua sic argumentamur. Peccatum lethale, ac veniale natura sua differunt inter se (§. CXLVIII.) Atqui per sui multiplicationem res quaelibet, licet in indefinitum percrescat, nequaquam sui naturam in naturam alterius immutare potest. Igitur veniales culpae, quamvis plurimae sint, lethale peccatum nunquam poterunt exaequare (2).

Resolutio 2. Peccata venialia sensim ad

(1) Sessione 6. Cap. 11., et sessione 14. Cap. 5.

(2) Vide Summam D. Thomae 1. 2. Quaest. 88. art. 3., et Quaest. 7. de malo art. 3.

lethalia disponere, indubitatum est. Id apprime testatur auctor Ecclesiastici dicens cap. 9. v. 1. *Qui spernit modica, paulatim decidet:* quae verba de eo, qui leves culpas negligendo in graves postea labitur, unanimiter intelligunt Sacrarum Scripturarum interpretes. In idem Sancti Ecclesiae Patres consentiunt. Ex hisce audiatur Chrysostomus, qui Hom. 12. in cap. 7. ad Romanos inquit: *fugiamus modica mala; magna siquidem ab illis nascuntur.* Item audiatur Hipponensis Antistes haec proferens tract. 12. in Joannis cap. 3. *Peccata minima, si negligantur, occidunt:* quam sententiam cum perpendat Angelicus ita scribit 1. 2. Quaest. 88. art. 4. ad 1. *Augustinus loquitur in illo sensu, quod multa venialia dispositive causant mortale.* Audiatur postremo Gregorius M. qui lib. 10. Moralium cap. 11. N. 21. ait: *Si curare parva negligimus insensibiliter seducti, audenter etiam majora perpetramus.* Ratione quoque, et experientia eadem veritas confirmatur. Certum est enim, quod qui propriam voluntatem in minoribus divinae legi subjicere nescit, pedetentim nec in majoribus illi parebit. Nam venialium culparum frequentia propensionem in malum adauget, charitatis diminuit fervorem, divinis impedimenta ponit auxiliis, et sic innumeris prope modis ad spiritalem interitum animam

perducit. Quapropter cum D. Bernardo Serm. 1. in conversione D. Pauli N. 5. concludimus: *Nemo dicat in corde suo*: *levia sunt ista*; *non curo corrigere: non est magnum, si in his maneam venialibus, minimisque peccatis:* patet siquidem, a minimis incipere, qui in maxima proruunt.

§. CLI.

Alteram gravioris momenti quaestionem Theologi proponere solent, exquirentes, num et quomodo peccatum lethale fieri quandoque possit veniale; ac vicissim, num et quomodo veniale peccatum lethalis malitiam acquirat? Res ut in aprico ponatur, monemus in antecessu, peccatum quodlibet sive *per se*, et *ex genere suo*, sive etiam *per accidens* esse posse lethale, aut veniale.

Quo posito, dicimus 1. peccatum *per se* lethale fieri posse veniale *per accidens* vel propter materiae levitatem, vel propter actus imperfectionem.

Assertio comprobatur. Illud est peccatum *ex genere suo* lethale, quod, ut gravem malitiam contrahat, diversam peccati speciem non requirit, sed materiam gravem simulque plenam in operante deliberationem. Atqui persaepe alterutrum ex hisce duobus in eo deesse potest. Nam ex uno capite reapse deest materia gravis e. c. in furto parvi

momenti, vel in detractione, quae alienam famam in minimis laedit: ex altero deest consensus plene deliberatus ob defectum necessariae cognitionis et advertentiae in parvulo, in semi-stulto, in semi-dormiente, aut in eo, qui motibus primo-secundis aliqualem praebet assensum. Ergo peccatum *ex genere suo* lethale fieri potest *per accidens* veniale sive ob materiae levitatem, sive ob actus imperfectionem. Hic vero adnotare decet, plura fore peccata, quorum materia vel est individua, vel, etiamsi dividua sit, adeo tamen gravis est quoad singulas partes, ut quaevis transgressio magnam turpitudinem, atque inordinationem contineat. Ad haec referuntur blasphemia, perjurium, simonia, luxuria, homicidium, aliaque id generis, quae lethalia *ex toto genere suo* a theologis vocantur, quaeque, nisi levia fiant ob defectum consensus, nunquam ratione materiae a mortali culpa excusantur.

Dicimus 2. peccatum *ex genere suo* veniale fieri quandoque lethale *per accidens;* idque sex modis evenire posse.

Assertio quoad primam partem ostenditur. Veniale *per se*, et *ex genere suo* appellatur peccatum, quod intra limites propriae speciei contentum semper est leve; nec lethale *per accidens* evadere potest, nisi accedente peccato diversae speciei, cujus malitia sit

gravis. Haec porro accessio facile datur ob unam, vel alteram circumstantiam, quae peccato aliquando conjungitur. Ergo utcumque levissimum sit peccatum *ex genere suo*, interdum fit *per accidens* lethale.

Assertio quoad secundam partem dilucidatur. Circumstantiae, quae culpae veniali adjectae hanc mortalem efficiunt, sequentibus vocibus recensentur:

Scandala, spretus, damnum, occasio, finis, et error;

Haec faciunt crimen de veniale grave.

1. Itaque ratione *scandali*, quod agens praevidet secuturum, culpa venialis *per se* fit quandoque *per accidens* mortalis. Id in praxi liquet exemplo mendacii jocosi, quod leve quidem est ex objecto; at, si locum habeat gravis pusillorum scandali circumstantia, leve amplius non erit.

2. Pariter ob *spretum* culpa *ex genere suo* venialis gravem contrahit malitiam, si transgressio praecepti adnexum habeat formalem legislatoris contemptum. Hac de re testis nobis est D. Bernardus lib. de praecepto et dispensatione cap. 11. ita scribens: *Elatio contemnentis, atque impoenitentis obstinatio in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam, et convertit in crimen gravis rebellionis naevum satis levem simplicis transgressionis.*

3. Idipsum ex *damno* contingit, si, posita culpa levi *per se,* injustum, atque notabile proximi detrimentum ex ea consequatur. Unde si quis occultum ac levem alterius defectum absque causa revelet, quod *per se* est veniale, peccat lethaliter, dum graves inimicitias ex hac imprudenti manifestatione praevideat orituras.

4. Propter *occasionem* etiam in levi culpa haec ipsa inducitur immutatio, si tamen agatur de voluntaria occasione, quae periculum afferat proximum lethaliter peccandi. Quapropter si longa experientia quis noscat, ludum proximam sibi fore blasphemandi ac pejerandi causam, gravis culpae jocando fit reus, quamquam ludus ex objecto aut levem, aut nullam complectatur malitiam.

5. Rursus culpam *de se* venialem duplici modo lethalem efficit *finis* operantis: nimirum vel si finem ultimum agens in levi noxa ita constituat, ut paratus sit mortale potius eligere peccatum, quam a veniali abstinere; vel si per veniale peccatum finis graviter mali consecutionem intendat.

6. Tandem *erroris* causa gravem contrahit malitiam culpa levis *ex genere suo,* dum quis erronea conscientia deceptus actum, quem ponit, lethale censet peccatum, quamvis actus *per se* culpam venialem non excedat.

§. CLII.

Interim, qua ratione decerni poterit, an peccatum aliquod sit grave, an potius intra limites culpae levis contineatur? Enim vero, *quae sint illa peccata, quae impediunt perventionem ad regnum Dei, difficillimum invenire, definire periculosum* fatetur ipse D. Augustinus lib. 21. de civitate Dei cap. 27. N. 5., inquit enim Enchiridion cap. 80. N. 21. *quaedam peccata, quamvis magna et horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur.* At nihilo secius quatuor sequentes regulae communiter a Theologis receptae pro praxi teneantur.

Regula 1. De lethali peccatorum malitia ut rectum judicium proferatur, verba Divinae Legis apprime consulere necesse est. Prae ceteris hanc regulam probat ipse D. Augustinus, dum cap. 78. et 79. ibidem ait: *quae sint levia, quae gravia peccata, non humano, sed divino pensanda sunt judicio.... nam quaedam levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora.* Cum itaque in Sacris Literis loca nobis occurrant, in quibus nonnullae actiones Deo exosae dicuntur, aeternisque dignae suppliciis; vel adversus eas *vae* formidandum pronuntiatur; vel propter ipsas hominibus indicta est regni coelesti privatio: tum quid-

quid ratio praejudicata suggerat in contrarium, absque ambagibus existimandum est, hujusmodi actiones lethale fore peccatum, nisi forte aut levis quantitas materiae aut deliberationis defectus culpae malitiam extenuet.

Regula 2. Ubi vero e Scripturarum oraculis discrimen inter lethale peccatum et veniale nequeat agnosci; tum illud explorandum erit a Sanctorum Patrum traditione, ab Ecclesiae universae definitionibus, nec non a communi Doctorum consensu. Ab hisce namque moralis disciplinae fontibus, ut alibi jam vidimus, non est recedendum (1).

Regula 3. Ea culpa nunquam levis dici poterit, quam canonicae constitutiones anathemate, ceterisve censuris persequuntur, aut vetant leges civiles gravium poenarum comminatione. Siquidem, nisi aliter comprobetur, praesumendum est Supremum Legislatorem sic juste animadvertere in peccantes, ut gravis poena semper gravi culpae respondeat.

Regula 4. Attendendum quoque, an peccatum, de cujus malitia dubitari posset, valde sit Deo injuriosum, vel in bonis famae, fortunae, aut vitae notabile pariat aliorum nocumentum: hoc enim posito, ra-

(1) Recolantur quae a nobis tradita fuere in Paraenesi primo Institutionum libro praemissa.

tione gravis materiae culpa censeri debet lethalis, modo tamen plena in peccante deliberatio non desit.

CAPUT SECUNDUM

DE PECCATIS INTERNIS.

§. CLIII.

Peccatum. internum illud est, quod interius elicit voluntas, quin ad actum exteriorem deveniat. Ad hoc attinet praesertim quodvis pravum desiderium sive efficax sive inefficax divino vetitum praecepto *non concupisces*. Quamquam vero peccatum sit omne malum desiderium; non omne tamen desiderium de re mala peccatum est. Res ut probe intelligatur, animadvertere decet, desiderium versari posse vel circa rem *intrinsece* et *absolute* malam; vel circa rem malam *intrinsece* quidem, sed non *absolute;* vel circa rem tantummodo *extrinsece* malam ob legem positivam, qua res ipsa prohibetur. Quo praenotato, haec tria paucis concludamus.

1. Desiderium de re *intrinsece,* et *absolute* mala specificam semper contrahit malitiam objecti, quod voluntati proponitur appetendum; *actus* enim *specificantur ab objectis*. Unde si quis adulterium optet vel for-

nicationem, lethalis peccati fit reus castitati adversantis juxta illud Matthaei cap. 5. v. 28. *omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est eam in corde suo.* Plures autem a culpa nec immune censent hoc desiderium, si conditionatum fingatur; prouti e. c. foret in eo, qui blasphemare vellet ac mentiri, si blasphemia et mendacium divinae legi non repugnaret. Siquidem objectum, ajunt, in quod fertur ex hypothesi voluntas, cum *absolute* malum sit, nulla sub conditione, nullaque circumstantiarum posita mutatione, bonum evadere potest. Quapropter conditio in casu mox tradito, cum sit de re impossibili, malitiam ab objecto sejungere nequit; ideo voluntas, perinde ac nulla conditio apposita fuisset, consentit in objectum malum, quatenus malum est: ex quo apparet, desiderium hujusmodi penitus fore inordinatum (1).

2. Item eruitur e superius demonstratis N. 1., desiderium de re *intrinsece* quidem, sed non *simpliciter* et *absolute* mala grave,

(1) Ita docent Sanchez lib. 1. Moralium Cap. 2. N. 23., Layman lib. 1. tract. 3. Cap. 6. N. 11., Sporer tom. 1. tract. 1. Cap. 6. Sect. 3. N. 20., et Busembaus in madulla theologiae moralis lib. 5. Cap. 1. dub. 2. art. 1., a quo probabilior haec sententia vocatur. His adhaarent quoque Gabriel Antoine Theol. mor. tom. 1. parte 2. traet. de peccatis Cap. 6. resp. 1. Quaest. 3., at Joannes Dall'occa Instit. Theolog. tom. 3. parte 1. tract. de peccatis dissert. 1. Cap. 7. art. 1., qui eandem sententiam communiorem appellat.

aut leve peccatum esse pro majori vel minori malitia objecti, quod appetit voluntas. At quoniam ejusmodi est res *intrinsece*, non *absolute*, mala, ut sub aliqua conditione, et ex mutatione circumstantiarum licita fieri possit; hinc si conditionatum sit desiderium, culpa vacabit, modo tamen honestam sibi adnexam habeat conditionem, qua malitia quaelibet ab objecto auferatur. Etenim cum in data hypothesi duplex rei status considerari queat; unus, videlicet, realis ac praesens, in quo res moraliter est mala, conditionalis alter atque possibilis, in quo res absque malitia repraesentatur; si voluntas rem cupiat non in priori statu perspectam, sed in posteriori, certe nil aliud appetit, quam rem formaliter bonam vel indifferentem, ac proinde non peccat. Exinde pro praxi colligitur, quod, etiamsi praecepto *non occides* cuique vetitum sit hominem utcumque scelestum privata auctoritate necare, nihilominus transgressor hujusce praecepti non foret qui optaret hominem flagitiosum et morte dignum extremo supplicio tradere si judex esset, vel patrios hostes in bello justo interficere, si miles esset, ac pro bono publico dimicare deberet. Cavendum porro, ne, dum posita conditio malitiam omnem tollit a re, quae desideratur, voluntas interim affectum foveat erga rem ipsam intrin-

sece malam; secus ob pravitatem affectus desiderium quoque vitiosum omnino foret.

3. Tandem si de re agatur *extrinsece* mala, hoc est, de re per se indifferenti, ac ideo mala, quia vetita; tum desiderium circa rem ipsam vel absolutum erit, vel conditionatum. Si ponatur absolutum, culpa minime caret: nam sicuti peccatum est leges rite constitutas infringere (1); ita et peccatum est earum violationem optare. Si vero desiderium fiat sub conditione malitiam rei penitus auferente; sub conditione, scilicet, qua lex positiva non existeret, aut non amplius induceret obligationem: tum in eo nullum erit peccatum, nisi quid esset, vel inordinatum in fine, quo res per se indifferens desideratur, vel immoderatum in affectu, quo res ipsa desideratur. Unde liquet ex dictis, culpandum non fore, qui vellet artem salutarem exercere, si sacerdos non esset, vel si ad eam exercendam a Sede Apostolica facultatem consequeretur.

§. CLIV.

A desiderio tum efficaci tum inefficaci omnino differt *morosa* delectatio, quo nomine venit actus interior, quo de re mala quis gaudet, praecisa tamen operis externi

(1) Vide quae diximus de Legum obligatione Institutionum lib. 2. parte 1. Sectione 1. Cap. 4. §. 43.

perficiendi voluntate. Delectatio *morosa* nuncupatur hujusmodi actus, non quidem a temporis mora, cum peccatum internum uno etiam vel minimo instanti fieri queat, sed potius a mora voluntatis, quae, praevia sufficienti cognitione, et advertentia circa pravam delectationem, in eadem sistit libenter, secum ipsa volvens, quae statim, ut attigerunt animum, respui debuerunt (1).

Notione sic tradita morosae delectationis, nunc operae pretium erit expendere 1. an delectatio de re mala semper sit peccatum? 2. Qualis consensus ad culpam constituendam in ea requiratur?

Prima quaestio resolvitur.

Quatuor partibus constat haec controversia pro quadruplici morosae delectationis objecto, quod esse potest vel res vitiosa apprehensa in sua formali malitia, vel simplex rei cognitio, vel modus et artificium, quo res perficitur, vel effectus ex ipsa re physice aut moraliter procedens.

Dicimus itaque 1. delectationem de peccato sive formaliter, sive materialiter etiam sumpto, nequaquam licere. Si de peccato formali sermo sit, haec veritas, quam omnes aeque fatentur, sic demonstratur. *Abominatio Domini* vocantur *cogitationes malae*

(1) Consule D. Augustinum lib. 12. de Trinitate Cap. 12., et Angelicum Doctorem 1. 2. Quaest. 74. art. 6.

Proverbiorum cap. 15. v. 26., item legitur Sapientiae cap. 1. v. 3. *Perversae cogitationes separant a Deo.* Igitur cogitatio prava non licet. Sed delectatio de peccato formali est prava cogitatio; consistit enim in consensu praestito malitiae jam cognitae peccati. Non ergo licet delectatio, si circa peccatum formale versetur. Idipsum hoc altero firmatur argumento. Qui, advertente ac probante ratione, re formaliter mala oblectatur, eam profecto dilectione prosequitur; nam, ut ait Angelicus, *nullus delectatur, nisi in eo, quod est conforme appetitui ejus* (1). Atqui nefas est rem formaliter malam diligere: idque peccatum est lethale aut veniale pro gravi aut levi malitia rei, quae amatur juxta illud Osee cap. 9. v. 10. *facti sunt abominabiles, sicut ea, quae dilexerunt.* Rursus ergo concludimus, delectationem de re formaliter mala non licere. Quid vero sentiendum si delectatio sit de peccato materiali; de peccato, nimirum, in somno, in amentia, vel ex ignorantia invincibili patrato? Etsi licitum sit gaudere, quia peccatum materiale tantum fuerit, ideoque citra culpam admissum; nihilosecius de ipso, intuitu etiam effectus boni ex eo forte sequuti, minime laetari fas est. Quamvis e-

(1) Quaest. superius citata art. 8.

tenim in posito casu non sit culpabilis actio, malitiam tamen objectivam non amittit. Haec doctrina, quam oppugnatores olim habuisse non diffitemur, nunc temporis in dubium non amplius revocanda videtur, postquam ab Innocentio XI. sequens damnata fuit propositio: *licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate patrato propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas* (1).

Dicimus 2. malam non esse delectationem de simplici cognitione peccati, dummodo voluntas ab eo sit prorsus aliena. Simplex namque cognitio peccati secundum se indifferens est, bona vero si ad honestum finem dirigatur. Cum itaque peccati cognitio per se mala non sit; sponte consequitur, delectationem de hac cognitione malam non esse, quia circa objectum non malum versatur. Exinde colligitur sacramentalis Poenitentiae ministrum, aut medicum nullatenus peccare, si laetentur de scientia congruenti ab ipsis acquisita in materia turpi, cujus cognitio ad eorum statum, ac professionem est necessaria.

(1) Adversus Lessium, Vasquez, Sotum, Busembaum, aliosque nonnullos hujusmodi sententiam tenent communiter Ethicae Sacrae Scriptores, ac praesertim Sanchez lib. 1. Moralium Cap. 2. N. 116., La-croix Theol. Mor. lib. 5. dub. 2. art. 2. N. 91., Antoine tom. 1. parte 2. tract. de peccatis Cap. 6. Quaest. 4. Respons. 2., ac B. Alphonsus de Ligorio Theol. Mor. tom. 2. lib. 5. tract. de peccatis Cap. 1. dub. 2. art. 2. N. 20.

Dicimus 3. delectationem de modo, quo res mala contingit, vel de artificio, quo crimen admittitur, non fore peccatum, si tamen in utroque malitia non contineatur; si affectus absit erga rem pravam; si periculum consensus in peccatum removeatur. His enim positis limitationibus, vitiosum per se non est delectationis objectum. Unde si quis delectetur de modo, quo velut amens loquitur aut incedit qui vino madidus est, vel de artificio, quo fur alicui surripuit pecuniam, culpandus non erit.

Dicimus 4. delectationem de effectu bono, quem parit peccatum, ex se malam non esse, cum tamen effectus non placeat, quatenus a peccato proficiscitur. Cum etenim objectum gaudii sit bonus effectus in se, non in sua causa consideratus; hinc patet, malum non fore gaudium, quo quis de hoc effectu experitur. Exemplum hac de re nobis praebet catholica Ecclesia, quae cum exultatione memorans humani generis reparationem, cui causam attulit protoparentum lapsus, in pervigilio Dominicae resurrectionis canit: *O felix culpa, quae talem, ac tantum meruit habere Redemptorem.*

Secunda quaestio resolvitur.

In morosa delectatione triplex dari potest consensus. Prior est *positivus,* quo delectationi voluntas absolute adhaerct: alter est

virtualis, quo voluntas delectationem expresse non probat, sed implicite per causam deliberate positam, quam praeterire poterat ac debebat: postremus est *negativus,* quo, praevia sufficienti advertentia, voluntas delectationem sentit, eamque nec approbat, nec repellit. Hoc praemisso, certum est apud omnes, consensum tum positivum, tum virtualem in delectatione de re graviter mala, speciatim vero in delectatione venerea, de qua nullam Theologi admittunt parvitatem materiae, peccatum fore lethale, modo plena deliberatio non desit. Certum est quoque ad peccatum lethale assensum etiam negativum sufficere, si adeo sit alliciens delectatio, si concupiscentiae motus adeo sint vehementes, ut proximum consensus positivi periculum exoriatur. Nam qui non reprimit in hac hypothesi delectationem, sed negative tantum se habet, sciens et volens manet in proximo discrimine lapsus; ideoque non secus peccat, ac ille, qui deliberate huic periculo se tradit (1). Verum si proximum

(1) Nullus hac in re Theologorum dissensus. Prae cunctis audiatur D. Thomas Quaest. 15. de veritate art. 4. ad 10. dicens: — Antequam ratio delectationem perpendat, vel nocumentum ipsius, non habet interpretativum consensum etsi non resistat: sed quando jam perpendit ratio de delectatione insurgente, et de nocumento consequente, utpote cum percipit homo se totaliter per hujusmodi delectationem in peccatum inclinari, et in praeceps ruere, nisi expresse resistat, videtur consentire —.

hoc periculum absit, licebit ne circa pravam delectationem negative se habere? Si periculum consensus positivi sit remotum, nonnulli censent, nec veniale fore peccatum delectationem pravam directe non rejicere (1). Alii contra, hoc periculo quoque secluso, arbitrantur, eum graviter peccare, qui circa delectationem negative se habet, quia voluntas, inquiunt, inordinatis appetitus sensitivi motibus non solum non consentire, sed ulterius resistere debet (2). Primam sententiam in praxi minime recipiendam esse plerique tenent; simulque fatentur, nec amplectendam fore, veluti plus aequo rigidam, posteriorem. Itaque media via procedentes docent quidem a culpa immunem non esse, qui, periculo etiam non extante positivi consensus, negligunt concupiscentiae motus coercere, quia, ut ait clarissimus Dall'Occa Instit. Theologic. tom. 3. parte 1. tract. de peccatis dissert. 1. cap. 7. art. 3., *non resistentia esset deordinatio contra rationem; nam voluntas permittendo absque rationabili causa, ut in ap-*

(1) Ita scribit Joannes Sanchez disputat. 21. N. 3. Idipsum tradidisse Tamburinum Theol. Mor. tom. 1. lib. 10. Cap. 2. testantur La-Croix, et Alphonsus de Ligorio: at bona utriusque venia ingenue profitemur, ne verbum sane citato loco reperiri, ex quo inferri valeat quod asserunt praefati scriptores.

(2) Sic opinantur Lessius lib. 4. de justitia Cap. 3. N. 117., Vasquez 1. 2. disput. 108. Cap. 2., Azorius Instit. Moral. tom. 1. lib. 4. Cap. 6. Quaest. 5. Sayrus lib. 8. Cap. 7. N. 3., aliique.

petitu sensitivo essent motus inordinati, non gubernaret ipsum appetitum, cum potest et debet. Verum non lethalem existimant hujusmodi culpam, animadvertentes, quod, licet cavendum sit ex lege naturae, ne appetitus pertrahat voluntatem, gravis tamen esse nequit haec obligatio, quoties periculum consensus positivi sit remotus (1). Ex his universim Theologi concludunt, ad culpam devitandam opus esse pravam delectationem positive repellere, si praesertim haec sit carnalis, ac vehementer incitet ad peccandum. Ut autem eidem resistatur positive, congruum erit pro circumstantiis vel ad precem confugere, vel gehennae tormenta meditari, vel ad mentem revocare Christi Domini cruciatus et mortem, vel actus elicere divini amoris, vel animum ad alia convertere, vel actionem deserere, quae proxima delectationis est occasio: item sufficiet etiam internus actus displicentiae, qui, quamvis non semper delectationem compescere valeat, efficax nihilominus erit ad impedien-

(1) Communis est haec sententia, quam in praxi tenendam proponit Dall'occa in suis perlaudatis institutionibus, veramque diserte pronuntiat B. de Ligorio lib. 5. tract. de peccatis Cap. 1. dub. 1. N. 5. Inter plurimos ejusdem patronos potissimum referre placet Cajetanum 1. 2. Quaest. 74. art. 3., Thomam Sanchez lib. 1. in Decal. Cap. 2. N. 13., Castropalaum tom. 1. tract. 2. disput. 2. punct. 10. §. 5. N. 3. 6., Sporer tom. 1. parte 1. Cap. 6. Sect. 2. §. 4. N. 16., et La-croix lib. 5. Cap. 1. dub. 2. art. 2. Quaest. 21. §. 3. N. 111.

dum voluntatis consensum. Haec tamen dicta sint in hypothesi tantum, qua desit justa et rationabilis causa positive non resistendi. Quae causa tum occurrit, si quis expertus fuerit ex positivo conflictu tentationem excitari magis et augeri; si prudenter metuendum sit, ne, praesenti delectatione depulsa, gravior altera insurgat; si actio, quae praetermittenda foret, aliunde sit necessaria, utilis, honesta, uti administratio Sacramenti Poenitentiae, studium casuum moralium, ceteraque similia; si demum agatur de levibus concupiscentiae motibus, qui persaepe contemptu potius, quam directa pugna vincuntur.

§. CLV.

Cum facile contingere possit, quempiam in dubio versari, num peccato consenserit; hinc ut in re tanti momenti aequum feratur judicium, sequentes regulae prae oculis habeantur.

Regula 1. Praesumitur, assensum peccato non praebuisse, qui juxta monitum Apostoli salutem suam cum metu et tremore sic operatur, ut mori mallet, quam per culpam a charitate Dei separari (1). Nam in dubio praesumptio sumitur a consuetis: communi-

(1) Ep. ad Philippenses Cap. 2. v. 12.

ter autem evenire solet, ut qui Deum ejusque judicia timet, incitamentis peccati viriliter obsistat.

Regula 2. Si quis dubitet, an vigilans vel dormiens gravi consensum dederit peccato, censendum est, eum satis non advertisse aut consensisse, ideoque nec lethaliter peccasse. Qui enim vere vigilat, de statu vigiliae vel somni profecto incertus non haeret.

Regula 3. Qui non exequitur malum, quod cogitat, cum facile posset, si vellet, probabiliter peccato non consensit. Constat siquidem, plerumque fieri, ut voluntas, cum semel culpae adhaeserit, ad externos quoque vitiosos actus transcurrat.

Regula 4. Si quis de objecto moraliter malo deliberate, ac lubenter sermonem habuerit, aut in illud oculos iterum iterumque defixerit, probabilius existimandum est, eum peccato consensisse, quam qui pravam cogitationem animo tantummodo revolvit. Actus namque liberi externi, voluntate reluctante, numquam fiunt; interiores non raro advertentiam antecedunt.

Regula 5. Generatim poenitentes moneantur, ut dubitationes de consensu in re lethaliter mala, si positivae sint, in sacramentali confessione studeant aperire. Id omnino praestandum esse luculenter ex eo patet, quod e peccatis dubiis constituitur materia

per Sacramentum delenda, non quidem sufficiens utpote incerta, sed necessaria ob gravem culpam forte latentem Ecclesiae clavibus necessario subjiciendam.

CAPUT TERTIUM

DE PECCATIS OPPOSITIS VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

ARTICULUS PRIMUS

Expenduntur peccata, quae Fidei repugnant.

§. CLVI.

Ad infidelitatem, quae generatim privationem fidei significat, referenda sunt cuncta peccata, quibus Fides Theologica labefactatur. Triplex communiter distingui solet infidelitatis genus; haec enim vel *negativa* esse potest, vel *privativa*, vel *positiva*. Infidelitas *negativa* est Fidei defectus in eo, cui nunquam Evangelicae doctrinae splendor illuxit. Infidelitas *privativa* est Fidei defectus in eo, qui veritatibus divinitus revelatis ac sufficienter sibi propositis debitum non praestat assensum, quamvis nec iisdem absolute repugnet, nec errorem teneat Fidei adversantem. Tandem infidelitas *positiva* eorum

est, qui divinam revelationem non modo non recipiunt, sed contemnunt, ac directe oppugnant vel negantes aliquem Fidei articulum, vel errorem ipsi contrarium asserentes.

§. CLVII.

Quamquam nullum ex hisce tribus infidelitatis generibus consistere valeat cum Fidei virtute, non omnis tamen infidelitas peccatum est. Fatemur quidem, si de *privativa* et *positiva* infidelitate sit sermo, utramque a lethali culpa nullatenus excusari: nam prior est omissio voluntaria medii ad salutem aeternam absolute necessarii, ac divinitus praecepti; altera Dei revelantis contemnit auctoritatem. Unde Christus ait Joannis cap. 3. v. 18. *Qui non credit jam judicatus est,* et Marci cap. 16. v. 16. *Qui non crediderit, condemnabitur.* At secus de infidelitate negativa dicatur. Hanc nequaquam fore culpabilem manifestissime patet ex cap. 15. Joannis v. 22., ubi Servator de iis, quibus evangelica veritas nondum fuerat nunciata, sic loquitur: *Si non venissem, et locutus non fuissem, peccatum non haberent.* Quae verba repetens D. Augustinus quaest. 52. in Deuteronomium, subdit: *peccatum non haberent, non utique omne, sed hoc peccatum, quo non crediderunt in eum.* Porro

infidelitas, de qua Christus hic disserit, est mere negativa ex jam definitis (§. CLVI.). Haec igitur culpanda non est. Idipsum constat ex auctoritate S. Pii V., et Gregorii XIII., qui sequentem Baj propositionem damnarunt: *infidelitas pure negativa in iis, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.* Exinde cum Angelico Doctore colligimus, eos, qui sunt negative tantum infideles, in gehennam detrahi propter alia peccata, quae remitti nequeunt absque Fide, non autem propter infidelitatem, quae non habet rationem peccati, sed poenae, cum e peccato primi hominis fuerit consecuta (1).

§. CLVIII.

Ejusmodi esse potest infidelitas *positiva*, ut, divina utriusque Foederis admissa revelatione, unam, vel plures e veritatibus Fidei pro lubitu quis rejiciat. Haec infidelitatis species haeresis proprie nuncupatur. Plura, quae de tanto crimine ab Ethicae Sacrae scriptoribus proferuntur, summatim hic paucis animadversionibus concludamus.

Animadversio 1. Haeresis graeca vox, quae latine redditur *electio*, quamvis indiscriminatim sive in bonum sive in pravum sensum adhiberi possit, nihilominus apud catholicos

(1) Ex D. Thoma 2. 2. Quaest. 10. art. 1.

ad electionem erroris denotandam usurpatur (1); atque communiter definitur *error voluntarius et pertinax adversus veritatem aliquam divinitus revelatam, cui adhaeret homo baptizatus, qui se christianum profitetur.* Haeresis in primis dicitur *error voluntarius*: ad hanc siquidem infidelitatis speciem judicium fallax intellectus non sufficit, sed potissimum requiritur voluntatis assensus, cum nullum sit peccatum, quod a voluntate non procedat. Dicitur *error pertinax:* nam, ut inquit D. Augustinus ep. 43. ad Glorium et Eleusium N. 1. *qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt........ quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos deputandi.* Hinc merito illud obtinet canonistarum adagium: *non error, sed erroris pertinacia haereticum facit.* In hoc autem consistit hujusmodi pertinacia, ut veritati dogmaticae sufficienter traditae ab Ecclesia sciens et volens quis resistat. Dicitur *error adversus veritatem aliquam divinitus revelatam.* Eo autem sensu intelligi debet haec oppositio, ut non modo inter haereticos numerentur qui pertinaciter uni vel alteri articulo Fidei obsistunt,

(1) Ita scribit D. Hieronymus in Caput 5. Ep. ad Galatas.

verum etiam qui scienter de ipso dubitant: cum enim in dubium revocent quod certo credendum iis proponit Ecclesia tamquam divinitus revelatum, jam satis ostendunt, infallibilem ipsius auctoritatem se non agnoscere, ideoque ab orthodoxa fide recedunt. Qua de re vulgatum, receptumque est juris axioma: *dubius in Fide infidelis est* (1). Dicitur *error in homine baptizato:* qui enim, baptismate non suscepto, errat in Fide, hic in foro Ecclesiae pro haeretico non habetur; cum ille tantum haereticus proprie vocetur, qui a mystico Christi corpore, cujus membrum erat, per errorem Fidei contrarium separatur. Dicitur tandem *error in eo, qui se christianum profitetur* ad discrimen indicandum inter haeresim, et apostasiam, qua Christi religio penitus abdicatur.

Animadversio 2. Haeresis vel *formalis* esse potest, vel solum *materialis*. Illa est, quam superius definivimus: haec est error, quo doctrinam eterodoxam quis tenet ignorans, eam verae Fidei repugnare. Item haeresis alia est *interior* seu *mentalis*, quae intus in homine latet; alia *interior* simul et *externa*, quae per signa extrinseca se prodit. Rursus dividitur haeresis externa in *occultam*, quae, nemine audiente, aut coram paucis profertur,

(1) Cap. 1. de haereticis.

et in *publicam* seu *notoriam*, quae palam et coram pluribus manifestatur.

Animadversio 3. Quam grave sit haereseos crimen e divinis oraculis plane sic deducitur. Ad haereticos, qui profecto Ecclesiam non audiunt, referenda sunt verba Christi apud Matthaeum cap. 10. v. 17. *Si Ecclesiam quis non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus.* Ulterius a D. Petro ep. 2. cap. 2. v. 17. et 20. haeretici appellantur *magistri mendaces... superducentes sibi celerem perditionem.... quibus caligo tenebrarum reservatur.* At ille, qui habendus est, ut ethnicus et publicanus, qui sibi perditionem accelerat, qui tenebrarum caliginem promeretur, graviter deliquisse censendus est. Ergo grave crimen est haeresis.

Animadversio 4. Si pure *mentalis*, vel *externa* quoque, sed *occulta* sit haeresis *formalis*, tum interno quidem Ecclesiae foro haec subjicitur, non autem externo: legimus namque Can. Sicut de simonia: *Ecclesia non judicat de occultis.* Verum si agatur de haeresi notoria, in hac hypothesi ad Ecclesiam pertinet ipsius causam in foro externo cognoscere et judicare. In hujusmodi porro causis judices ordinarii sunt. 1. pro universo orbe Romani Pontifices ratione primatus jurisdictionis divinitus eisdem conlati: 2. Sacra Congregatio Cardinalium gene-

ralium inquisitorum haereticae pravitatis, et inquisitores Fidei ab eâ speciatim deputati (1): 3. pro singulis eorum Dioecesibus Episcopi (2): 4. demum, sede vacante, Capitulum cathedrale (3).

Animadversio 5. Quamquam in jure canonico districtius cuilibet politicae potestati vetitum sit quomodocumque de hoc scelere inquirere et judicare (4); haec tamen juris dispositio non impedit, quominus civilis magistratus et ipse persequatur quos a judice ecclesiastico haeresi convictos, et damnatos agnoverit. Experientia siquidem compertum est, non modo Religioni perniciem afferre crimen hoc virulentum, sed etiam infestum fore societati ob turbas, quae, suavi jugo Christianae Fidei excusso, ab haereticis ut plurimum excitantur.

Animadversio 6. Plures recensentur poenae tum spirituales, tum etiam corporeae, quibus haeresim formalem, et externam per-

(1) A Paulo 3. instituta fuit hujusmodi Congregatio an. 1542. Constitut. Licet ab initio; et a Sixto 5. an. 1587. denuo confirmata Constit. Immensa aeterni Dei.

(2) Cap. Excommunicamus 13. §. Adjicimus, de haereticis, et Clement. 1. §. Propter quod de haereticis. Consulatur Card. de Luca Relat. Curiae Romanae disc. 14. N. 4.

(3) Ita Farinaccius de haeresi Quaest. 186. N. 177., Hostiensis in Cap. ad abolendam 9. de haereticis N. 2. et 4., Reiffenstuel in lib. 5. decretalium tit. 8., aliique in Bibliotheca Lucii Ferraris citati verb. haeresis N. 23.

(4) Cap. Ut inquisitionis 18. §. Prohibemus, de haereticis in 6.

sequi consuevit Ecclesia. Inter eas primum obtinet locum excommunicatio major latae sententiae Apostolicae Sedi reservata, quam adversus haereticos omnes, eorumque fautores, defensores, ac receptores Lateranense Concilium IV. sub Innocentio III. celebratum decrevit (1). Eadem aeque innodantur excommunicatione legentes ac retinentes absque debita venia libros haereticorum, eosque praelo tradentes (2). Huic autem censurae subjicitur ex communi doctorum consensu non tantum haeresis notoria, sed et occulta, dummodo non sit pure mentalis. Altera poena, quae propter haeresim notoriam ipso jure contrahitur est irregularitas, ejusque participes quoque fiunt haereticorum descendentes usque ad secundam generationem ob haeresim paternam, et usque ad primam ob maternam, nisi tamen parentes resipiscant, et ad sinum redeant Ecclesiae (3). Quoniam porro irregularitas effectus est majoris excommunicationis, inde sponte consequitur, eum etiam irregularem fieri, qui in externam haeresim, licet occultam, prolabitur (4). Praeterea in-

(1) Cap. Sicut 8. Cap. Ad abolendam 9. Cap. Excommunicamus 13. de haereticis, et Cap. Achatius 24. Quaest. 1.

(2) Ex Bulla S. Pii V. in coena Domini.

(3) Cap. Si qui presbyteri 1. Quaest. 7. Cap. Quicumque 2. §. haeretici in 6., et Cap. Statutum 15. ibidem in 6.

(4) Deducitur haec veritas e Clementis 8. concessione facta

terdicitur tum haereticis notoriis, eorumque fautoribus, defensoribus, ac receptoribus (1), tum haereticos in loco sacro scienter tumulantibus Ecclesiastica sepultura (2). Infamiae nota inuruntur etiam haeretici, adeo ut a testimonio ferendo in causis ecclesiasticis repellantur (3). Sin vero clericus decidat in haeresim, poenae in eum constitutae sunt privatio dignitatum, ac beneficiorum ecclesiasticorum, inhabilitas ad nova beneficia et officia assequenda (4), cujuscumque spiritualis jurisdictionis amissio (5), perpetua depositio a ministerio sacro, et degradatio (6). Tandem ad haereticam pravitatem coercendam indicunt leges canonicae bonorum proscriptionem, (7) carcerem (8), aliasque poenas corporeas vel mitiores vel graviores pro temporum circumstantiis op-

inquisitoribus auferendi irregularitatem ab haeresi occulta provenientem. De qua re consuli poterunt Farinaccius de haeresi Quaest. 192. N. 68., Silvester verb. Crimen Quaest. 2. N. 3., Sanchez lib. 2. Moralium Cap. 25. N. 2., et alii communiter.

(1) Cap. Sicut 8. de haereticis, et Cap. Quicumque 2. de haereticis in 6.

(2) Ibidem in 6.

(3) Cap. Infames 17. Causa 6. Quaest. 1., et Cap. Excommunicamus 13. de haereticis.

(4) Cap. Statutum 15. de haereticis in 6.

(5) Cap. Ut commissi 12. ibidem in 6.

(6) Cap. 1. et 4. ibidem in 6.

(7) Cap. Vergentis 10. de haereticis. Cap. Secundum 19. de haereticis in 6.

(8) Cap. Ut commissi 12. ibidem in 6.

portune infligendas, de quibus consulantur juris ecclesiastici scriptores.

Animadversio 7. Summorum quoque imperantium auctoritate leges poenales in haeresim conditae fuere. Jus namque civile Romanorum haereticos decernit infames (1); horum facultates proscribit (2); eosdemque vel carcere vel exilio insectatur, vel extremo etiam tradit supplicio, si crimen laesae majestatis, aliudve facinus enorme societati exitiosum haeresis involvat (3).

§. CLIX.

Extant praeter haeresim et aliae binae infidelitatis positivae species, quae sunt judaismus (4), et paganismus (5). Judaismus

(1) Authent. Gazaros. Cod. de haereticis.

(2) Ibidem.

(3) In Justiniani Codice de nonnullis haereticis priorum temporum exemplum habemus, contra quos poena capitis fuerat sancita. Id noscimus tum ex L. Quicumque 8. Cod. de haereticis, tum ex constitutionibus Friderici 2. quae adhuc supersunt in Authent. Si vero, et in Authent. Credentes Cod. de haereticis.

(4) Haebreorum religio judaismus appellatur a Juda filio Jacob, cujus tribus universo populo Israel ideo nomen dedit, quia diutius prae ceteris haec regnum obtinuit.

(5) Paganismus dici consuevit gentilium superstitio etiam ante Christi Domini adventum, sicuti patet ex Tullio, qui de legibus lib. 2. ferias pagànicas memorat, et festa paganalia. A pago deducenda porro videtur haec appellatio: mos quippe gentium erat lucos, pagosque numinibus consecrare, ibique profanos ritus peragere, quemadmodum eruitur ex Ep. Plinii proconsulis ad Trajanum.

antiquo Foedere admisso, novum omnino rejicit, paganismus utrumque repudiat. Ad paganismum sic generatim sumptum *ethnici* non modo pertinent, sed *mahumedani* quoque, et pseudo-philosophi omnes *athei*, vel *deistae*, qui divinam quamlibet revelationem abjiciunt. Eorum autem, qui judaismum, aut paganismum sectantur non eadem est conditio. Alii siquidem proprie dicuntur *judaei* vel *pagani*, et sunt qui a parentibus infidelibus progeniti, atque in alterutra infidelitate educati haud unquam Christianae Fidei nomen dedere. Alii vero, qui, baptismate suscepto, doctrinam Christianae Fidei primum professi, ac postea deserentes, ad unam vel alteram speciem infidelitatis declinarunt, *apostatae* vocantur. Exinde patet, rite apostasiam definiri turpe crimen, quo Christus, ejusque Fides ab homine baptizato abnegatur.

§. CLX.

Si consideretur apostasia secundum terminum, a quo recedit, quatenus, nempe, est discessio a vera Fide, certum est, eam accidentaliter tantum, non essentialiter, ab haeresi differre, cum inter utramque nonnisi per majus et minus habeatur discrimen. Item si spectetur apostasia secundum terminum, ad quem accedit, haec speciem induit ju-

daismi vel paganismi, ad quem apostata se convertit. Ex hac duplici animadversione concludimus, peculiarem speciem infidelitatis non fore apostasiam, sed circumstantiam notabiliter aggravantem infidelitatis peccatum (1). Verum, etiamsi peculiaris infidelitatis species apostasiae non conveniat, nihilominus execrabile scelus eam esse duo potissimum ostendunt. Id patet in primis ex Evangelio Matthaei, ubi Christus cap. 10. v. 3. ait: *Qui me negaverit coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo.* Ulterius idipsum constat ex auctoritate catholicae Ecclesiae, quae crimen hujusmodi tamquam haeresi deterius gravissimis poenis multare consuevit. Quales autem fuerint poenae adversus apostatas olim constitutae, priscorum temporum historia perhibetur. Ea teste, cum plures e christianis, fervente persecutione, vel suppliciis territi vel praemiis illecti Fidem abdicarent, hi statim a fidelium communione pellebantur, ejusdemque tantum participes fiebant in exitu vitae, dummodo in se reversi admissam culpam deflerent. Iis alicubi nec morientibus venia dabatur. Citra mortis articulum deinceps etiam absolvi coeperunt apostatae, salutari tamen poenitentia juxta veterem di-

(1) Videatur Angelici Doctoris 2. 2. Quaest. 12. Art. 1.

sciplinam expleta (1). Saeculorum lapsu poenae, quae adversus apostatas a jure sancitae fuere, plus minus eaedem sunt, quas (§. CLVIII.) in haereticos vidimus indictas (2).

ARTICULUS SECUNDUS

Disseritur de peccatis, quae Spei adversantur.

§. CLXI.

In spem theologicam peccari potest praesumptione ac desperatione. Praesumptio, quae per excessum huic opponitur virtuti, est fiducia temere concepta, qua quis beatitudinem, ac media ad illam necessaria se consecuturum confidit aliter, quam Dei voluntate statutum est. Hoc peccatum in eo re-

(1) De apostasia, et poenis eidem affixis consulatur Joannes Devoti Institut. Canonic. lib. 2. tit. 2. Sect. 4. §. 87., et lib. 4. tit. 3. §. 8. Hic interim adnotare libet, Christi fideles, qui in Ecclesiae primordiis vel ad judaismum flectebant, vel ad ethnicam superstitionem, *lapsos* vulgo appellatos fuisse. De iis agit D. Cyprianus Ep. 20. ad Clerum Romanum, Ep. 55. ad Antonianum, et lib. de lapsis. Qui porro ethnici fiebant vario nomine vocabantur: *thurificati*, videlicet, si thus idolis obtulissent; *sacrificati* si partem habuissent in idolorum sacrificiis; *libellatici*, si religionem ejurassent libellis, quos vel magistratibus offerebant, vel ab iis recipiebant, ne palam sacrificare cogerentur. Utrum porro libellaticorum genus unum fuerit, vel duplex, inter eruditos disputatur. Pro prima sententia legatur Baronius ad an. 253., pro altera Albaspineus de veteribus Ecclesiae ritibus lib. 1. Observat. 21.

(2) Cap. Non potest 24. Causa 2. Quaest. 7. et L. 1. tit. 7. Cod. de apostatis.

peritur, qui spem aeternae salutis reponit vel in solis naturae viribus cum Pelagio, vel cum Luthero in Fide sine operibus, vel cum plurimis pseudo-fidelibus in quibusdam religionis actibus externis a praeceptorum observantia omnino sejunctis. Desperatio per defectum Spei adversatur, ac dicitur animi voluntaria dejectio, ac diffidentia, qua quis coelestis gloriae spem abjicit, vel divinae gratiae ad eam obtinendam congruentis. Ejusmodi peccatum eorum est, qui numero gravati ac pondere flagitiorum, propter quae indulgentiam a Deo non expectant, ad instar Cain sic impie blasphemant: *major est iniquitas mea, quam ut veniam merear* (1).

§. CLXII.

Praesumptionem ac desperationem ex genere suo lethale peccatum esse, Theologi universim cum D. Thoma fatentur (2). Hujusmodi veritatem, quae, uti diximus, communi gaudet suffragio, argumentum a ratione depromptum sic ostendit. Primarium et immediatum objectum Spei theologicae Deus est (§. XXXIII). Igitur praesumptio ac desperatio, quae huic opponuntur virtuti, directe avertunt hominem a Deo. Sed in hac

(1) Geneseos Cap. 4. v. 13.

(2) Hac de re fuse disserit Angelicus Doctor 2. 2. Quaest. 20. et 21.

aversione hominis a Deo natura culpae lethalis consistit (§. CXLIX). Ergo praesumptio, et desperatio ex genere suo sunt lethale peccatum. Ad rei confirmationem accedit, quod homo praesumens Dei justitiam despicit, qua peccatores puniuntur, desperans Dei misericordiam offendit, cui potissimum nititur Spes theologica. Quis porro levem dixerit culpam divinorum attributorum contemptum? Quod hactenus ratione probavimus de gravi praesumptionis ac desperationis malitia, hoc ipsum tradit serm. 87. in verbis Evangelii Matthaei, N. 10. D. Augustinus, dicens: *Ista duo occidunt animas, desperatio, et perversa spes.* Modum autem, quo id fieri contingat, idem S. Pater tract. 33. in Joannem N. 8. disertis hisce verbis exponit: *Ex utroque homines periclitantur, et sperando, et desperando contrariis rebus, contrariis affectionibus. Sperando decipitur.... qui dicit, bonus est Deus, misericors est Deus; faciam quod mihi placet, quod libet, laxem habenas cupiditatibus meis, impleam desideria animae meae. Quare hoc? quia misericors est Deus, bonus est Deus, mansuetus est Deus. Spe isti periclitantur. Desperatione autem, qui cum inciderint in gravia peccata, putantes, sibi non posse jam ignosci poenitentibus, et statuentes se ad damnationem sine dubio destinatos, dicunt*

apud seipsos, jam damnandi sumus: quare non, quod volumus, facimus? ...... Istos desperatio necat, spes illos.... Metuendum est, ne te occidat spes, et cum multum speras de misericordia, incidas in judicium. Metuendum est rursus, ne te occidat desperatio, et cum putas jam tibi non ignosci, quae gravia commisisti, non agas poenitentiam, et incurras in judicem sapientiam, quae dicit: Et ego vestrae perditioni superridebo (1).

ARTICULUS TERTIUS

Peccata numerantur, quae speciatim charitatem offendunt.

§. CLXIII.

Quamvis generatim nullum peccatum excogitari possit, quo leviter saltem charitas non laedatur, plures tamen sunt peccatorum species, quae peculiari modo huic virtuti repugnant. In iis percensendis juxta ordinem, quem nobis exhibet Angelicus Doctor, initium ab odio capiamus (2). Odium late sumptum est actus voluntatis aliquid aversantis. Illud autem si contra Deum, vel contra proximum feratur, charitati opponi-

(1) Proverbiorum Cap. 1. v. 26.

(2) De singulis peccatis, quae cum charitate pugnant speciatim fuse disserit citatus Doctor a Quaest. 34. ad 44.

tur; Deus enim et proximus duplex hujus theologicae virtutis materiale constituunt objectum. De utroque peccato ut verba fiant, particulatim sequentia notentur.

Certum est 1. scelus omnium fore gravissimum odium in Divinitatem. Nam qui Deum odit, primum et maximum legis mandatum infringit de Supremo Numine per se ac prae ceteris diligendo. Unde ab enormi culpa nemo poterit excusari, si cupiat non esse Deum, si de infinitis ejus perfectionibus et gloria tristetur, si gaudium de ipsius offensa experiatur.

Certum est 2. ex genere suo peccatum esse lethale odium in proximum, si circa personam versetur. Hoc siquidem peccatum cum in animi simultate consistat, qua quis alteri sibi inviso vult malum quatenus malum ipsius est, odium inimicitiae continet, quo nihil sane deterius: nam odium hoc sensu conceptum divinae Legis evertit praeceptum jubens proximorum dilectionem, et homicidio aequiparatur ab Apostolo Joanne Ep. 1. cap. 3. v. 15. dicente: *omnis, qui odit fratrem suum homicida est.* Quocirca non leve sane peccatum admitteret, qui damnationem aeternam, qui mortem aut molestam corporis infirmitatem, qui rerum jacturam aut infamiam, aliaque id generis nocumenta ob malevolentiam proximis optaret.

Certum est 3. non semper odium in proximum fore peccatum, si ad qualitates tantum personae inhaerentes, non vero ad personam secundum se consideratam, animi aversio referatur. Qualitates namque personae vel bonae sunt, vel malae. Si bonas proximi qualitates odio quis prosequatur, sapientiam, nempe, justitiam, temperantiam, largitatem, procul dubio peccat, cum inordinatum ac turpe sit qualitates aversari, propter quas homo laudem ac retributionem promeretur. At si de malis proximi qualitatibus agatur, prouti sunt vitia quaeque moralia, tum eas detestari culpa omnino vacat, modo persona, qua proxima nobis est, diligatur. Quin etiam hoc genus odii, quo vitia personae abominamur, quatenus ea sunt vel mala per se, vel Deo injuriosa, vel bono publico noxia, commendandum omnino erit, cum procedat e virtutis amore: id praestitisse noscimus viros quoque sanctiores, ac praesertim David, qui Ps. 118. v. 113. de se canebat: *iniquos odio habui.*

§. CLXIV.

Ad Charitatem potissimum pertinet gaudium de bono divino. Igitur desidia, quae huic adversatur gaudio, jure dicitur peccatum charitati repugnans. Ut plurimum desidia sumitur pro fastidio rerum spiritua-

lium, animique tepore, ob quem bona opera vel omittuntur, vel remisse fiunt. Haec peculiare peccatum non est, sed proprietas potius cujuslibet peccati bonum virtutis sibi oppositae refugientis. Accipitur etiam desidia pro taedio, quo quis tristatur de bonis divinis ad se pertinentibus, nimirum de amicitia Dei, de beatitudine aeterna propter difficultatem, quam in prima servanda, in alterá adquirenda parit voluptatum contemptus, et exercitium virtutis. Desidia sub hoc respectu posteriori specialis est culpa ex genere suo lethalis, quia, cum Dei amicitiam et coelestem gloriam parvipendat, grave profecto vulnus infert Charitati, cujus ordo requirit, ut Deus cunctis rebus creatis appretiative praeferatur. Per accidens autem venialis esse potest hujusmodi culpa, si media quidem ponantur, quae sunt ad finem, sed non sine animi aegritudine et languore, qui licet charitatem non auferat, ejus tamen semper impedit fervorem. Ad vincendam desidiam nonnulla remedia proponuntur. Divini Servatoris praesertim, ac tot Sanctorum considerentur labores: oratio sedula ne praetereatur: Sacramentorum usus sit frequens, sit devotus: tandem saepe ac serio pensentur Christi verba Matthaei cap. 3. v. 10. *Arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.*

§. CLXV.

Gaudio de bono proximi, ac proinde Charitati opponitur invidia, quae a D. Augustino lib. 11. de Genesi ad litteram cap. 14. N. 18. appellatur *odium felicitatis alienae,* quaeque a Theologis definiri solet *animi sensus, quo quis de alterius felicitate dolet, ac de ipsius calamitatibus exultat* (1). Lethale fore hoc peccatum ex genere suo, plane constat e Scripturarum auctoritate. Apostolus enim Ep. ad Galatas cap. 5. v. 21. reponit invidiam inter peccata, quae hominem excludunt a regno coelorum: item Ep. ad Romanos cap. 1. v. 29. et 32. dignos morte invidentes pronuntiat. Ad monstrum invidiae compescendum haec opportuniora censentur. In primis animadvertere juvabit, hoc peccatum prae ceteris mortales reddere simillimos daemoni, cujus *invidia mors introivit in orbem terrarum* (2). Proderit quoque considerare invidiae turpitudinem, quae tanta est, ut eos, qui alienas aerumnas gaudium suum esse putant, et aliorum bona proprium sibi malum, D. Chrysostomus non dubitet canes rabidos, infestos daemones,

(1) In hac ipsa definitione penitus conveniunt et philosophi, qui, uti Cicero testatur lib. 4. Tusculanarum Quaestionum Cap. 8., — invidentiam esse dicunt aegritudinem susceptam propter alterius res secundas, quae nihil noceant invidenti.

(2) Sapientiae Cap. 2. v. 24.

ac furias vocare, communesque naturae inimicos et hostes, cum in alienis calamitatibus nutriantur, quemadmodum in fimo scarabaei (1). Perpendatur insuper, hoc peccatum crudelem fore justumque tortorem ipsius invidentis, cujus animum continenter excruciat. Unde merito dici potest: *Qui exultat in adversis proximi, et affligitur in prosperis ejus, alieno gladio se petit* (2). Praeterea concupiscentia oculorum, hoc est, immoderatus erga res perituras affectus toto studio vitetur; nam, ut ait D. Basilius, *fieri non potest, ut qui... res mundanas tamquam eximias non admiratur, unquam invidiae sit obnoxius* (3). Denique, ut invidiam avertas, vitae superbiam depelle. Cur autem? Quia, D. Augustino teste, *invidia sequitur superbiam, non praecedit: non enim causa superbiendi est invidia, sed causa invidendi superbia* (4).

§. CLXVI.

Cum pacem, et animorum consensionem

(1) Homilia 40. in Evangelium Matthaei.

(2) Haec habentur in altera precatione ad Missam D. Ambrosio adtributa.

(3) Ita scribit hic S. Pater homilia 11. de invidia N. 5.

(4) Lib. 11. de Genesi ad litteram Cap. 14. N. 18. Consulantur quoque, si placeat, Basilius ipse jam citatus serm. 18. de invidia et malevolentia, Cyprianus lib. de zelo et livore, Hieronymus lib. 3. Comment. in Ep. ad Galatas Cap. 5., et Gregorius M. lib. 5. moralium in Job. Cap. 31.

in bonis necessariis Charitas requirat; inde fit, ut ei adversetur discordia, quo nomine hic intelligitur voluntatum dissensio circa ea, in quibus ex divino Charitatis praecepto consentiendum est. Discordia ex genere suo gravis est culpa. Deus enim detestatur Proverbiorum cap. 6. v. 19. *eum, qui seminat inter fratres discordias;* et Paulus ad Galatas cap. 5. *dissensiones* accenset peccatis, quae sempiternae gloriae consecutionem impediunt. Quoniam vero non semper voluntatum dissensio peccatum est, nec semper Charitatem offendit, operae pretium hinc ducimus, ut praecaveantur ambages, tria potissimum adnotare.

Itaque ad Charitatem evertendam opus est 1. ut discordia circa bonum versetur. Nam in malum non consentire, sed viriliter ei resistere, id proprium virtutis est. Tantae virtutis exemplum habemus in Apostolis Petro et Joanne, qui, cum judaeis miram Christi resurrectionem nuntiarent, Principibus populi ac senioribus vetantibus, ne docerent in nomine Jesu, responderunt: *Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicate. Non possumus, quae vidimus, et audivimus non loqui* (1). Opus est 2. ut objectum discordiae sit bonum ne-

(1) Actorum Cap. 4. v. 19. et 20.

cessarium, sive ad honorem Dei promovendum, sive ad nostram aliorumve spiritualem aut corpoream salutem procurandam. Etenim hisce bonis resistere peccatum est contra Charitatem gravius, aut levius pro ratione materiae, de qua viget dissensio. Contra, si sermo sit de bono libero, quod sub praecepto non cadit, nempe, de seligenda regulari professione, vel de ordinibus suscipiendis, tum peccatum non est a ceteris discrepare. Opus est 3., ut bono, de quo datur discordia, scienter obsistatur. Nam si quis ab alio dissideat, quia tenet suam opinionem rationi, vel divinae gloriae, vel bono proximi prae altera convenire; *talis discordia non est peccatum, nec repugnat Charitati, nisi sit cum errore circa ea, quae sunt de necessitate salutis, aut pertinacia indebite adhibeatur* (1). Id profecto notum est evenisse inter Paulum et Barnabam dum Antiochiae morabantur, quin Charitas vel minime laederetur (2).

§. CLXVII,

Charitati pariter officit contentio, seu verborum altercatio, qua inordinate unus alteri contradicit. Haec porro contentionis inordinatio esse potest ex parte vel finis, vel

(1) Ex D. Thoma 12. 2. Quaest. 37. art. 1.
(2) Ex Actibus Apostolicis Cap. 15. v. 39.

modi, quo disputatur. Ratione finis contentio fit culpa lethalis, cum serio instituatur ad oppugnandam veritatem, quae Fidem, bonos mores, pietatem vel justitiam respiciat. Contentio siquidem tum adversatur paci Charitatis, qua debemus in bonis necessariis cum proximo consentire; ideoque cap. 5. Epistolae ad Galatas, quam pluries memoravimus, inter opera carnis merito refertur. Idipsum dicatur etiam, cum disputatio ad explorandam, explanandamque veritatem habeatur, si contendentium tanta sit vehementia et livor, ut nullus ab iis modus servetur, ac minis, jurgiis, maledictis Charitas graviter offendatur.

§. CLXVIII.

Inter graviora scelera Charitati speciatim opposita numeratur Schisma, de quo pauca dicturi haec praesertim attendamus.

1. Schisma graeca vox est, quae divisionem significat, ac proprie sumitur a theologis pro recessu ab Ecclesiae catholicae unitate, quae in eo sita est, ut Ecclesiae cunctae particulares invicem colligatae tamquam plura membra unum corpus efficiant sub uno omnium Capite Romano Pontifice. Huic doctrinae plane congruunt verba D. Hieronymi Ep. 15. ad Damasum N. 2. ita scribentis: *Beatitudini tuae, idest Cathedrae*

Petri, communione consocior. Super istam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit profanus est.

2. Si nullum dogma perversum, Fideique contrarium schismati jungatur, hoc *purum* vocatur, et partim cum haeresi convenit, partim ab ipsa differt. Schisma et haeresis conveniunt simul, quatenus utrumque crimen Ecclesiae unitatem aeque disrumpit: in eo autem differunt inter se, quod per schisma vinculum solvatur Charitatis, integritate Fidei servata; per haeresim vero Fides una cum Charitate penitus auferatur.

3. Quamquam ab exordio potissimum schisma sejunctum ab haeresi per se consistere valeat; si tamen diuturnum fiat, cum ea persaepe copulatur. Hac de re Novatiani et Donatistae, Graeci et Anglicani eorum exemplo certiores nos faciunt. Quin etiam progressu temporis necesse est, ut schisma vel omnino tollatur, vel in haeresim tandem erumpat. Cum enim schismatici auctoritatem Ecclesiae catholicae ad unitatem eos revocantis contemnant, atque in defectione perseverare velint, hanc honestare conentur oportet sibi suadentes extra Ecclesiae quoque unitatem de aeterna salute desperandum non esse. (1).

(1) Experientia duce, idipsum testatur Stridonensis Pater

4. Quanta sit schismatis pravitas neminem latet, cum vix animadvertat, hujusmodi crimen turbas excitare in Ecclesia Christi, eique concordiam et pacem eripere. Quocirca D. Augustinus Ep. 141. N. 5. sic Donatistas alloquebatur: *Quisquis ab hac catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Item D. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 39; haec scribebat: *Firmissime tene, quemlibet schismaticum.... si Ecclesiae catholicae non fuerit aggregatus,.... etsi pro Christi nomine sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari.*

5. Adversus schismaticos plures in jure constitutae reperiuntur poenae. Prior earum est poena excommunicationis latae sententiae, quemadmodum diserte constat e Bulla Coenae §. 1., ubi legitur: *Excommunicamus schismaticos, et eos, qui se a nostra, et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt.* (1). Altera consistit in jurisdictionis ecclesiasticae privatione: habetur enim cap. 31. Causa 24.

in Cap. 3. Ep. ad Titum dicens: — Nullum schisma est, quod non sibi aliquam haeresim confingat, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur —.

(1) Cap. Nulli fas 5. dist. 19. et Cap. de Liguribus 43. causa 23. Quaest. 5.

quaest. 1. *didicimus,... schismaticos nil habere potestatis ac juris* (1). Tertia poena est inhabilitas ad beneficia, et dignitates ecclesiasticas recipiendas (2). Hisce poenis accedunt etiam bonorum proscriptio (3), et extremum supplicium si contumacia schismati adjiciatur (4).

6. Demum si perquiratur, quaenam sint causae, quae ut plurimum ad schisma deducunt, huic instantiae reponit lib. 3. adversus Parmenianum D. Augustinus, easque indicat hisce verbis, dicens, *divisionem non facere, nisi superbiae tumore furiosos, aut invidentiae livore insanos, aut seculari commoditate corruptos, aut carnali timore perversos.*

§. CLXIX.

Non modo justitiae, sed et Charitati, quae animorum unitatem et pacem requirit, injustum bellum summopere adversatur, ac semper lethale peccatum est, cum vastationes, rapinae, caedes, aliaque sexcenta mala,

(1) Cap. Novatianus 7. causa 7. Quaest. 1., et Cap. Quod a praedecessore 1. de schismaticis.

(2) Cap. Quia diligentia 5. de electione.

(3) Cap. ad succidendos unic. de Schismaticis in 6. aliisque locis relatis a Card. Albitio de inconstantia in Fide p. 1. Cap. 10. N. 41.

(4) Cap. Non vos 22., et Cap. de Liguribus, ut supra. Vide Albitium ibid. N. 42., et Farinaccium Quaest. 184. N. 51.

quae illud vel comitantur, vel subsequuntur, totidem sint horrenda vulnera, quae Charitatem labefaciunt. Porro si recolantur quae de bello, ejusque conditionibus alibi tradidimus, quodnam sit bellum injustum facile patebit (1). Ex iis namque perspicuum est, justitia vacare bellum, quod auctoritate legitima non decernitur; quod absque necessaria et justa causa suscipitur; quod non recta intentione, sed vel nocendi cupiditate, vel crudelitate ulciscendi, vel dominandi libidine geritur; quod tandem circa pugnandi modum juri naturae ac gentium opponitur.

§. CLXX.

Virtuti Charitatis, qua cunctos diligere, qua neminem offendere jubemur, contraria est quoque rixa, seu conflictus, quo privati homines ex ira et amore vindictae manibus, fustibus, aut alia quavis ratione se se invicem percutiunt. Inter rixantes qui alterum injuste invadit, eique nocumentum infert, peccatum admittit ex genere suo lethale, quia, teste D. Paulo Ep. ad Galatas cap. 5., nisi per accidens leve fiat, hoc omnino removet ab ultimo fine. De illo autem, qui injustam aggressionem sustinet,

(1) Vide lib. 2. Institutionum §. XCVII.

ac se defendit, Angelicus Doctor 2. 2. quaest. 41. art. 1. ita scribit: rixa *in eo.... potest esse sine peccato, et quandoque cum peccato veniali, et quandoque cum mortali secundum motum animi ejus, et diversum modum se defendendi. Nam si solo animo repellendi injuriam illatam, et cum debita moderatione se defendat, non est peccatum, nec proprie dici potest rixa ex parte ejus. Si vero cum animo vindictae, vel odii, vel cum excessu debitae moderationis se defendat, semper peccatum est; sed veniale quidem quando aliquis levis motus odii, vel vindictae se immiscet, vel cum multum non excedit moderatam defensionem; mortale autem, quando obfirmato animo in impugnantem insurgit ad eum occidendum, vel graviter laedendum.*

§. CLXXI.

Tum a bello, tum a rixa differt seditio, quae fit ab una parte reipublicae in alteram, vel in summum imperantem insurgente. Charitati semper inimica est seditio, neque a gravi crimine excusatur, quia potissimum obest communitatis bono, scilicet, unitati civium et paci. Tanti porro criminis rei praesertim efficiuntur, ac prae ceteris deterius peccant, qui seditionem meditantur, parant, ac promovent, cum socialis

perturbationis causa sint principalis et efficiens: rursus ipsius criminis fiunt participes, tum qui sectantur seditionis auctores, tum qui eisdem quomodocumque cooperantur, et favent. Peculiare autem peccatum est seditio tum a bello tum a rixa, uti jam diximus, distinctum. Bellum etenim proprie contra extraneos habetur, seditio vero inter populum unius civitatis vel regni: rixa contingit inter duo vel paucos; seditio evenit in multitudine, cum una pars civium adversus aliam tumultuose concitatur.

§. CLXXII.

Praecipuo Charitatis officio de praecavendo aliorum nocumento directe scandalum obstat, ac proinde merito recensetur inter peccata huic virtuti speciatim opposita. Cum de scandalo disserant, haec tria communiter inquirunt Ethicae sacrae scriptores: 1. nempe, quid praecise sit hujusmodi peccatum, et quotuplex? 2. Quam gravis culpa sit scandalum *activum?* 3. Quidnam agendum, ut scandalum *passivum* devitetur? Singula ut explanentur, sit

Responsio ad 1. Scandalum, quo nomine proprie designatur offendiculum in via positum exhibens deambulanti lapsus periculum, in moralibus usurpari solet ad significandum dictum vel factum minus rectum

alicui praebens ruinae spiritualis occasionem. Scandalum jam definitum appellatur *activum;* et *formale,* seu *directum* erit, si damnum aliorum spirituale in dicto aut facto quis sibi proponat; *interpretativum* vero, seu *indirectum,* si quis alienum spirituale detrimentum non intendens dicat aut operetur in sui commodum, ac utilitatem quod ceteris est causa peccandi. Extat quoque scandalum *passivum,* videlicet, spiritualis ruina proximi, quae occasione alterius dicti vel facti consequitur. Scandalum *passivum* duplex insuper est: aliud *pusillorum* vocatur, quia ex infirmitate oritur, vel ex ignorantia eorum, qui scandalum patiuntur: aliud contingit e malitia tantum illud accipientis, et scandalum *pharisaicum* dicitur a pharisaeis, qui de divinis Christi operibus diabolica nequitia murmurabant.

Ad 2. Scandalum activum sive directum, sive indirectum per se et ex genere suo gravis est noxa specialiter Charitati repugnans. Tuto diximus juxta regulam primam, quam tradidimus (§. CLII.), culpam hanc per se et ex genere suo fore lethalem. Servator enim Christus apud Matthaeum cap. 18. v. 6. et 7. ait: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.*

Vae mundo a scandalis.... vae homini illi, per quem scandalum venit. Diximus praeterea, scandalum culpam esse specialem Charitati adversantem. Et jure quidem: nam si peccat in Charitatem qui proximum non corripit, ut a lapsu retrahatur (§. LII); eo magis hanc laedit virtutem qui pravo consilio aut exemplo directe, vel etiam indirecte ad ruinam spiritualem proximum impellit (1).

Ad 3. Ut accurate definiri possit, an et quando sit impediendum scandalum passivum, operae pretium erit sequentes regulas pro praxi constituere.

(1) Speciale peccatum Charitati oppositum in scandalo diracto Theologi omnes agnoscunt. Sed circa scandalum indirectum non idem est omnium consensus: tenent siqnidem nonnulli cum Sanchez et Bonacina, hujusmodi scandalum malitiam non contrahere specia distinctam aduersus Charitatem, quia damnum proximi spirituale contingit praeter voluntatem scandalum praebentis. Huic tamen opinioni contradicunt quamplures, cum animadvertant, non raquiri expressam nocendi voluntatem ad malitiam specificam adversus Charitatem in actu inducandam, sed interpretativam omnino sufficere: quae certe voluntas non deest in scandalo indirecto, cum quis e proprio dicto vel facto aut per se malo, aut mali speciem habante praevidere potest, ac debet spirituale proximi detrimantum probabiliter secuturum. Posteriorem hanc sententiam, quae communior ast, amplectimur. Huic autem adhaerent Lugo de poenitentia distinct. 16. Sect. 4. §, 2., Tamburinus theol. mor. tom. 3. de methodo Confassionis lib. 2. Cap. 1. §. 17. da scandalo N. 102., Antoine theol. mor. tom. 2. tract. de Virt. theolog. parte 3. de Charitate Cap. 6. §. 4. de scandalo Quaest. 2. respons. 2., Ligorins lib. 2. tract. 3. de praacepto Charitatis Cap. 2. dub. 5. de scandalo art. 1. N. 45., aliique permulti.

Regula 1. Ad scandalum passivum utcumque grave impediendum nefas est vel in minimis legem transgredi naturalem. Quidquid enim leviter etiam juri naturae adversatur per se ac intrinsece malum est; ideoque nunquam licebit, quamvis agatur de alieno scandalo vitando, cum, teste D. Paulo ep. ad Romanos cap. 3. v. 8., non sint facienda mala, ut veniant bona. Unde colligitur, nec pejerare, nec mentiri quemquam posse ad proximi scandalum removendum.

Regula 2. Opera bona divino jure positivo constituta, quae sunt de necessitate medii ad salutem, quatenus pertinent ad praeceptum Fidei vel Sacramentorum observantiam, non sunt omittenda, ut scandalum passivum avertatur. Exigit quippe Charitatis ordo, ut bonum nostrum spirituale ac necessarium alieno praeferamus. Huic doctrinae suffragatur prae ceteris D. Thomas 2. 2. Quaest. 43. art. 7. ita scribens: *Plura sunt de necessitate salutis, quae praetermitti non possunt sine peccato mortali. Manifestum est autem, quod nullus debet mortaliter peccare, ut alterius peccatum impediat, quia secundum ordinem Charitatis plus debet homo suam salutem spiritualem diligere, quam alterius. Et ideo quae sunt de necessitate salutis praetermitti non debent ad scandalum vitandum.*

Regula 3. Opus bonum, ex quo pusillorum scandalum praevidetur secuturum, si jure tantum positivo divino aut humano praecipiatur, neque sit de necessitate medii ad salutem, vel differendum erit, vel etiam quandoque omittendum, quousque de ipsius operis honestate, qui scandalum patitur, moneatur. Haec regula in eo potissimum fundatur principio, quod, concurrente duplici praecepto, naturali, scilicet, ac positivo, quorum utrumque simul adimpleri non possit, primum utpote praestantius est alteri praeferendum (1). Diximus autem in regula jam tradita, legis positivae observantiam quandoque praetermittendam fore ob scandalum pusillorum; idque intelligendum est, cum non obstet bono communi haec omissio, neque grave nocumentum afferat legem non servanti. Diximus ulterius, ejusdem legis custodiam omittendam esse, donec ad tollendum pusillorum scandalum ratio reddatur de operis honestate. Quod si fiat, rursus obligat lex positiva, licet scandalum perseveret: tum enim hoc non ei, qui juxta legem operatur, sed malitiae tantum alienae tamquam pharisaicum tribuendum erit (2).

(1) Vide Institut. lib. 2. §. LXII.

(2) Doctrina, quam in hac regula tenemus, plurimorum, graviumque theologorum gaudet suffragio. Eam praesertim ample-

Regula 4. Opera virtutum, quae per se nulla sub lege cadunt, nisi per accidens fiant de necessitate salutis, vel occultari debent, vel differri, vel prorsus etiam praeteriri, cum ex iis pusillorum scandalum eveniat, donec, manifestando ceteris honestam agendi rationem, scandali auferatur occasio. En qua ratione communis haec sententia probetur. Jubet lex Charitatis, ut proximo in spirituali necessitate constituto feramus opem, cum potissimum id sine damno praestare valeamus. Jam vero proximus ex infirmitate aut ex ignorantia lapsurus in necessitate quadam spirituali positus est, eique succurrere possumus in hac hypothesi, quin detrimentum patiamur; agitur enim de operibus omittendis, quae nec praecepta sunt, neque ad salutem necessaria. Ergo ex lege Charitatis ad avertendum pusillorum scandalum opera virtutum non praecepta, non necessaria, nedum occultare aut differre, sed et praeterire debemus. Verum, ut in hac ipsa regula superius indicavimus, opera cuncta, de quibus hic disseritur, quaeque perfectionis opera vocantur, nonnun-

ctuntur Melchior Canus in Relectione de poenitentia parte 5., Suarezius Dist. 10. de scandalo sect. 4. N. 9., Layman de Charitate Cap. 13. N. 10., Busembaus in Medulla theologica, Sporer de quinto Decalogi praecepto Cap. 1. N. 21., Salmanticenses tract. 21. Cap. 8. N. 87., ac Tournelii continuator tom. 3. tract. de Decalogo Cap. 1. art. 3. §. 3.

quam fieri possunt ad salutem necessaria. Id contingit in iis, qui e. c. evangelica vovere consilia, tum etiam in iis, quorum munus est defectibus aliorum vel in spiritualibus vel in temporalibus consulere, sive propter injunctum officium, sive propter egentis necessitatem. Quo in casu, cum haec opera sint de necessitate salutis, nunquam dimitti poterunt ex regula 2., ut pusillorum scandalum removeatur (1).

Regula 5. Si non urgeat rationabilis agendi causa, opera indifferentia, quae, scilicet, nec per se mala sunt, nec mali speciem exhibent, vel omittenda erunt, vel saltem ad tempus aliquod suspendenda, nisi secus aliorum scandalum ex infirmitate aut ex ignorantia procedens auferri possit. Quamquam enim opus omnino licitum fingatur, illud tamen ob circumstantias praetermittendum est: nam quisque, cum facile possit, ex Charitatis praecepto alienum peccatum impedire tenetur. Hujusmodi regula exemplo firmatur Apostoli, qui de se ajebat Ep. 1. ad Corinthios cap. 8. v. 13. *Si esca scandalizat fratrem, non manducabo carnem, ne fratrem meum scandalizem.* Exinde communiter infertur, nemini licere, justa causa non extante, mutuum poscere ab usurario,

(1) Ex D. Thoma loco citato ad 4.

vel jusjurandum per deos inanes ab infideli, vel ab excommunicato sacerdote Sacramentorum administrationem.

Regula 6. At si sermo sit de scandalo pharisaico, tum nec praeceptorum observantiam omittere fas est ad illud impediendum, nec perfectionis actus aut opera indifferentia opus est praeterire vel differre. Hoc quippe scandalum ex operantis actione, quae per se mala non est, neque speciem habet peccati, certe non proficiscitur: itidem non ex ignorantia, non ex infirmitate proximi procedit. Igitur alienae malitiae, a qua tantum exoritur, scandalum pharisaicum imputandum est, ac merito contemnendum. Id perspicue docuit Christus apud Matthaeum cap. 15. v. 12. et 14., qui, cum falsas judaeorum traditiones palam argueret, discipulis dicentibus: *scis, quia pharisaei, audito verbo hoc, scandalizati sunt,* reposuit: *sinite illos, caeci sunt*: videlicet, nullum vos negotium facessat eorum scandalum, cum illud profluat ex ipsorum, qua obcaecantur, pravitate.

CAPUT QUARTUM

DE PECCATIS RELIGIONI OPPOSITIS.

§. CLXXIII.

Superstitio et irreligiositas duo sunt vitiosa extrema, inter quae media Religio consistit, cum prior hanc virtutem per excessum offendat, altera per defectum. Definitur superstitio cultus quilibet inordinatus vel ratione modi, quo Deus colitur, vel ratione objecti, cui divinus honor exhibetur. E tradita definitione patet, duplex fore superstitionis genus; aliud, quo Deo refertur cultus indebitus, aliud, quo cultus Deo tantum debitus rependitur creaturis. A superstitione quam maxime distat irreligiositas; haec enim dici solet peccatum, quo Deus vel in se, vel in personis, rebusve sacris contemnitur. Multiplex esse potest hujusmodi contemptus divinitatis: hinc plures a theologis numerantur species irreligiositatis; quae sunt, tentatio Dei, blasphemia, perjurium, sacrilegium, et simonia. Ex hisce breviter indicatis apparet, quale totum sit praesentis capitis argumentum; de quo ut ordinatim disseramus, duplici articulo rem absolvere curabimus.

ARTICULUS PRIMUS

De Superstitione.

§. CLXXIV.

Cultus indebitus, qui Deo tribuitur, superstitiosus est, quia vel *falsus*, vel *turpis*, vel *superfluus*. Tum autem superstitiosus erit cultus divinus propter ejus falsitatem, cum ritus falsae cujuspiam religionis usurpentur: idque contingeret, si circumcisione quis uteretur, aliisve sacris judaeorum caeremoniis; quae quidem nunc temporis pro fallacibus habendae sunt, cum adhuc futurum significent Messiam, quem lex Evangelica firmiter jam advenisse credit. Ad hoc ipsum superstitionis genus refertur quoque revelationes, et miracula simulare, fictasque Sanctorum reliquias pro veris venerationi fidelium proponere. Superstitiosus erit etiam cultus ob turpitudinem, si ritus adhibeantur legi naturae, bonisque moribus repugnantes. Exemplum hujusce nefarii cultus deducimus tum e cruentis ethnicorum sacrificiis, quibus humanae mactabantur victimae, tum ab inverecundis lupercalium sollemnitatibus, quibus olim apud Romanos pudicitia temerabatur. Denique superstitionem redolebit cultus ob superfluitatem, si Deus colatur per ea, quae inania omnino

sunt ad ipsius gloriam promovendam, quae fovendae pietati ac devotioni minime conferunt, quae institutionibus Ecclesiae, vel communi piorum consuetudini adversantur.

§. CLXXV.

Si consideretur superstitio, quatenus creaturis impendit honorem soli Deo exhibendum, e doctrina universim a theologis recepta constat, eam ad quinque species revocari; quae sunt *idololatria, divinatio, vana observantia, magia,* et *maleficium.* Raptim de singulis nonnulla observentur.

1. *Idololatria* proprie sumpta peccatum est, quo quis fabulosa numina loco veri Dei veneratur. Hujusmodi superstitionis originem, non ab Enos filio Seth, prouti censet Maimonides (1), non ex Hebraeorum gente, ut Huetius ostendere conatur (2), sed a posteris Cham filii Noe deducendam esse testatur historicorum omnium consensus (3).

(1) Lib. de idololatria.

(2) Demonstrationis Evangelicae tom. 1. prop. 4. de libris Mosis.

(3) Longe ante Mosis aetatem a Chanaan filio Cham ortum sumpsit idololatria, seu polytheismus, atque a Chananaeis ad Aegyptios, inde ad Phaenices, ab hisce ad Graecos, a Graecis ad Romanos promanavit. Inter veteres hanc veritatem potissimum agnoscunt Lactantius lib. 2. divin. Institut. cap. 14., D. Hieronymus cap. 2. in Oseam, ac D. Augustinus lib. 8. de Civ. Dei cap. 24. Idipsum probant e recentioribus Vossius de idololatria gentium, et Grotius in explicatione Decalogi. Consulatur Laurentius Berti, qui theolog. discipl. lib. 1. cap. 5. traditam heic sententiam propugnat.

2. *Divinatio* dicitur investigatio rerum occultarum per expressam, vel implicitam satanae invocationem. Haec porro multiplex est pro diversis modis, quibus arcana superstitiose inquiruntur. Nam si per veras, fictasve mortuorum apparitiones daemon responsa praebeat, divinatio tum *necromantia* vocatur; si per somnia, *onyromantia*, si per idola, et imagines, *oraculum;* si per vates et pythones, *vaticinium*. Item aliae species divinationis sunt *aeromantia*, qua e phaenomenis in aere contingentibus, *Geomantia*, qua e tellure, *hydromantia*, qua ex aqua, et *Pyromantia*, qua ex igne secunda, vel adversa praenuntiantur. Altera divinationis species est *physiognomia*, per quam e voce, vultu, oculis, fronte, ac lineamentis totius personae mores hominum, eorumque vitae fortuitos eventus ariolantur circulatores (1). Ad divinationem quoque pertinent *augurium*, quo ex avium numero et volatu, *auspicium*, quo ex earum cantu, *haruspicium*, quo e victimarum extis aliquid propitium aut exi-

(1) Per sortes, quae virgilianae vocabantur, ethnici divinabant, casu aparientes Virgilii poema, ejusque carmen, quod primum legenti occurreret, velut oraculum recipientes. Hoc pacto de rebus publicis Hadrianum et Alexandrum Severum decernere consuavisse fatentur Spartianus et Lampridius. Apud Christianos vero ad sortes divinatorias capiendas nonnulli antiquitus more gentilium Scripturis Sacris abutebantur. Id testatum habemus tum ex Conciliis Agathense, et Aurelianense 1., tum ex D. Augustino Ep. 55. ad Januarium Cap. 20. N. 37.

tiosum praesertim apud veteres romanos conjiciebatur. *Astrologia judiciaria*, quam colebant prae ceteris Chaldaei, peculiaris est altera divinandi ratio, cujus ope futura libera e motu, situ, atque concursu astrorum perquiruntur. Datur postremo divinatio per sortes, seu *sortilegium*, quo rerum occultarum cognitio, vel quid agendum, aut praecavendum sit per inania media exploratur; uti si taxilli casu projiciantur ad exitum futuri belli praenoscendum (1).

3. *Vana observantia* ea est, quae non ordinatur ad occultorum inquisitionem, ut divinatio, sed effectum respicit externum, quem quis intendit vel impedire vel consequi mediis inefficacibus, quibus tantam vim tribuit, ut sibi repromittat effectum ipsum infallibiliter secuturum. Haec superstitionis species admittitur, cum e. c. mystica verba vel signa, ceteraque id generis futilia remedia usurpentur ad morbos depellendos, eisque inesse credatur virtus naturalis aut divina, quae corporis valeat restituere sanitatem.

4. *Magia superstitiosa* vocatur facultas operandi, quae vires humanas excedunt, per expressam vel tacitam cum daemone pactionem acquisita. Hujusmodi foedus autem pe-

(1) Huic superstitioni addictum Socratem fuisse docet Tullius de fato Cap. 5.

pigisse dicitur, qui satanae potestati eo fine se se subjecit, ut, ipso juvante, magicis artibus mira praestare possit. Tam nefarii criminis exemplum nobis historia tradit Apollonii Tyanensis, cujus praestigia Philostratus descripsit, ac per summam injuriam veris Christi Domini prodigiis Hierocles philosophus comparavit. A superstitiosa vero differt magia *naturalis,* quae per se culpa omnino vacat, cum doctrinam significet, ac sapientiam, qua per causas physicas vulgo ignotas, nulla daemonum invocatione, aut ope intercedente, mirabilia perficiuntur.

5. *Maleficium* illud est, quo quis, auxilio daemonis concurrente, verbis utitur, aut signis superstiosis vel ad inferendam alicui perniciem, vel ad concupiscentiam, turpesque animi affectus in aliis excitandos. Ex quo patet, maleficium esse *veneficum*, aut *amatorium*. Ad hoc peccati genus referuntur etiam artificia cuncta superstitiosa, quae ab incantatoribus et sagis ad maleficium tollendum adhibentur.

§. CLXXVI.

Qualiscumque sit modus, quo crimen superstitionis perpetratur, hoc ex genere suo lethale atque gravissimum fore, tum e Scripturis Sacris, tum ab Ecclesiae auctoritate perspicuum est.

A divinis oraculis ordiamur, e quibus apertissime constat, quanta sit superstitionis malitia. Noscimus e libro Exodi cap. 20. v. 3. 4. et 5. hujusmodi scelus e diametro pugnare cum primo Decalogi praecepto, quod cultum religiosum Deo jubet rependi, eumque diis alienis deferri vetat (1). Peculiariter autem si de variis speciebus superstitionis agatur, neminem latet extremum supplicium adversus eas in veteri lege decerni. Scriptum est enim Exodi cap. 22. v. 18. *Maleficos ne patieris vivere;* et v. 20. *Qui immolat diis occidetur.* Scriptum est Levitici cap. 19. v. 31. *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini:* et cap. 20. v. 6. *anima quae declinaverit ad magos et ariolos.... interficiam illam de medio populi mei:* et v. 27. *vir, sive mulier, in quibus pythonicus, vel divinationis spiritus fuerit, morte moriantur, lapidibus obruent eos, sanguis eorum sit super illos.* Item scriptum est Deuteronomii cap. 18. v. 10. 11. 12. *Cave, ne imitari velis abominationes.... gentium nec inveniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam ducens per ignem; aut qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos,*

(1) Recolantur quae diximus Institutionum lib. 2. parte 1. Sect. 2. Cap. 1. art. 1.

aut quaerat a mortuis veritatem. Omnia enim haec abominatur Dominus, et propter istiusmodi scelera delebit eos.

Huc etiam accedit auctoritas Ecclesiae, quae, cum semper agnoverit maximam superstitionis pravitatem, graviter in hoc crimen animadvertere consuevit. Nam, uti patet e jure communi, praeter canonicam poenitentiam, cui subjiciebantur olim cultores idolorum, sortilegi, divinatores, magi, et malefici, poenae aliae plures in eos constitutae fuere. Harum deteriores, quae in jure notantur, sunt infamia, ob quam a testimonio ferendo hujusce furfuris homines repelluntur (1); depositio ab officio et beneficio; detentio in aliquo severioris disciplinae monasterio si clericus sit delinquens (2); carcer vero et anathema si laicus (3). In hisce porro superstitionibus exercendis qui daemonem invocat precibus, et sacrificiis, eique cultum exhibet latriae, iisdem plectitur poenis, quas adversus haereticos, et apostatas indixit Ecclesia (4). Haec autem, quae in jure statuta legimus ad crimen superstitionis evellendum, Romani Pontifices Innocen-

(1) Cap. Constituimus 9. causa 3. Quaest. 5.

(2) Cap. Non oportet 4., Cap. Si quis Episcopus 5., et Cap. Aliquanti 6. causa 26. Quaest. 5.

(3) Cap. Contra 10 Causa 26. Quaest. 5., et Cap. Admoneat 15. ead. Causa Quaest. 7.

(4) Ita ex Joanne 22. Constit. 13.

tius VIII. (1), Leo X. (2), Sixtus V. (3), Gregorius XV. (4), et Urbanus VIII. (5) novis sanctionibus confirmarunt (6).

ARTICULUS SECUNDUS

De irreligiositate.

§. CLXXVII.

Inter peccata virtuti religionis per defectum opposita refertur tentatio Dei, quae definiri solet actus irreligiositatis, quo quis verbis, aut factis absque legitima causa divinas explorare conatur perfectiones temere expectans a Deo signum aliquod supernaturale. Tentatur Deus *expresse* ac *directe*, si portentum ab eo quis postulet, ut de ipsius omnipotentia, justitia, et bonitate sumat experimentum, aut si consulto quis vitam alicui tradat periculo, ut videat, an Deus incolumem illum servare possit, ac velit (7). Cum tamen causa quaedam ur-

(1) Constit. Summis.
(2) Constit. Honestis.
(3) Constit. Coeli et terrae.
(4) Constit. Omnipotentis Dei.
(5) Constit. Inscrutabilis.
(6) Vide Thomassinum de veteri et nova Eccl. discipl. parte 3. lib. 1. Cap. 51. N. 8.
(7) Ad hanc peccati speciem attinent probationes juris aut innocentiae, quae quondam sive per monomachiam, sive per contactum ferventis aquae, vel ferri candentis fieri solebant.

geat vel communis, vel etiam privatae necessitatis, cum etiam de maxima utilitate spirituali, de bono publico, de honore Dei ac religionis agatur; tum licet extraordinaria quoque a Deo poscere auxilia, si viribus naturalibus, ac mediis ordinariis optatum finem attingere non valeamus. Id namque ab ipsis Apostolis factum est, cum a Domino petierint dona *gratis data*, quibus egebant in Ecclesiae primordiis, ut judaeis et gentibus legem Evangelicam suaderent, ac multitudinem credentium in fide confirmarent (1). Non modo autem *explicite*, sed et *implicite* solum ac *interpretative* Deus tentari potest: idque fit ab eo, qui nimium divina bonitate confisus vult quidem finem, sed mediis non utitur, quae in sua potestate sunt, ad illum consequendum necessariis. Hac ratione peccant, qui sperant a gravi infirmitate sanari, sed medicum, et congrua medicamenta rejiciunt; qui recusant escam et potum, sine quibus vita naturaliter non servatur; qui demum, bonis operibus et Sacramentorum usu posthabitis, in vitiorum caeno pertinaciter volutantur, ac interim fallaci securitate decepti aeternam absque meritis retributionem expectant. Tentatio

Criminosas hasce probationes ab Ecclesia omnino proscriptas legimus Cap. Mennam 7. Causa 2. Quaest. 5.

(1) Actorum Cap. 4. v. 29. et 30.

Dei tum *directa* tum *interpretativa* semper peccatum est: legimus namque in Evangelio Matthaei cap. 4. v. 7. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Et quamvis per accidens leve fieri possit hujusmodi peccatum; per se tamen est grave, cum divinitatem admodum contemnat, qui, nulla instante necessitatis vel maximae utilitatis causa, praesumit, ut ad ejus nutum Deus ordinem suae providentiae, legesque naturae a se constitutas immutando, prodigia operetur.

§. CLXXVIII.

Aliud irreligiositatis peccatum est blasphemia, quo nomine venit quaelibet contra Deum, vel Sanctos, resve sacras contumeliosa locutio. Haec potissimum in *haereticalem*, et *simplicem* dividitur. Prior illa est, quae cum haeresi connexionem habet, quia de Deo aliquid affirmat vel negat Fidei dogmatibus repugnans. Altera est, quae veritatibus divinitus revelatis non opponitur: ad hanc referuntur tum verba, quibus attributa Dei, membra, sanguis, et vulnera Christi, vel Sacramenta irreverenter ac probrose nominantur, tum etiam sacrilega signa irrisionis atque despectus, quibus e. c. in coelum quis conspuit, aut adversus Christi, Sanctorumque imagines caput injuriose movet ac frendit. Distinguitur quoque bla-

sphemia in *imprecativam*, et *enuntiativam*. Per illam, quae ab odio procedit, malum aliquod blasphemus Deo vel Sanctis imprecatur: per hanc Deo et Sanctis vel peccatum aut imperfectio tribuitur, vel detrahitur aliqua perfectio. Cujuscumque porro generis blasphemia fingatur, exsecrabile crimen ea est, cum infringat secundum Decalogi praeceptum, quo Dei nomen frustra usurpare vetamur, laudare jubemur (1). Quin imo e communi doctorum sententia materiae levitas in hoc crimine dari nequit; nam blasphemia quaelibet utcumque levis gravem irrogat offensam divinitati. Ex quo patet, cur divino simul et humano jure tam districte prohibitum fuerit hoc scelus. Poena in blasphemum lata per legem Mosaicam extremum erat supplicium. Legitur enim Levitici cap. 24. v. 16. *Qui blasphemaverit nomen Domini morte moriatur, lapidibus obruet eum omnis multitudo.* Item si veterem Ecclesiae catholicae disciplinam conspiciamus, ex ea liquet ob tantum crimen laicos excommunicari consuevisse, clericos

(1) Enormitatem culpae, de qua disserimus, animadvertens D. Hieronymus ait lib. 7. in Isaiam Cap. 8. — Nihil horribilius blasphemia, quae ponit in excelsum os suum —. D. Augustinus autem lib. contra mendacium Cap. 19. v. 39; comparatione inter blasphemiam et perjurium instituta, — Pejus est, inquit, blasphemare, quam pejerare; quoniam pejerando falsae rei adhibetur testis Deus, blasphemando de ipso falsa dicuntur —.

deponi (1). Ulterius ad poenitentiam publicam, ad jejunia, ad eleemosynas cogebantur blasphemantes (2). Adversus eos pluribus Romanorum Pontificum decretis aliae quoque poenae deinceps indictae fuere, infamia, nempe, mulcta pecuniaria, carcer, exilium, damnatio ad triremes (3). In praesenti disciplina tamen judicum arbitrio poenae blasphemis imponuntur (4).

§. CLXXIX.

Perjurium est juramenti abusus, quo quis Deum adducit in testem rei falsae, vel, Deo

(1) Cap. Si quis 10. Causa 22. Quaest. 1.

(2) Cap. Statuimus 2. de maledicis.

(3) Ita sanxerunt Leo X. Const. *Supernae*, Julius III. Const. *In multis*, et Pius V. Const. *Cum primum*.

(4) Blasphemia *atrox, publica*, et *notoria*, quae in hac Mutinensi diaecesi Episcopo reservatur, peculiarem speciem non habet, cum in qualibet blasphemiae specie atrocitas reperiri possit. Ne porro quis e novitiis theologis in ambiguo versetur cum judicandum sit, num ratione atrocitatis casus aliquis blasphemiae sub episcopali reservatione contineatur; hinc operae pretium censemus, quid per blasphemiam *atrocem, publicam* et *notoriam* proprie intelligendum sit, adnotare. *Atrox*, dicitur blasphemia vel imprecativa vel enuntiativa si tantam praeferat malitiam, ac divinae sanctitati sic repugnet, ut ex se maximum pariat scandalum et horrorem: dicitur *publica*, si coram pluribus pronuntietur: dicitur *notoria*, si tali sensu, vocibusque proferatur, ut ipsius nequitiam audientes agnoscant. Ad reservationem autem inducendam tria haec invicem concurrere debent: unde blasphemia, quantumvis atrox, reservata non erit, si prolata fuerit privatim, aut etiam publice, quando tamen ob ignorantiam audientium haec ab ipsis pro blasphemia non habeatur.

ipso sponsore dato, aliquid pollicetur absque animo servandae promissionis. Si res falsa ceu vera, jurejurando interposito, scienter affirmetur, perjurium *assertorium* vocabitur; *promissorium* vero si quis per juramentum simulate se obliget ad agendum quod reapse perficere non intendit. Quoniam ex dictis (§. LXII.) juramentum est religionis actus, ipsius autem abusus est perjurium e mox tradita definitione; inde sponte consequitur, hujusmodi abusum inter actus irreligiositatis merito numerari. Patet hujusce criminis malitia ex cap. 7. Jeremiae v. 9., ubi perjurium inter graviora scelera, furtum, scilicet, homicidium, adulterium, et idololatriam recensetur. Idipsum eruitur ex Malachiae cap. 3. v. 5: ibi namque sic Deus minatur Judaeos: *Accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis, et adulteris, et perjuris.* Quod Sacris Literis comprobavimus Ecclesiae auctoritate firmatur: hanc enim Innocentius XI. damnavit propositionem: *Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, ut Deus velit, aut possit hominem damnare.* Pejerantes olim septem annorum poenitentia, et quadragenario jejunio eorum culpam luere debebant (1): nunc vero temporis perjurus

(1) Cap. Si quis 4. Causa 22. Quaest. 5., et Cap. Quicumque 18. Causa 6. Quaest. 1.

infamia notatur, atque a testimonio ferendo prohibetur (1): si vero in ordinibus fuerit constitutus, a sacris officiis removendus est, ac beneficiis ecclesiasticis privandus (2).

§. CLXXX.

Ad irreligiositatem pertinet etiam sacrilegium, quod generatim definiri solet cujuslibet rei sacrae violatio. De tanto crimine tria potissimum inquiruntur: quotuplex, nimirum, esse possit sacrilegium? an semper sit grave peccatum? quibus tandem poenis ab Ecclesia coerceatur? Ad haec ita paucis respondemus.

1. Sacrilegium triplex esse potest: *personale*, videlicet, quo personae sacrae; *reale*, quo rei sacrae; *locale*, quo loco sacro fit specialis injuria. Sacrilegium *personale* patratur, si quis personam Deo dicatam, clericum, nempe, monachum, vel sanctimonialem injuste interficiat, vulneret, aut quovis modo percutiat; si eam subjiciendo judicio saeculari, vel carceri tradendo contra fori privilegium, ipsius laedat immunitatem; si tandem adversus castitatem peccet cum cle-

(1) Cap. Constituimus 9. Causa 3. Quaest. 5., et lib. 2. Decret. Cap. Testimonium 54. tit. 20. de testibus, et attestationibus.

(2) Lib. 1. Decret. Cap. Cum non ab homine 10. tit. de judiciis. lib. 2. Decret. Cap. Querelam 10. Cap. Tua nos 11. tit. 24. de jurejurando.

rico ad majores ordines evecto, vel cum eo, qui regulari professione totum se divino cultui mancipavit. Sacrilegium *reale* in rerum sacrarum violatione consistit. Hujusce criminis reus efficitur qui Sacramenta indigne conficit, administrat ac suscipit; qui vasa sacra, vestes, altaria, ceteraque ad exercitium divini cultus pertinentia, in superstitiosum aut profanum usum convertit; qui Sanctorum exuviis et iconibus insultat; qui Scripturarum oracula vel ad confirmandam haeresim usurpat, vel ad turpia, ad amatoria, ad fabulosa detorquet; ac demum qui jura et bona temporalia sive mobilia sive immobilia invădit Ecclesiae. Postremo sacrilegium *locale* illud est, quo locus Deo sacer temeratur. Haec autem sacrilega violatio contingit in primis per actus, quibus locus ipse polluitur, scilicet, per homicidium injustum, per culpabilem humani sanguinis vel seminis effusionem, aut etiam si quis non baptizatus, vel haereticus, vel excommunicatus vitandus in Ecclesia vel in coemeterio tumuletur. Item fit hujusmodi violatio, si in loco sacro gerantur, quae quamvis eum non polluant, ipsius tamen sanctitatem summopere offendunt. Haec sunt negotiationes, nundinae, mercatus, actus forenses, ac praesertim criminales, convivia, ludi, profana spectacula, choreae, aliaque

id generis, quae Concilium Lugdunense II. ab Ecclesiis jubet removeri (1). Fit ulterius haec violatio per actum aliquem immunitati loci sacri adversantem, ut si reus ad Ecclesiam veluti ad locum asyli confugiens ab ea per vim extrahatur, aut si templum effringatur, incendatur, vel sacrilego furto expolietur. Furtum autem sacrilegum triplici modo evenire potest: ait enim R. Pontifex Joannes VIII. Cap. Quisquis 21. causa 17. Quaest. 4. *Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro* (2).

2. Sacrilegium ex genere suo culpa lethalis est; nam quilibet actus, quo locus, res, vel persona Deo sacra graviter contemnitur, in gravem quoque vertitur ipsius divinitatis contemptum. Per accideus vero cul-

(1) Cap. Decet 2. de immunitate Ecclesiarum in 6.

(2) Hoc juris principium absolute ac generatim sumunt Suarez, Lessius, Layman, Sporer, et alii plures, quos citat B. Ligorius theol. mor. lib. 3. tract. 1. Cap. 2. de irreligiositate dub. 2. N. 39; ideoque censent, furtum rei non sacrae semper naturam induere sacrilegii, si in templo fiat, eo nixi principio, quod distinguendum non sit ubi lex non distinguit. Huic tamen doctrinae adversantur alii, qui res non sacras Ecclesiae custodiae atque tutelae concreditas a ceteris, quae hac tutela non gaudent, distinguentes dicunt, furtum esse tantum sacrilegum si de prioribus fiat, non vero si de posterioribus. Ita sentiunt Gonzalez Cap. 8. de foro compet. N. 4; Lugo distinct. 16. N. 470; Tamburinius in methodo Confess. lib. 2. Cap. 8., eisque adhaeret Joannes Devoti tom. 4. Instit. juris Canonici tit. 11. de sacrilegio §. 3.

pam venialem sacrilegium quandoque non excedit vel propter materiae tenuitatem, vel propter cognitionis, aut advertentiae defectum (§. CLI).

3. Adversus sacrilegium plures poenae judicis arbitrio decerni solent. Ex jure autem communi excommunicationem latae sententiae non evadunt sacrilegi, si, suadente diabolo, violentas manus inferant in personam sacram (1), eamque ad forum saeculare traducant (2); si Apostolicae Sedis, aliarumque Ecclesiarum jurisdictionem usurpent; si bona, ac terras injuste occupent Ecclesiae Romanae (3); si templa comburant, effringant, atque diripiant (4).

§. CLXXXI.

Religioni demum opponitur simonia, de qua breviter simul et ordinatim graviora saltem hisce quinque animadversionibus explanentur.

Animadversio 1. Crimen, de quo hic disseritur, peculiare simoniae nomen deduxit a Simone mago, qui cum vidisset Apostolos per manuum impositionem coelestia dona recens baptizatis conferre, *obtulit eis pecu-*

(1) Cap. Si quis suadente 39. Causa 17. Quaest. 4.

(2) Casus 15. in Bulla Coenae Summo Pontifici reservatus.

(3) Casus 17. et 20. ibidem reservati.

(4) Cap. Conquesti 22. tit. 39. de sententia excommunicationis.

niam dicens: *date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum* (1). Communiter autem simonia definitur *studiosa voluntas emendi, aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum pro re temporali.* Simonia dicitur primum *studiosa,* hoc est, deliberata *voluntas emendi aut vendendi:* quae verba late sumpta non modo emptionem, ac venditionem significant, sed permutationem quoque, aut alium quemlibet contractum innominatum. Dicitur *voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum*; et sic materia simoniacae pactionis ex parte indicatur. Maxime porro inter se differunt *res spiritualis,* et *spirituali annexa,* de quibus dari potest simonia. Etenim *rei spiritualis* nomine venit quidquid speciatim ad supernaturale bonum, atque ad animarum salutem ex institutione Dei vel Ecclesiae ordinatum est. Ad hoc genus referuntur prae ceteris gratia sanctificans, et Sacramenta, quibus gratiam consequimur: ad hoc pertinent Sacramentalia, benedictiones, videlicet, nuptiarum, aquae lustralis, abbatum, sacrarumque virginum, preces sive publicae sive etiam privatae, catecheses, consecratio templorum, altarium, et instru-

(1) Actorum Cap. 8. v. 18. et 19.

mentorum, queis divinus cultus exercetur: ad hoc item spectat potestas spiritualis tum ordinis tum jurisdictionis, ejusque usus; potestas, nempe, conficiendi, et conferendi Sacramenta, excommunicandi, absolvendi ab irregularitatibus, a censuris, concedendi indulgentias, relaxandi juramenta, vota, pluraque matrimonii impedimenta. Res vero *spirituali annexa*, seu *quasi-spiritualis* ea vocatur, quae proprie ac intrinsece spiritualis non est, sed spiritualibus rebus conjungitur, atque ad illas ab Ecclesia ordinatur. Ejusmodi sunt juspatronatus, beneficia eorumque redditus, pensiones, ac decimae; labores in sacro ministerio persolvendo; templa pariter, altaria, vestes sacrae, aliaque similia consecrata vel benedicta, quae cuncta propter connexionem, quam habent, cum spirituali officio, cum consecratione ac benedictione, *quasi-spiritualia* nuncupantur (1). Dicitur postremo *voluntas emendi etc. pro re temporali*, ut altera designetur materiae pars, circa quam versatur hoc peccatum. Interim probe notandum est, *rem temporalem*, de

(1) Electionem, praesentationem, et cujuscumque beneficii collationem inter res spirituales recensent Lucius Ferraris V. Simonia art. 1. N. 18., et Busembaus, quem sequitur B. Ligorius th. mor. lib. 3. tract. 1. cap. 2. dub. 3. art. 1. §. 9. Contra, Edmundus Voit th. mor. parte 1. tract. 3. cap. 1. art. 3. §. 2. N. 284, hujusmodi actus existimat res spiritualibus annexas. Horum quis recte senserit, videant alii.

qua hic agitur, *pretium* quoque seu *munus* a Theologis appellari. Simoniaci hujusce muneris triplicem speciem indicat D. Gregorius M. hom. 4. in Evangelia N. 4. ita scribens: *aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua.* Munus *ab obsequio* est quaelibet subjectio ac servitus non debita, quam expressa vel tacita pactione quis alteri praestat, ut res spiritualis, vel quasi-spiritualis ei conferatur veluti compensatio aut merces pro ministerio temporali exhibito vel exhibendo. Munus *a manu* est pecunia, qua voce, praeter numeratam pecuniam, res omnes temporales intelliguntur sive mobiles sive immobiles, jura, census, pensiones, remissio debiti, ejusve dilata, vel anticipata solutio, mutuatio, commodatum; uno verbo ea cuncta, quae pretio sunt aestimabilia (1). Munus *a lingua* est favor, cum quis laudibus utitur, adulationibus ac blanditiis ad sibi comparandam benevolentiam et patrocinium alterius, ut rem spiritualem aut quasi-spiritualem, e. c. dignitatem vel beneficium ecclesiasticum ab ipso, aut per ipsum recipiat.

Animadversio 2. Variae simoniae species a theologis numerari solent.

Haec 1. dividitur pro natura legis, cui

(1) Cap. Totum 6. Causa 1. Quaest. 3.

repugnat, in simoniam, quae vel jure divino, vel jure tantum ecclesiastico prohibetur. Ob intrinsecam ejus malitiam simonia contraria est juri divino, quoties per ipsam res spirituales aut spiritualibus annexae, prouti forent Sacramenta, hostiae consecratae, reliquiae Sanctorum, potestas ordinis vel jurisdictionis etc.; cum temporalibus commutantur. Simonia vero contra jus ecclesiasticum tantummodo pugnat, cum per se ac intrinsece mala non sit, sed ideo mala sit, quia Ecclesiae legibus vetatur. Exemplum hac de re habemus in permutatione beneficiorum, quae si privata fiat auctoritate speciem induit simoniae, quatenus eam prohibet Ecclesia ob reverentiam debitam officio spirituali, cui res temporalis est connexa.

Dividitur 2. simonia in *mentalem*, *realem*, *conventionalem*, et *confidentialem*. *Mentalis* est simonia, si, nullo intercedente pacto expresso vel tacito, quis interius sibi proponat rei temporalis cum spirituali commutationem: hujusmodi commutatio si mente solum concipiatur, simonia *pure mentalis* erit; quod si, quin haec prava manifestetur voluntas, exterior accedat actus, per quem vel opus fiat in alterius favorem, vel quid temporale ipsi tribuatur pro re spirituali acquirenda, tum simonia *mentalis mixta*

vocabitur. Simonia *realis* ea est, qua utrinque fit rei temporalis ac spiritualis traditio: in hac autem hypothesi non modo contrahentes labe simoniaca inficiuntur, sed etiam depositarii, sponsores, ac ceteri, qui sunt contractus participes. Contingit simonia *conventionalis*, cum duo vel plures invicem de hoc turpi quaestu paciscantur: si res nondum traditae fuerint simonia erit *pure conventionalis;* facta vero ex alterutra parte rerum traditione, *conventionalis mixta*, vel *semi-realis* erit simonia. *Conventionali* porro maxime proxima est simonia *confidentialis*, quae locum habet in re beneficiaria. Hoc simoniae genus ab eo perpetratur, qui, Sedis Apostolicae deficiente consensu, resignat alteri beneficium cum confidentia quadam, idest, cum pacto expresso vel implicito obligante recipientem beneficium ad illud dimittendum, ejusve fructus expendendos in alicujus utilitatem. Quatuor autem modis fieri potest simonia *confidentialis*: nimirum cum reservatione *accessus, ingressus, regressus*, et *pensionis*. Reservatur *accessus*, cum clerico beneficium confertur, posita conditione, ut is deinceps illud renunciet in alterius favorem. Reservatur *ingressus*, quando quis beneficium sibi collatum, sed non adhuc possessum alteri cedit, modo tamen, hoc vita functo, vel beneficium renunciante,

ipsius ille consequatur possessionem. Reservatur *regressus*, si beneficium quod jam obtinet, alteri quis concedat, inita conventione regrediendi ad beneficium, cum primum idem vacaverit. Denique reservatur *pensio* conferenti vel procuranti beneficium, aut aliis etiam ex ipsius redditibus eroganda (1).

Animadversio 3. Quam grave sit crimen simoniae, tum ex auctoritate, tum a ratione quoque luculenter apparet.

Id constat in primis ex auctoritate. Nam, uti referunt Actus Apostolorum cap. 8. v. 20., D. Petrus culpam Simonis jaculo maledictionis percussit, dicens: *pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Praeterea in jure Ecclesiastico simonia passim vocatur piaculare flagitium (2), haeresis (3), vulnus cancerosum, vitium exsecrabile (4); unde ibidem simoniaci aequiparantur *Judae proditori, qui judaeis Dei occisoribus Christum vendidit* (5).

(1) Singulae species confidentiae beneficialis, quas hic paucis indicavimus, velut simoniacae reprobantur tum a Concilio Tridentino Sess. 25. Cap. 7. de reformatione, tum a Pio IV. Const. Romanum Pontificem, tum a Pio V. Const. Intolerabilis.

(2) Ita Paschalis II. Cap. Quisquis 5. Causa 1. Quaest. 1.

(3) Cap. Patet 27. Causa 1. Quaest. 7.

(4) Cap. Reperiuntur 7. Causa 1. Quaest. 1. ex Concilio Toletano 8. Cap. 3.

(5) Cap. Eos, qui 21. eadem causa et quaestione ex Ep. Tarasii Episcopi Constantinopolitani ad Hadrianum Pontificem.

Idipsum quoque suadet ratio naturalis. Nulla siquidem proportio datur inter res sacras, et ea quae cadunt sub hominum commercio. Jam vero si res sacrae, quae maximam exigunt venerationem, per simoniam quoque modo cum rebus temporalibus commutentur, eae profecto vilescunt. Igitur simonia detrahit omnino reverentiae debitae rebus sacris, ideoque Religionis virtutem graviter offendit.

Animadversio 4. Plures in jure constitutae sunt poenae ipso facto incurrendae adversus *realem* et *confidentialem* simoniam, quae vel ingressum in religionem, vel collationem ordinum, vel beneficiorum provisiones respiciunt.

In primis autem si sermo sit de simoniaca pecuniae solutione, propter quam quis in ordinem regularem excipitur, vel ad monasticam admittitur professionem, excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subjiciuntur omnes tum dantes, tum accipientes aliquid simoniace, si sint singulares personae: quod si conventus capitulariter congregatus simoniae consenserit, suspensionem eo ipso incurrit Sedi Apostolicae reservatam (1). Praeterea in criminis vindictam ingredientes Religionem per

(1) Extravag. Sane 1. de simonia inter com.

simoniam, eosque recipientes, in alterum arctioris disciplinae monasterium transferri jubentur (1), ac decernuntur infames (2).

Graves quoque indictae sunt poenae contra ordinationes, quae simoniae crimine vitiantur. In jure veteri qui simoniace ordines conferebat aut recipiebat perpetuo deponebatur, atque in monasterium detrusus neque post poenitentiam ad exercitium ordinis restituebatur (3): laici vero, qui se se in ordinatione simoniaca immiscebant anathema-

(1) Cap. Veniens 19. cap. De regularibus 25. cap. Quoniam 40. De simonia.

(2) Extrav. Sane 1. ut supra. At si nefas est ex dictis aliquid temporale impendere aut recipere pro ingredienda religione, qua de causa huic doctrinae repugnat nostrorum temporum consuetudo, qua ut licitae probantur praestationes, seu eleemosynae dotales, quae a mulieribus praesertim fiunt, cum vitam monasticam ducere velint? Quidquid contra hunc morem proferat Van-Espenius in tract. de vitio simoniae circa ingressum religionis, profecto indubitatum est, hujusmodi praxim a simonia fore prorsus alienam. Tales namque praestationes non solvuntur ut pretium ad obtinendum ingressum aut professionem religiosam, sed tantum pro victu tribuuntur. Idque decet etiam si opibus monasterium abundet. Nullum enim reperitur Sanctimonialium coenobium, quod novis non egeat dotium accessionibus ad suorum bonorum decrementum impediendum vel reparandum: iis quippe demptis, illud sustineri non posset, atque ob necessitates identidem insurgentes plerumque ad inopiam redigeretur. En ratio, cur hanc consuetudinem Sacra Concilii Congregatio non semel probaverit. Consulantur Acta Ecclesiae Mediolanensis parte 1. concil. 1. et 2., Fagnanus in cap. Non amplius de instit. N. 24., et Benedictus XIV. De Synodo Diaecesana lib. 11. cap. 6. N. 3. et seq.

(3) Id eruitur ex cono. Toletano 8. cap. 3., et ex Chalcedonensi can. 2., quorum auctoritates habentur cap. Reperiuntur 7. et cap. Si quis 8. Causa 1. Quaest. 1.

te plectebantur. In recentiori disciplina, tum ordinans, tum ordinatus, ambo excommunicationem latae sententiae Romano Pontifici reservatam incurrunt (1). Per triennium quoque suspenduntur Episcopi simoniaci ab ordinum collatione (2), quam suspensionem perpetuam esse voluit Sixtus V., eosque ab Ecclesiae ingressu prohibuit, et usu pontificalium privavit (3). Item clerici scienter per simoniam ordinati suspensione ipso facto puniuntur, atque ab omnibus ordinibus suspensi manent, donec veniam ab Apostolica Sede impetrarint (4).

Simonia demum, quae circa beneficia versatur, majorem excommunicationem adnexam habet: qua censura innodantur non modo qui conferunt, recipiuntque beneficia per simoniam *realem*, non modo qui *per confidentiam* de ipsis privatim qualitercumque paciscuntur, sed etiam tum eligentes, praesentantes, instituentes, tum electi, praesentati, instituti, tum mediatores, et procuratores (5). Praeterea hujusmodi collationes irritae sunt (6), quamquam ignoraverit cri-

(1) Extravag. Cum detestabile a. de Simonia inter com.

(2) Cap. Per tuas 37. cap. Si quis 45. de Simonia, et Conc. Trid. Sessione 21. cap. 1. de reformatione.

(3) Constitut. Sanctum, et salutare.

(4) Cap. Per tuas, et cap. Si quis, ut supra.

(5) Extravag. Cum detestabile, ut supra.

(6) Ibidem.

men qui beneficium est assecutus (1). Quapropter beneficium simoniace acquisitum restituendum est etiam ante judicis sententiam una cum fructibus perceptis (2). Imo qui scienter simoniace electi vel provisi fuere, alia beneficia in futurum nequeunt adipisci (3): quin etiam, non ipso jure, sed per sententiam judicis privantur beneficiis antea legitime obtentis (4).

Animadversio 5. In re temporali pro spirituali conferenda, vel accipienda plures numerantur causae omnino a simonia excusantes, quae sunt liberalitas, gratitudo, stipendium pro debita alimonia, labor, iniquae vexationis redemptio, et ignorantia. De singulis pauca.

1. Itaque juxta commune placitum doctorum simoniacum non est liberaliter gratisque tribuere temporale pro re spirituali, dummodo nullum pactum intercedat expressum vel tacitum, nec adsit intentio aut conferendi temporale ut alter moveatur ad spirituale rependendum, aut eum compensandi, qui spirituale concessit.

2. Si, quavis pactione antecedenti remo-

(1) Cap. Nobis 27. de Simonia.

(2) Ita decreverunt Martinus 5. in conc. Constantiense Sessione 43., et S. Pius V. Constitut. Cum primum.

(3) Ita Pius IV. Constitut. Romanum Pontificem, et S. Pius V. Constit. Intolerabilis.

(4) Cum super 2. de Confessis.

ta, post spirituale jam acceptum remuneratio temporalis tribuatur, ut satisfiat obligationi merae gratitudinis, quae donum *antidorale* vocatur, id a labe simoniae prorsus est immune. Haec veritas patet e consuetudine in jure fundata (1), quam piissimi quoque viri universim admittunt: nam, ceteris paribus, beneficia, et jura ecclesiastica iis potissimum, qui ob dona temporalia de Ecclesia sunt optime meriti, conferenda censentur. Nonnulli tamen excipiuntur casus, in quibus ob acceptum aliquid spirituale nefas est munera temporalia rependere: non enim licet propter ordinum collationem etiam gratis exhibita sub quovis titulo recipere (2): non licet examinatoribus nec ante nec post experimentum sponte oblata pro concursu parochiali acceptare (3): non licet aliquid lucri capere tum e recognitione, aut expeditione SS. Reliquiarum, tum ex Indulgentiarum concessione (4).

3. Item nulla intervenit simonia, si pro administratione Sacramentorum et Sacramentalium, si pro sacrificiis et sepultura fideles temporalia dona clericis largiantur, non tamquam pretium rerum spiritualium,

(1) Cap. Quidquid 101. causa 1. Quaest. 1.

(2) Conc. Trid. Sess. 21. de Reformatione.

(3) Ibidem Sess. 24. de Reformatione cap. 18.

(4) Cap. Cum ex eo 2. De Reliquiis et veneratione Sanctorum; et Conc. Trid. Sess. 21. de Reform. Cap. 9., et Sess. 25. de Indulgentiis.

sed per modum stipendii, ne desint ipsis ad vitam honeste traducendam necessaria. Profecto ministris Ecclesiae hasce pias oblationes interdici non posse, Divina oracula testantur. Christus enim ait Lucae cap. 10. v. 7. *dignus est operarius mercede sua:* et Apostolus Ep. 1. ad Corinthios cap. 9. v. 7. et 13. ita scribit: *Quis militat suis stipendiis unquam? Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur quae de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt cum altari participant?*

4. Fas quoque erit pro *extrinseco* labore aliunde non debito in ministerii sacri exercitio, scilicet, pro itinere, pro incommodo, pro damno emergente, pro lucro cessante bona temporalia percipere. Hujusmodi namque labor, utpote actioni spirituali extrinsecus, ei per accidens tantum conjungitur, adeo ut absque illo res fieri possit. Igitur labor extrinsecus actioni spirituali, cum sit prorsus ab ipsa independens, velut quid temporale merito consideratur. Ergo pro eo dari poterit, ac recipi, temporale, quin simoniae macula contrahatur. Quod tamen de labore *extrinseco* diximus, id aeque de *intrinseco* labore concludendum non est. Nam actioni spirituali necessario sic inhaeret labor id generis, qualis est, e. c. defatigatio in missa legenda, vel in recitanda concione, ut haec sine illo fieri non possit. Unde pa-

tet, compensationem temporalem de *intrinseco* labore non dari, nisi compensetur simul et actio spiritualis. At vero ad simoniam devitandam actio spiritualis absque pretio praestari debet, cum Christus jusserit Matthaei cap. 10. v. 8., ut gratis accepta gratis darentur. Ergo etiam gratuito exhibendus est labor *intrinsecus*, sine quo actio spiritualis consistere nequit.

5. Ad redimendam injustam vexationem, quam quis patitur in jure spirituali jam acquisito, res temporalis absque simonia poterit alicui conferri. Etenim, ut ait Angelicus Doctor 2. 2. Quaest. 100. art. 2. ad 5. *postquam jus alicui jam acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere.* Hinc manifestum est, Episcopum, aut alium quemlibet habentem curam animarum, pecuniam licite solvere, cum id necessitas requirat, ne ab officio pastorali exercendo inique impediatur; idemque posse clericum praestare, ne per calumniam injuste privetur ecclesiastico beneficio, quod vel actu possidet, vel possidendi jus habet. Per hoc siquidem proprie non emitur jus spirituale, quod in hypothesi jam fuit acquisitum, sed solum tollitur injuria, quae est quid omnino temporale. At si cuique licet injustam vexationem tollere pecuniae traditione vel promissione, ut jus defendat spi-

rituale jam acquisitum, quod jus vocatur *in re;* num idem fieri poterit ab eo, qui jus habet *ad rem,* ut, obstaculis remotis, jus *in re* consequatur? Distinguunt hic Theologi dicentes, vel ab eo, qui tantum nocere potest, vel ab eo, qui simul nocere potest ac prodesse, vexationem procedere. Si vexator solum nocere possit, concludunt, simoniam non esse re temporali hanc vexationem auferre: tum quippe non emitur spirituale, videlicet, jus *in re,* sed impeditur, ne persecutor injustus innocentem calumnietur et offendat; quod quidem positive non influit in rei spiritualis vel quasi-spiritualis acquisitionem. Contra, si vexator nocere simul et prodesse valeat, suum e. c. denegando vel concedendo suffragium, pecunia tum redimi nequit ipsius utcumque injusta vexatio. Tum enim qui jus habet *ad rem* tantum, non modo vexationem averteret, sed insuper vexantis emeret favorem ad jus *in re* consequendum: uno verbo rem spiritualem pretio sibi comparare studeret, quod est simonia.

6. Ab hoc crimine tandem excusat ignorantia invincibilis juris vel facti. Haec veritas ceu legitimum consectarium descendit e lib. I. Institutionum, ubi (§. XXV.) demonstratum est, eum, qui laborat ignorantia invincibili nunquam formaliter peccare.

*

CAPUT QUINTUM

DE PECCATIS, QUAE PUGNANT CUM VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

§. CLXXXII.

Virtus temperantiae, quae ceterarum ad instar praefixis limitibus hinc inde continetur, vel per excessum offendi potest, vel per defectum. Temperantiae per excessum adversatur *insensibilitas* consistens in eorum privatione, quae ex ipsa lege naturae ordinantur, ac necessaria sunt ad humanae vitae conservationem (1). Eidem virtuti per defectum opponitur *intemperantia,* quae voluptates sensibiles immoderate appetit, eisque contra normam rectae rationis ac praecepta divinae legis abutitur. Ad *intemperantiam* autem pertinent *luxuria*, quae *pudicitiae, gula* et *ebrietas,* quae *sobrietati* repugnant. Virtutibus quoque temperantiae adnexis, quae partes ipsius *potentiales* dicuntur, plura sunt adversantia. *Mansuetudini* quippe contrariae sunt *iracundia*, quae inter capitalia crimina refertur, et *nimia dissimulatio*, qua quis non irascitur quo tempore oportet, ut culpa non maneat impunita, et vitium corrigatur (2). Cum *Cle-*

(1) Vide prae ceteris Angelicum Doctorem 2. 2. Quaest. 141. art. 1.

(2) Ibidem Quaest. 158.

mentia pugnat per defectum *crudelitas*, quae charitatem simul et justitiam laedit; per excessum *nimia lenitas*, quae poenam plus aequo mitescit, vel remittit, dum recta ratio, et bonum commune severitatem requirunt (1). *Modestia*, quatenus exteriores actus moderatur, aeque proscribit *rusticitatem* ac *insolentiam*, quae decorum in gestu, voce, aliisque corporis motibus externis non servant: quatenus vero immodicam pompam et apparatum rerum exteriorum haec virtus coercet, ipsi ex uno capite adversatur *sordiditas*, quae in cultu corporis rerumque externarum decorem contemnit; ex altero *luxus*; quo quis in vestibus, in conviviis, in ornamentis modum excedit suis viribus et conditioni congruentem. *Humilitati* per excessum opposita est *animi abjectio*, per defectum *superbia* (2). In studiositatem pariter duo pugnant inter se contraria, *negligentia* videlicet atque *curiositas*. *Negligentia* sita est in voluntaria omissione studii necessarii, et noxa lethalis erit, si propter eam ignorentur, quae sunt de necessitate medii, vel praecepti ad salutem. *Curiositas* autem est appetitus scientiae inordinatus. Haec porro inordinatio juxta D. Thomam 2. 2. Quaest. 167. art. 1. quadruplex esse

(1) Ibidem Quaest. 159. art. 1.
(2) Ibidem Quaest. 162.

potest: 1. nempe *in quantum per studium minus utile retrahuntur aliqui a studio, quod eis ex necessitate incumbit: unde Hieronymus dicit:* Sacerdotes, dimissis Evangeliis et Prophetis, videmus comoedias legere, vel amatoria bucolicorum versuum verba cantare. 2. *In quantum studet aliquis addiscere ab eo, a quo non licet, sicuti patet de his, qui aliqua futura a daemonibus perquirunt.....* 3. *Quando homo appetit cognoscere veritatem circa creaturas non referendo ad debitum finem, scilicet ad cognitionem Dei....* 4. *In quantum aliquis studet ad cognoscendam veritatem supra proprii ingenii facultatem, quia per hoc homines de facili in errores labuntur.* Denique peccatur adversus *Eutrapeliam* repudiando quamlibet necessariam atque honestam recreationem, aut inconvenienter animum relaxando. Debitos autem fines excedere potest *Eutrapelia* vel ratione objecti, si ludus sit pravus, aut lege aliqua positiva interdictus, vel ratione affectus immoderati ad recreationem, vel ratione loci, temporis, aliarumve circumstantiarum, propter quas ludus non decet.

§. CLXXXIII.

Quidquid justitiae distributivae aut commutativae repugnat generatim *injustitia* vocatur. Laeditur porro justistia distributiva

per acceptionem personarum si modice retribuantur eximiae virtutes, exigua vero merita plus aequo compensentur. Innumeris quoque modis offenditur justitia commutativa: idque potissimum contingit, quoties, aequalitate in rerum permutatione non servata, quis vel magis exigat quam rei debeatur, vel pro re acquirenda pecuniam solvat justo pretio minorem. Item partibus justitiae *potentialibus,* quae totidem sunt virtutes eidem connexae plura opponuntur. Nam, uti jam superius vidimus, peccat in *Religionem,* qui ad superstitionem, vel ad irreligiositatem deflectit: peccat in *Pietatem,* qui parentum negligit curam: peccat in *Gratitudinem,* qui beneficiorum immemor malum pro bono rependit: peccat in *Vindicationem,* qui de injuria sibi vel aliis inlata ex odio, aut privata auctoritate sumit ultionem: peccat in *Observantiam,* qui dignitate aliqua praestantes contemnit: peccat demum in *Veritatem,* qui simulat ac mentitur.

§. CLXXXIV.

Prudentiae tria sunt, quae per defectum speciatim adversantur; *praecipitatio,* videlicet, *inconsideratio,* et *instabilitas. Praecipitatio* est peccatum, quo quis opus aggreditur ex impetu voluntatis, congrua deli-

beratione non praemissa de ipsius operis honestate, de modo illud exequendi, de incommodis praecavendis. *Inconsideratio* ea dicitur, quae diligentem discussionem praeterit de iis, quae sunt ad rectum judicium ferendum necessaria. *Instabilitas* ea est, qua quis ob nullas, levesve causas facile sententia mutatur. Per excessum pariter huic sunt contraria virtuti *prudentia carnis, astutia,* et *nimia temporalium sollicitudo.* Juxta Doctorem Angelicum in eo consistit *prudentia carnis, quod aliquis bona carnis habet ut ultimum finem vitae suae* (1). Haec natura sua culpa lethalis est: inquit enim Apostolus cap. 8. ad Romanos v. 6. et 7. *Prudentia carnis mors est.... sapientia carnis inimica est Deo.* Ad *astutiam* pertinet excogitare, atque adhibere quae sunt ad proximum decipiendum accomodata. Desumit haec malitiam tum e pravitate mediorum, quae ad finem ordinantur, tum e detrimento ceteris obveniente; ac proprie *fraus* nuncupatur si in rebus, *dolus* vero si tum in verbis tum in rebus usurpetur. *Nimia* denique *sollicitudo,* qua conquiruntur et conservantur temporalia, ex inordinato mundi amore procedit; ideoque in Evangelio Matthaei cap. 6. v. 31. a Christo Domino sic prohibetur:

(1) Ita D. Thomas 2. 2. Quaest. 55. art. 1.

Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Quin imo a noxa lethali haec sollicitudo excusari non poterit, si tanta sit, ut quis propter eam praetermittat gravem aliquam obligationem, atque in rebus creatis finem ultimum constituat.

§. CLXXXV.

Fortitudini per excessum *temeritas* officit, per defectum *ignavia*. In eo *temeritas* est, qui contra rectae rationis normam pericula aggreditur cum non oportet. *Ignavia* in eo reperitur, qui periculis territus ea refugit quo tempore et loco eisdem occurrere deberet. Inter vitiosa extrema virtutes fortitudini adnexae pariter consistunt. *Confidentiae* siquidem opponuntur *praesumptio*, ac *diffidentia*. Hinc *audacia*, illinc *timiditas* repugnant *strenuitati*. Contrariae sunt *magnanimitati ambitio* et *vanagloria* per excessum, *pusillanimitas* per defectum. In magnificentiam peccat *profusio*, quae est prodiga facultatum largitio, et *parvifacentia*, qua quis, cum posset ac deberet, non suscipit opus magnos sumptus requirens, vel susceptum non perficit. *Patientiae* adversatur tum *impatientia*, qua calamitates aegre feruntur, tum *stupiditas*, qua quis nec propriis nec alienis movetur malis. Postremo

adversus *perseverantiam* pugnant *inconstantia,* quae ob levis momenti difficultates removet hominem ab opere incoepto, et *pertinacia,* qua quis vel plus quam oportet, vel quando non oportet animi firmitatem ostendit.

Finis libri tertii.

LIBRI TERTII INSTITUTIONUM

INDEX

LIBER TERTIUS

CAPUT PRIMUM

CAPUT SECUNDUM

CAPUT TERTIUM

CAPUT QUARTUM

CAPUT QUINTUM



ERRATA		CORRIGE
Pag.	9 negastis	negasti
,,	12 Jerosolimitano	Jerosolymitano
,,	19 eorum actus	earum actus
,,	30 aecepta	accepta
,,	54 actualis	actualem
,,	60 foret,	foret.
,,	80 Hinc.	Hinc
,,	103 praecipue	praecipere
,,	119 Legitur	legitur:
,,	134 diximus (§. XXXIII)	diximus (§. XXIII.)
,,	139 colloquium	familiare colloquium
,,	142 Ex dictis (§. XLVI.)	Ex dictis (§. XLVII.)
,,	155 nec concitentur	ne concitentur
,,	191 Deum respexisse traditur	Deus respexisse traditur.
,,	238 Bethleem	Bethlehem
,,	242 Cesareae	Caesareae
,,	247 de Judea	de Judaea
,,	308 quia ex lege 5.	quia, ut eruitur ex lege 5.
,,	338 Stagirites	Stagyrites
,,	458 poenitioribus	penitioribus
,,	471 Constantinopolim	Constantinopoli
,,	560 *ne patieris*	*non patieris*









